


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
8
22 — E
62

PROMPTVARIVM CONCIONVM FESTIVALIVM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, SANCTISSIMÆ Dei Genetricis atq; omnium Sanctorum.

AVCTORE R. P. F. ILLEPHONSO Giron Hispano Præsentato, & Prædicatore Generali Ordinis Prædicatorum:

IN QVO PRÆTER MVLTIFARIAS DOCTISSIMASQVE CONCIONES ADiuncta sunt suis quibusq; concionibus Fragmenta, ad formandos quoscunq; sermones vtilissima.

OPVS OMNIBVS SACRI EVANGElij declamatoribus, Pietatisq; cultoribus lectu iucundissimum, mirisq; tum SS. Scripturarum, tum Moralium Doctrinarum flosculis exornatum.

Cum duplici Indice Sacrarum literarum, rerumque ac verborum copiosissimo.





MOGVNTIÆ,
Excudebat Balthasarus Lipp. Sumptib. Conradi Butgenij.
Anno M. DC. V. 2

ADMODVM REVERENDO IN CHRISTO P. F. GISBERTO SPECHTIO SS. THEOlogiæ Doctori profundissimo, Hæreticæ prauitatis Inquisitori vigilantissimo, Priori Conuentus Coloniensis, fratrum Prędicatorum dignissimo Concionatori generali Doctissimo: nec non Vicario Prouincialis per Brabantiam & Saxoniam optimè merito S. P.



VM multa ac varia in Ecclesia Catholica sint officia Reuer. Pater, quæ non exiguam dignitatem coniunctam habeant, tum nescio an vllum sit, quod cum eorum quibus verbi diuini cura commissa est amplitudine ac dignitate, conferri aut æquiparari possit: est enim hoc Concionatorum munus peruetustum, sublime, sacrum, excellens, salutare, adeoq; necessarium. In hoc munere iam inde à Priscis temporibus Prophetæ spiritu Dei afflati tota animi contentione desudarunt, & eis ritè perfungendi gratia, non Regum minas, non carceris squallores, non ipsam deniq; mortem formidarunt: His successerunt Apostoli ac Discipuli Christi, qui hoc munus strenuè cumprimis executi sunt: Mundum namq; vniuersum peragrantes, face Euangelij etiam disiunctissimas orbis partes, ac remotissimas, moribusq; incultas nationes, vanarum superstitionum tenebris discussis, illustrarunt: nec illæ omninò difficultates, aut pericula, tanta fuerunt quæ ipsi vltro non subierint, quibusq; ceruices

suas non obiecerint, vt hoc suo munere defungerentur. Sed multò sanè maius ac mirabilius est, quod ipse Apostolorum ac Prophetarum Dominus, de cœlis in terras descendere, atq; hoc munus per semetipsum obire, Ecclesiasten, agere, ac populo æternæ salutis iter ostendere voluerit: Ac tandem cœlum conscensurus, summumq; beneficium fidelibus suis relicturus, vicarios pro se Apostolos Spiritu Sancto plenos instituerit, quibus officium hoc delegauit: Qui postea Episcopis, ac presbyteris, idem munus hæreditario quasi iure tradiderunt: Quanta ergo dignitas est diuini verbi præconum, qui hanc suam auctoritatem, non ab hominibus aut Angelis: sed ab ipso summo hominum, atq; Angelorum Opifice, ac Parente, Christo Iesu salutis nostræ vindice, susceperunt? Quapropter eximiis his titulis in sacris literis decorari promeruerunt: vt videlicet homines à Deo missi: Legati Dei; ministri Christi: verbi Dei seminatores, Dispensatores mysteriorum Dei: Dominicæ vineæ cultores: Angeli Domini exercituum nominentur. Quo quid illustrius? quid nobilius? quid magnificentius? Iam verò quid augustius illis commendationibus, quibus ab Sanctis Ecclesiæ Doctoribus ornātur: à quibus Ductores, rectores, tutores, Patres, mediatores, aliisq; insignibus nominibus nuncupantur? Neq; id immerito: Hi namq; sunt qui populo tanquam ductores, & rectores veram æternæ salutis semitam demonstrant, eum ad virtutis studium, & peccati odium incitant: ac in recte viuendi proposito confirmant: Hi eidem tanquam tutores, à luporum aliarumq; bestiarum, peruersorum duo hominum incursibus, pestiferisq; opinionibus defendunt. Hi tanquam patres, cum nunc lacte, nunc solido cibo nutriunt, interdum blandioribus verbis: nonnunquam asperiori obiurgatione, rerumq; terribilium mentione proposita, à vitiis absterrent & ad virtutes

tutes traducunt. Hi tanquam mediatores non tantum inter dissidentes pacem conciliant, controuersiasq; sedant, verum etiam inter Deum & homines pacem componunt. Neque solum à S. Doctoribus, verumetiam ab illo supremo orbis Doctore; Æterna Dei patris sapientia, Christo Iesu in sacris Euangeliis plurimis præconiis decorantur: quando lumen mundi, sal terræ, semen fidelium ab eo appellantur. Hi enim sunt qui tanquam lux, fidelium mentes Euangelij face, & exhortationibus illuminant, atque ad Dei amorem succendunt: Hi tanquam sal, homines Deo abominabiles cœlesti sua Doctrina, ac vitæ sanctissimæ exemplo Dei & bonorum omnium gustui sapidos & gratos reddunt: ac eosdem à corruptionibus vitiorum præseruant diuini verbi vi exedentes, & consumentes in eis sanguineos carnis humores id est carnis desideria menti corruptionem adferentia & æternæ eos incorruptioni reseruantes: Hi deniq; dum cœlesti doctrina sua corda audientium excolunt: tanquam semen in eis fructificant, & in vno quidem trigesimum, in alio sexagesimum, in alio centesimum fructum parturiunt. Cum igitur tanta sit Concionatorum dignitas, meritò nobis ij summis semper honoribus afficiendi sunt, qui hoc opus per quam gnauiter exercent: qui quomodo pereuntium animarum salutem procurent, dies noctesq; inuigilant: qui solam Diuinæ maiestatis gloriam sibi propositam habent. & ad hunc scopum omnes suas actiones dirigunt. Quod manifestè satis illa Domini verba in Euangelio contestantur, cum ait: Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit: qui vos recipit, me recipit. Iam vero si tantus honor habendus est ijs, qui hoc Ecclesiastæ munus strenuè persequuntur, quantis quæso honoribus & laudibus prosequendi sunt illi, qui cum totum vitæ suæ cursum, in hoc opere laudabiliter contriuerint,

tandem cum iam effœtis sunt viribus, vt diutius ei insistere nequeant, nihilominus vt aliorum labores promoueant, suas conciones quas à plurimis annis ad populum habuerunt, literis consignant, posteritatiq; non sine magno eorum commodo transmittunt: Talium virorum si vlla regio ferax est, illa certè est Hispania, quæ paucis ab hinc annis aliquot insignia concionatorum lumina protulit, qui non tantum dum in hac vita degerent, sermonibus ad populum habendis perquam sedulam operam nauarunt, atq; dicendo, docendo, atq; exhortando incredibiles fructus ediderunt: verum etiam, ea quæ Spiritus sanctus eis dictauerat, quæ mens eorum excogitauerat, quæ disertis linguis ad populum pronunciauerant, calamo tandem chartaq; exceperunt, & posteris reliquerunt. Talis fuit maximus ille, vir, cuius nomen nulla vnquam delebit obliuio, R. P. Ludouicus Granatensis, Ecclesiastes in vtraq; lingua, latina non minus, quam patria facundissimus, qui quantos dum vixit, prædicando, scribendoq; labores exantlauerit, quam incomparabilis fructus fecerit, totus mundus in cuius manibus disertissimæ conciones eius, aliaq; pia monumenta versantur, clamat. Et ne in multis percensendis inutilem operam ponam: Talis est is quem nunc in lucem proferimus, R. P. Illefonsus qui hactenus in hoc munere impigre versatus, atq; ad senium iam vergens, cum animaduerteret, se communi hominũ miseriæ legiq; mortis subiectum esse, has Conciones in totius Anni festa, tanquam cygneum quoddam melos, scribere aggressus est, vt quando forsitan diutius ore non daretur, saltem scriptis per has, non vni nationi, sed toti Christianismo concionaretur; Has itaq; conciones, cum non sine multo labore magnisq; impensis nactus essem, animaduerteremq;, quam amplam docendi, dicendiq; materiam, concionatoribus subministrarent.

ſtrarent, quippe cum non ſolum, de quoq; feſto quinque ſæpe numero conciones ponat, verum etiam locos communes, quæ autor Fragmenta appellat, quæ loco diuitis cuiusdam promptuarij ſeruire poßint, ſubijciat: mox eas prælo ſubijci, ac ſtanneis typis imprimi curaui: Cum vero aliquis Patronus aſciſcendus eſſet, qui eas à Zoilorum iniurijs tueretur R. P. T. mihi ſtatim occurrit, cui opus hoc nuncuparem atque inſcriberem: idq; non ſine multis, ac grauibus cauſis. Primo quidem vt R. T. pro maximis erga me meritis, ac pro inſigni humanitate, ac beneuolentia, qua me hactenus R. T. proſecuta eſt, publicum aliquod grati animi monumentum relinquerem: Deinde quia Sacræ Conciones ab Dominicanæ familiæ alumno conſcriptæ, nulli magis quam eiuſdem familiæ Antiſtiti, Prouinciali, eidemq; ſummo S. Theologiæ Doctori, ac Concionatori, in quo munere multos iam annos ſingulari cum laude R. T. verſatur, deberi videbantur: Imo tali Antiſtiti cuius in Deum pietatem, in proximos charitatem, in regendis ſuæ fidei commißis vigilantiam, ac ſedulitatem, in bonis temporalibus adminiſtrandis ſolertiam: in omni deniq; virtutum genere excellentiam nemo pro dignitate explicare poterit. Teſtantur id acta quondam in Lutzenburgenſi Monaſterio: Teſtantur & illa, quæ non ita pridem in Saxonia geſta ſunt: Teſtantur deniq; illa quæ quotidie, in hoc ipſo Colonienſi, cui praees monaſterio, per te fiunt, quæ ſi ſigillatim omnia percenſere vellem, vererer ne quis me, non tam dedicatoriam Epiſtolam, quam Panegyricam ſcripſiſſe calumniaretur: Deniq; librum hunc, ſub authoritatis tuæ vmbraculo in lucem emiſi, vt ab inuidorum criminationibus eſſet ſecurior: viget enim nouiſſimis hiſce temporibus, quoddam hominum genus, quod ſerpentinis linguis ſuis obuia quaque ſtudioſe carpit, & cum ipſi nihil vnquam laudabile, vel dixerint, vel ſcripſerint, in hoc ſe maxime commen-

dabiles fore arbitrantur, si se omnium iudices constituat. Ab horum calumnijs tuæ protectionis scuto munitus, liber hic nihil sibi metuendum putabit, quandoquidem pro singulari tua doctrina, & sapientia, omnium horum fraudes facile discuties. Accipe itaq; Reuerende Pater eo quo tibi offertur animo, munusculum hoc à me tanquam grati erga te animi mei signum, illudq; in tutelam ac Patrocinium tuum suscipe, meq; vt hactenus, sic in posterum beneuolentia tua prosequere. Interim Deum Ter Opt. Max. rogo vt, te ad totius Ordinis tui, ac S. Ecclesiæ vtilitatem quam diutissime seruet incolumem.

Coloniæ Agrippinæ 10. Kal. Aprilis, Anno à partu Virginis M. D C. V.

Reuerentiæ Tuæ addictiss.

CONRADVS BVTGENIVS,
Typographus Coloniensis.

PROLO-



PROLOGVS Authoris, ad Le-ctorem.



O S T exactos circiter quadraginta annos in Euangelico munere: ſæpius ab amicis rogatus, vt aliquid lucubrationum mearum in lucem ederem: hactenus diſtuli, non tam laborem fugiens, quam operis difficultatem veritus. Nemo enim rationis compos promiſcuæ multitudinis legētium varia iudicia, cenſuramque non timeat. Malui tamen omnium ferulæ ſubiacere, quam Dei optimi, & eccleſiæ ſanctæ obſequio deeſſe: atque tot ſapientum amicorum, & eorum maximè qui prædicationis munus laudabiliter exercuerunt, & nunc exercēt, precibus non acquieſcere. Complures quidem eruditiſſimi viri noſtra hac tempeſtate de tempore plenius, quam de ſanctis conciones conſcripſerunt. Quare, vt multorum votis ſatisfaciam, decreui feſtiuitatibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſanctiſſimæ Dei genetricis, atque ſanctorum, laboris noſtri primitias offerre. Saluatoris enim noſtri geſta mirabiliter ædificant eccleſiam: ſanctiſſimæ verò Dei genitricis, & ſanctorum exempla ſummopere nos excitant, atque ad imitationē

prouocant: quæ D. Auguſt. carbones vaſtatores merito vocabat. Virgæ ſunt illæ populeæ, quas
Gen.30 quas magnus ille Patriarcha Iacob Gen. 30. in canalibus diſpoſuit, vt accedentes oues ad potũ, ad earũ aſpectũ varios, & maculoſos fœtus cõciperẽt.

Et quanquam plures alii conciones de ſanctis pleniſſimè atq; elegãter ante me cõſcripſerũt: nihil nocebit de eodem argumento plures conſcri-
D. Aug. bere (ſicut D. Auguſt. docet) tum quia nõ omnes libri ad omnes regiones perueniunt: tum quia pro varietate temporum, occaſionum, & auditorum, varia ſanctorũ exempla laudantur: & proponuntur; tum quia pro varietate ingeniorum, varietatẽ oportet eſſe librorũ: ſicut enim in lautis conuiuiis
Simile. obſeruari videmus: quod non tantũ cibi victui neceſſarii præparantur, ſed pro ſplendore conuiuii, proq; guſtuũ varietate varii cibi, conuiuis abundanter proponuntur. Atq; eo magis ciborũ varietas, nõ ſolum grata, ſed neceſſaria eſt, cum ob ſtomachi debilitatem appetitus ſic proſtratus eſt, vt vix cibus gratus inueniri queat. Sicut ergo in corporalium ciborum delectu, varietatis guſtus, debilitatisq; ſtomachi habenda eſt ratio: ſimiliter in doctrina, (quæ ſpiritualis cibus eſt animæ) pro ingeniorum varietate variam rationẽ, tam doctrinæ, quam diſpoſitionis haberi oportet. Maximè
Eſa. 1. vero miſera noſtra hac tempeſtate, cum tanta ægritudine laborat genus humanum: cum omne caput languidum, & omne cor mœrens cum voluntatis ſtomachus adeo languet, vt vix cibus palato non ſano gratus inueniatur.

Quibuſdam ſimplicitas doctrinæ, & elocutionis placet: alii ſubtilitatemq; deſiderant, amplificatio-

cationem, atq; elocutionis elegantiam. Quidam paraphrasi, siue postilla Euangelii delectantur, alii discursus, sum tractatus, integrasque conciones de proposito themate exoptant. Cæterũ, quia de eadẽ re cõciones integras absq; fastidio prosequi: difficilè negotium est, à multis quid id est desideratum, à paucis tamen præstitum. Id enim scripturæ sacræ intelligentiam, sacrorum doctorum explicationem, exemplorum, atque similium variũ, & multiplicem ornatum requirit: debitamque singulorum dispositionem, concentum, & coaptationem. In qua re aliquantulum laboris à nobis in hac parte impensum est, vt enim variis lectorum desideriis satisfaciam, omnibus omnia factus: constitui primo loco conciones integras de materia initio proposita. Deinde super singula verba Euangelii meditationes, siue fragmenta, quæ ex cibis mensæ superfuerunt, post conciones adieci, ne pereant. Vtinam pro voto ad Dei, & sanctorum omnium gloriam, ecclesiæ ædificationẽ, & concionatorum obsequium fœliciter cedat.

Nolo autem (amice lector) vt verborum splẽdorem, vel selectorum florum fasciculos aut humanæ eloquentiæ vim à me expectes. Concionatorem namq; Euangelicũ dedecent verborum lænocinia, ampullæ & sesquipedalia verba, neq; sermo noster persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis inniti debet: vt Paulus nos docet 1. Corinth. 2. Et per Esa. cap. 33. Dominus prædixit, non videbis populum alti sermonis, ita vt non possis intelligere disertudinem linguæ eius. Cœlestis enim pater, qui diuina mysteria abscondit à sa- 1. Cor. 2. Esa. 33. Mat. 11.

Esa 48. à ſapientibus,& prudentibus,& reuelat paruulis; per Eſa. cap. 48. ait: Ego Dominus Deus docens te vtilia: non ſubtilia: vt adnotauit D.Hieron. v- *D.Hier.* tilia ergo, atque ad populi ædificationem magis neceſſaria,ſtylo facili proſequemur.Neque noua, & nunquam hactenus audita, vel conſcripta polliceri auſim. Nil enim dictum,quod non ſit dictũ prius: nouiter vero dictu,nouo (inquam) modo, diſtinctione,& diſpoſitione, forſan polliceri liceat. Et quamuis ab aliis dicta vel ſcripta ſint: ſi ex puris fontibus deriuentur, oportuniſque locis coaptentur,nō minus grata eſſe debent, quam quæ, *Simile.* vt propria prædicantur: ſicut araneæ tela, ex propriis viſceribus diſperſa,fauorum cellas,quas apes ex floribus hinc inde collectis, compingunt, minimè excellit. Neque vaſa vitrea ex varia,exquiſitaque maſſa conflata, minus grata ſunt, quam fictilia ex luto. Neque minus pretioſa fuere ligna Cedrina, pro ſtructura templi ex Monte Libano allata,quam lapides domeſtici à Cementariis Salomonis dolati.

Nunc primum tomum concionum de ſanctis à feſto Beati Andreæ Apoſtoli vſque ad feſtum Diui Ioannis Baptiſtæ in lucem edimus: iamiam edituri (Chriſto Domino auſpice) ſecundum tomum à feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, vſque in finem: quod ſi vita comes fuerit, addemus & tertium pro communi ſanctorum: atque pro defunctis. De concionibus de tempore, nihil nunc polliceri auſim. Dei optimi voluntati,atque ordinationi omnia ſubmitto. Ætati enim ingraueſcēti multa polliceri non licet.

Adiiciemus in fine concionum, duos copioſos Indices,

Indices, qui à lectoribus desiderari solent. Prior loca scripturæ sacræ, quæ à nobis explicantur, cõtinebit. Alter res, & materias potissimas alphabetico ordine dispositas indicabit. Et pro maiori luce: tam res notabiles, quam scripturæ loca, marginibus adiecimus, vt ex marginum cum indice conuentu, facili negotio inueniantur.

Nullus author adeo exactus est, vt alicubi non labatur. Errare enim humanũ est. Quare si quid minus benè à me dictum fuerit, venia, & benigna interpretatione, potius, quam inuida insectatione suscipi deprecor. Multa enim cauillari promptius est, quam imitari. Si quid placuerit, Deo optimo reddantur gratiæ, à quo omne datũ optimum, & omne donum perfectum descendit. *Iacob. 1.* Si quid vero negligẽtius dictum videbitur, benigno animo, ingenii tenuitati parcat beneuolus lector: atque candidum animi mei votum suscipiat. Omnia tandem dicta, & scripta mea Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ Romanæ censuræ, & iudicio, vt verus filius, humili obsequio, & ex toto corde subiicio. Vale lector beneuole, & in tuis orationibus memor esto mei.

Frater

Frater Dominicus Bannes Sacræ Theologiæ Salmanticæ primarius professor,
Lectori.

CVM primum cognoui Reuerendum Patrem Præsentatum fratrem Illefonsum Gironem sacras conciones de sanctis vt prælo mandarentur componere, non potui non aliquid magnum præsumere, quod in communem vtilitatem concionatorum cederet, ea enim est iam olim apud me de viro hoc æstimatio, vt & mihi, & illi non modicam iniuriam facere viderer, nisi magnam de ipso opere, & autore expectationem conciperem, ac prædicerem. Noui namq; & sæpe experientia comperi huius viri ingenium ad inueniendum singulare, & ad disponendam orationem, & graui elocutione facile exornandam ingenti dexteritate præditum. Verum enimuero, postquam has conciones legi atque perlegi, expertus sum & meam expectationem vicisse, & seipsum huius operis excellentia superasse. Quocirca impiger concionator, qui attentius has meditationes legerit, mecum iudicabit, hoc breue cõcionum opusculum pretiosiora in secessu continere, quam in fronte promittat. Vale pie Lector.

EX mandato Reuerendi admodum patris nostri prouincialis perlegi primum tomum cõcionum de Sanctis compositum à Reuerendo admodum patre Præsentato Fratre Illefonso Giron Prædicatore Generali, in Prouincia nostra Hispaniæ ordinis Prædicatorum, qui liber stylum grauem gratumq; habet, & miram rerum dispositionem, & tam est diuinarum scripturarum arcanis refertus, tamq; Sacrorum Doctorum sententiis, philosophorum

phorum dictis, & rerum naturalium exemplis & similitudinibus exornatus: vt ex ipso (vt ex vnguibus, vt aiunt, leonem) facile cognoscere liceat, quid ex aliis eiusdem auctoris lucubrationibus sperandum sit. Euulgetur ergo in communem totius Ecclesiæ Catholicæ vtilitatem. Ita subscripsi in celeberrimo Conuentu S. Stephani Salmanticensis Kalend. Ianuarij. 1602.

Frater Sebastianus de Sancto Fœlice, Præsentatus.

IN Dei filio sibi dilecto R. P. Fratri Illephonso Giron Præsentato, & Prædicatori Generali ordinis prædicatorum. Frater Andreas de Casse Magister, ac Prouinciæ Hispaniæ eiusdem ordinis humilis Prior Prouincialis; & seruus salutem. Cum labore multo, & vigiliis primum tomum sermonum de Sanctis edideris, & elucidare curaueris, ne tanti prædicatoris scripta pereant tenore præsentium, & nostri officij authoritate licentiam, & facultatem tibi præfato Præsentato concedimus: vt seruatis seruandis in lucem emittere præloque mandare possis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Quibuscunq; in contrarium non obstantibus, in quorum fidem præsentes literas nostri officij sigillo muniui, & manu propria subscripsi, in nostro Conuentu Sancti Petri martyris de Toledo. 15. Ianuarij Anni. 1602.

Frater Andreas de Casso.

Prior Prouincialis.

FRATRIS IOANNIS NEgron in Pintiana Academia publici professoris, Censura.

VARIAS has sanctorum conciones in hoc primo tomo de Sanctis contentas, à Reuerendo admodum Patre Fratre Ildefonso Giron, in Sacra Theologia Præsentato, & sacri prædicatorum ordinis in Prouincia Hispaniæ generali concionatore compositas, de supremi senatus mandato ea diligentia qua potui perlegi, & inueni in eis sanam, & catholicam doctrinã, sine piarum aurium offensione, verbis limatam, sententiarum pondere grauem, eruditione refertam, sanctorumque patrum testimoniis eruditissimè roboratam, & diuinarum scripturarum vtriusque literalis scilicet & mystici sensus subtilissima interpretatione mirabilem, suo denique authore dignam. Quocirca mea quidem sententia cum magna studiosorum vtilitate, & concionatorũ commodo possunt & debent excudi. Datis Pintiæ die nono Februarii in conuentu Diuę Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum, Anno Domini, millesimo sexcentesimo secundo.

Magister Frater Ioannes Negron,
Commendator.



CONCIONES IN FESTIVITATIBUS SANCTORUM.

Auctore Fratre Illefonso Giron Præsentato ordinis Prædicatorum.

IN FESTO BEATI ANDREÆ APOSTOLI,

CONCIO PRIMA.

De vocatione Apostolorum de mari.

THEMA.

Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ vidit duos fratres; Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius mittentes rete in mare. Matth. 4.



XCELSI athletæ Domini, & fortissimi, virilisque (vt nomen Græcum sonat) Andreæ gloriosissimum martyrium, atque triumphum hodie celebramus. Sacrum Euangelium continet causam, & originem totius felicitatis ipsius, & gloriæ: processit enim ex aspectu, & vocatione Iesu Christi Domini nostri. Hæc est prima spica ex Christi seminatione

germinans, quæ hodie in horreum cœleste collecta est.
Leuit. 2. Leuit. 2. præcepit Dominus: *Si obtuleris primitias frugum tuarum de spica adhuc virentibus, torrebis igni*; Andreas prima spica, & primitiua est vocatio, Domini Saluatoris (vt *Ber.* ait) hodie in Cruce oblatus est, & nō sine igne, *Bernard.* imò per duos dies diuini amoris, tanquam rubus ardebat, neq; cōburebatur. Vt illius laudes dignè celebrem⁹, hūc ignem de cœlo per manum Seraphim petamus, per Mariam (inquā) Seraphinorum reginam dicentes: *Aue.*

1. Reg. 2. Postquam felix Anna Samuelis mater, priùs sterilis, lachrymis verò, gemitibus, & precibus fœcunda, filium optatum Samuelem, positum à Deo iuxta nominis significationem accepit, illumque Domino obtulit, summa cum animi alacritate, cordis exultatione, & Spiritus sancti illustratione mysticum illud cecinit canticum aduentus Christi; & generationis Ecclesiæ mysteriis adeò plenum, vt miretur Augustinus *tomo 5 libro 17. capite 4 de ciuit.* tam profundum Spiritum propheticum concessum mulieri. *August.* In eo igitur cantico de primordijs Ecclesiæ, gloriosisque fundamentis cecinit, dicens: *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.* Multum quidem splendent diuina sapientia in continuo cœlorum motu, terræque stabilitate, & in eo maximè, quod eisdem cardinibus, siue duobus polis Arctico, & Antarctico, perpetuus gyrus cœli voluatur, eisdemque firmitas terræ stabilita sit. Cæterùm multò amplius splendet diuina sapientia in Ecclesiæ generatione, stabilitate, gubernatione, & veritatis, cum antiquis figuris, & oraculis mirabili concentu. Hanc igitur Ecclesię sanctæ generationem, & stabilitatem super duos cardines, & veluti cœlestes polos Christus constituit, nempe super duos Fratres Petrum, & Andream; sicut & antiquam Synagogam super Moysem, & Aaron. Hi sunt duo poli Ecclesiæ Arcticus, & Antarcticus; sic enim non sine mysterio videtur ordinasse diuina sapientia, vt Andreas erectus in Crucem actus sit: Petrus verò inuersis sursum pedibus cruci sit affixus: vt totum orbem Ecclesiæ mutua charitate aspiciant, atque sustineant: & sicut ad cœlestium orbium motum intelligentiæ, id est, Angeli, diuina ordinatione designati sunt, sic ad motum, & regi-

In Ecclesia generatione multū splendet diuina sapientia.

men temporum Ecclesiæ videntur hi duo Apostoli designati. Vt Petrus regat partem æstiualem anni, Andréas hyemalem: siquidem initium temporis aduentus nobis indicat. Et sicut duo poli dirigunt nauigantes, & itinerantes, similiter hi duo fratres doctrina, & exemplo nos inter fluctus mundi nauigantes dirigunt. Et sicut cœli luminaria creata sunt à Deo, vt diuidant diem à nocte; illuminent terram, & sint in signa, & tempora: sic Petrus, & Andreas dati sunt Ecclesiæ, vt illam illuminent, & sint veluti signa temporum. Duæ quoque illæ stellæ, quæ polum iugiter circumeunt, horam noctis nobis quasi digito monstrant: sic Andreas horam nobis indicat surgendi à somno vt *Paulus* ait ad *Rom.* 13. *Genes.* 1.

In principio cum Dominus creauit cœlum, & terram, spiritus Domini ferebatur super aquas, siue incubabat super aquas more auis super pullos, quasi confouens ad creaturarum generationem: sic nunc ab aquis voluit CHRISTVS felicissima Ecclesiæ inchoare primordia: dum ambulans iuxta mare Galilææ vocauit primos Apostolos, Petrum, & Andream. Ab aquis cœpit prima mundi naturalis productio: ab aquis incipit noui orbis instauratio. Nam ex aquis vocantur Apostoli, super aquas descendit columba, & in aqua instituitur baptismus sacramentorum ianua. Ambrosius *super Lucam capite* 22. mirè laudat elementum aquæ, quod initium fuit totius creaturæ. Postquam Dominus firmamentum luminaribus illustrauit, terram gramine, & plantis ornauit, elementum aquæ noluit esse otiosum: sed iussit reptilia, pisces, & volatilia ex aquis produci. Sic nunc volatilia apostolica ex aquis produxit. Illi enim sunt, qui vt nubes volant, & volucres sunt conuersantes in ramis arboris magnæ, quæ Christus est. Elementum aquæ humano aspersum sanguine mundum lauit: sic aqua baptismi sanguine Christi aspersa mundum abluit. O aqua, quæ sacramentum Christi esse meruisti! quæ Apostolis, imò & Christo nomen dedisti! super te vox patris audita est: super te Spiritus sanctus descēdit in specie colūbæ. Tu inter tres testes generationis nostræ cōputaris. *Tres enim sunt, qui testimoniū dant in terra; spiritus, aqua, & sanguis: spiritus* ad vitam, *Genes.* 1. *Magna vis elementi aquæ. Ambros.*

aqua ad lauacrum, & generationẽ, *sanguis* ad pretium. Aqua mollis est mater, vitæque naturalis principium: adeò, quòd extra aquam pisces moriuntur: sic aqua baptismi mater est, & vterus Ecclesiæ: idem enim spiritus, qui descendens in vterum Virginis effecit, vt ex ea Filius Dei nasceretur, descendens nunc in aquam elementarem, quæ vterus est Ecclesiæ, efficit, vt ex ea filij iræ renascantur in Filios Dei. Ea nunc ratione ambulat Christus iuxta mare, vt incipiat communicare vitam Ecclesiæ, & filios adoptionis generare, qui multitudinis fidelium primi sint genitores. Christus Dominus verè est Angelus ille fortis descendens de cœlo amictus nube, & iris in capite eius: facies eius sicut Sol, &c & posuit pedem dextrum super mare, sinistrum autem super terram: quia de mari educturus erat primos Apostolos: quasi primarios lapides pro fundamentis Ecclesiæ: ideò posuit pedem dextrum super mare: quia in parte dextra fortitudo, & felicitas significatur Psalm. 88. *Ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius.* Per pedem quoque dextrum significatur felicitas Ecclesiæ in vocatione Apostolorum: qui futuri erant pedes Christi. Sic enim per Prophetam dicitur: *Ambulabo in eis:* & Apocalyp. 10. *Pedes eius, tanquam columna ignis.* Ipse quoque est, *qui potentia sua conclusit ostiu mare*, (sicut dicitur Iob. 38) *& posuit nubem vestimentum eius*, dum hos primos Apostolos vocat mare spatiosum mundi ostiis incipit concludere: Petro enim dedit claues regni, & Ecclesiæ. Dumque Apostolorum doctrina cœlesti mundum exornauit, nubes posuit vestimentum eius, de quibus dicitur: *Qui sunt isti, qui vt nubes volant?* Esa. 60.

Rupertus lib 3. de operib. Spiritus sancti.

Apoc. 10. Christus Angelus est descendẽs de cœlo, qui pedẽ dextrũ posuit super mare.

Leuit 26. Apoc. 10. Iob 38.

Olim Moysem ex aquis eductum constituit Dominus ducem, & principem populi sui. Nunc Petrum, & Andream ex aquis vocat ad Apostolatum. Iosue ex medio Iordanis alueo duodecim lapides elegit, super quos figerent tentoria in testimonium miraculosi transitus, in monimentum æternum filijs Israel. Sic Christus verus Iosue fixurus tentoria Ecclesiæ, & excelsum illud ædificium Hierusalem cœlestis instauraturus (cuius fundamenta, murum, & portas vidit Ioannes omni lapide pretioso ornata *Apoc. 21.*) incipit ex aquis duodecim lapides

Exod. 2.

Iosue 4.

pides apostolicos eligere. Hæc sunt fundamenta Saphirina promissa per Esaiam 54. Andreas vocatione primarius lapis est: quia primus secutus est Christum, & ille denunciauit Petro fratri dilecto: *inuenimus Messiam*: Et adduxit Simonem fratrem ad Iesum, quem intuitus Iesus, dixit: *Tu vocaberis Cephas*: quod interpretatur *Petrus*. Primus lapis, atque fundamentum cœlestis Hierusalem Iaspis est, quod Andreæ nomini conuenit; Andreas enim *virilis*, & *fortis* interpretatur. Congruit & firmitati, atque constantiæ in fidei confessione, pro qua sanguinem fudit, quem maculæ sanguinolentæ Iaspidis explicant. Solet lapis primarius benedici, & vngi, sicut Iacob. Erexit lapidem in titulum, & fudit oleum desuper. Andreas lapis est vnctus, Spiritus sancti vnctionibus benedictus, imò præuentus in benedictionibus dulcedinis. Impletum in eo videtur illud Zachariæ 4. *Educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius*; non tantum propter potestatem illi a Christo, sicut & cæteris Apostolis traditam. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, Ioan. 20 sed quia illi datum est, vt pro Christo in Cruce pateretur, & portaret imaginem Christi, vt verè verba Iob 23 illi conueniant: *Vestigia eius secutus est pes meus*; & illud Esther. 6. *Homo, quem Rex honorare cupit, sedere debet super equum, qui de sella Regis est*. Equus Christi, super quem ascendit dimicaturus contra diabolum, benedicta Crux est. Super eundem equum, id est Crucem, voluit, vt Andreas ascenderet, quasi comes, & coadiutor passionis Christi: & iuxta vocem Pauli, *adimplens in carne sua, quæ desunt passionum Christi* (non quoad sufficientiam, sed quoad efficaciam, & imitationem) *pro corpore eius, quod est Ecclesia*. Ecce quo pacto verum sit, quod exæquatur gratia Andreæ gratiæ Christi; quia Crucifixus conformis factus est imagini filij Dei. Adde, quod nunc Cruci affixus pro Christo pretium salutis suæ à Christo in cruce persolutum, verbi euangelici prædicatione, & simili crucis patibulo lætus, & gratus exoluit.

Esa. 54. *Apoc. 21.* *Andreas Iaspis.* *Gen. 28.* *Andreas lapis à Iacob vnctus.* *Esther. 6.* *Crux equus est de sella regis Christi.* *Colos. 1.*

Hoc loco se se mihi offert locus *Matth.* 17. de statere in ore piscis inuento, quod Christus voluit pro se, & pro Petro persoluere. Quod Hieronymus de vtroque testamen-

Matth 17. *Hier. to. 3. cap. 142. ad*

Damascen. mento explicuit: quia stater duos habet denarios. *Hæc* (inquit) *sunt æra minuta duo, quæ vidua obtulit, & gladius ex vtraque parte acutus.* *Matth.* 12. *Apoc.* 19. *August.* Augustinus verò in Psalm. 137. in illum versiculum; *Dominus retribuet pro me*; mysterium redemptionis nostræ agnoscit. Christus enim primus piscis est de mari ascendens, quia primogenitus est mortuorum, qui velut Ionas die tertio de mari mortis, & de Abysso inferni surrexit. Ille staterem ore detulit, id est, quatuor Euangelia: stater enim duas habet didragmas, & quatuor dragmas. Hæc ille pro Ecclesiæ salute obtulit, imò & sanguinem suum pro nostra redemptione æterno Patri retribuit, hoc est didragma humanæ, & diuinæ naturæ, quod pro nobis exoluit. Cæterùm & beatissimo Andreæ non incommodè adaptare possumus, qui primus piscis fuit à Christo ex aquis eductus: in cuius ore stater vtriusque testamenti, id est, fidei Euangelicæ firma confessio inuenta est: & dum per duos dies in cruce pendebat, stater erat in ore eius, quia incessanter prædicabat Christi duplicem naturam, & crucis gloriam, & staterem, atque pretium à Christo pro nobis in statera crucis persolutum, oris cõfessione, & simili morte gloriosa rependit: & id quidem tam constanti, & læto animo, vt cum Ægæas crucis patibulum minaretur, audito nomine crucis, tanquam amasiæ sibi dilectissimæ exultaret; *Ego*, inquiens, *si crucis patibulum expauescerem; crucis gloriam non prædicarem:* vbi ad crucem damnatur, non turbatur, non hæret vox faucibus, nec stetère comæ, non subitò incanescunt capilli (vt scimus aliquando contigisse in nostra Hispania) & alios legimus denunciato mortis supplicio vsum linguæ, alios mentis amisisse. Andreas verò ex abundantia amoris crucis, illius audito nomine, exultat.

Andreas primus piscis, in cuius ore stater inuentus est.

Bernard. Bernardus, *Verè granum est sinapis, quod vbi teri cœpit, tantum feruorem profert: lapis est, qui tactus ferro ignẽ emittit, & quò magis teritur, & percutitur, magis scintillat.* Sic Andreas quò magis cruci appropinquat, eo magis ignescit. *Salue crux pretiosa, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris eius tanquam margaritis ornata. O crux diu desiderata, & iam concupiscenti animo præparata, securus, & gaudens venio ad te, ita vt, & tu exultans susci-*

suscipiat me: Amator tuus semper fui, & desideraui amplecti te. Amor facit ecstasim, & quasi extra se raptus præ magnitudine amoris Christi, & crucis in verba gaudio plena erumpit: Sicut Iacob videbantur dies pauci præ amoris magnitudine. Et Christus ipse verus Iacob (quanquam secundum portionem inferiorem timuit crucem; & turbari, contristarique voluit, atque in passione derelinqui, vt in tribulationibus timorem à nobis expelleret, consolationeque repleret) sed secundùm portionem superiorem adeò baptismum Crucis desiderabat, vt coarctaretur, vsque dum perficeretur: & vsque adeò dilexit Ecclesiam, vt traderet se ipsum pro ea; idque tam feruenti dilectione, vt omnia flagella, spinas, & tormentorum inundationem vocet guttas, & rorem: sic enim ait vocans sponsam: *Aperi mihi, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Sponsa quoque amorem dilectissimi sponsi penetrans, passionem ipsius *fasciculum myrrhæ* vocat. Ex Christi amore, & cordis exultatione gaudium illud deriuatum est, quo *ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilij*: Et impleta est prophetica illa Christi promissio Matth. 5. *Beati eritis, cum vos oderint homines, gaudete in illa die, & exultate.*

Genes. 29. Cant. 5. Cant. 1. Matth. 5.

Magnum quidem est mortem pro Christo patienter sustinere: diuinum donum, vt docet Apostolus, Philip. 1. *Vobis datum est pro Christo non solum, vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini*: at verò cum exultatione mori, prodigium est. Tunc vallis Achor, id est, tribulationum, fit cubile armentorum: cum armenta *ganado mayor de la Iglesia*, id est Apostoli, & martyres in persecutionibus, quasi in cubili, & lectulo florido lætantur: & veluti pisces magni in aqua salsa maris nutriuntur. *Tunc datur illis vallis Achor ad aperiendam spem æternæ vitæ.* Magna vis suppliciorum, sed maior vis dilectionis: *Fortis est vt mors dilectio. Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem.* Iob. 13. *Etsi occiderit me, sperabo in eum:* & Paulus: *Charitas omnia suffert*, & iterum: *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra. Amas trabajo, mas cõsuelo*, &, vt est in prouerbio, *A mas*

Pro Christo patienter mori magnum donum, sed cum exultatione mors prodigium. Ose. 2. Cant. 8. 2. Cor. 1.

Sap. 13. *Moros mas ganancia.* Sap. 13. *In paucis vexati, in multis benè disponentur.* Iacobi 1. *Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis. Quod enim in*
2. Cor. 4. *præsenti momentaneum est, & leue tribulationis nostræ* (vt Paulus ait 2. Cor. 4.) *in sublimitate aternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Gaudebant quidem Apostoli tribulationibus, sed gaudium Andreæ videtur in hac parte primas tenuisse. Nam crucem summa cum lætitia aspicit, amplectitur, & dulcissima, atque suauissima & amatoria verba illi alloquitur, adeò vt præ amoris excessu dicat; *securus, & gaudens vento ad te, ita vt & tu exultans suscipias me.* Quod tu Apostole sancte gaudens ad Crucem venias, supra rationem naturalem est, non humanum est, sed diuinum: sed, quid est, quod à Cruce lignea petis, vt exultet? Quomodo exultabit, cui sensum natura negauit? Excessus est amoris, & (vt *Bernardus* ait) ignis vibrans est, non lingua loquens, &, si lingua est, certè ignea, imo lingua seraphica: Carbones sunt ignis excelsi, vtinam desolatorij, & exurentes, & consumentes, quidquid in nobis est carnalis affectionis: scintillæ sunt diuini amoris. Gloriosum spectaculum. Psal. 70. *Tanquam prodigium factus sum multis.* Homo ne est, qui loquitur, an Angelus? Phænix igne amoris ardens, & ex seipso ad nouam vitam renascens, an noua aliqua creatura? Homo quidem est, sicut ipsa passio testatur: sed supra hominem est tam noua exultatio, tam inaudita lætitia: imò videtur Angelus. Ecce iam videmus impletum, quod dixit Christus Nathanaeli.

Bern. ser. de B. Andrea.

Andreas à Bernardo vocatur angelus.

Gen. 28. Ioan. 1. *Videbitis cælos apertos, & Angelos ascendentes, & descendentes supra filium hominis.* Ecce Crux Christi scala est Iacob, per quam ascendunt Angeli. Hic considerat Andreas Dominum Iesum innixum scalæ: & hac vehementi consideratione tam dulcis illi redditur Crux, vt cum ad voces populi Ægæas vellet ipsum de Cruce deponere, orauerit Dominum, ne id permitteret: & tunc Christus Dominus ad ipsum Angelis comitatus, tantoque lucis splendore descendit, vt populus non posset Apostolum aspicere, donec in manus redemptoris tradidit spiritum. Hic est gloriosus triumphus Andreæ, quo Christum ducem secutus est; atque Petrus frater simili

Crux scala est Iacob.

mili mortis patibulo crucem exaltauit: Sed diuina dispensatione factum est, vt Christus caput hominum, & angelorum rectus cruci sit affixus, vt tanquam caput superiora teneat; Petrus verò; vt fundamentum Ecclesiæ, & vicarius Christi in terris inuersus sit Crucifixus; Andreas verò medium teneat, vt in cruce pendens doceat mundum, & mundana omnia contemnere, & mortem ipsam habere sub pedibus; vt vna manu nos inuitet ad laborum tolerantiam, crucis amorem, & gratiam, alteram verò dexteram extendat ad percipiendam palmam gloriæ.

IN FESTO BEATI ANDREÆ APOSTOLI,

CONCIO SECVNDA.

De virtute diuini aspectus.

THEMA.

Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ vidit duos fratres, &c. Matth. 4.



OLIM Moyses iuxta mare Rubrum constitutus, salutis populi sui desiderio flagrans, & illum in terram promissionis traducere optans, cernens verò omnem viam interclusam, & Ægyptios infestissimos hostes à tergo insequentes, vehementer ad Dominum clamabat, iussuque ipsius virga mare tangens, vias aperuit, quibus Israeliticus populus sicco pede mare transiuit. Typum gessit Moyses veri nostri mediatoris Christi Iesu, qui vniuersalis salutis humanæ ardentissimo desiderio flagrans iuxta mare Galilææ ambulat, virga virtutis suæ, & vocationis cor maris tetigit, quatuorque piscatorum corda aspectu suo attraxit; vt per hos duces, mundique Doctores cœlorum

via per peccatum interclusa aperiri incipiat, & per medias mundi procellas ab hostium incursibus erepti, ad cœlestis patriæ portum tuta nauigatione perueniamus: impleaturque illud Psalm. *In mari via tua, & semita tua in aquis multis.* Inter hos excelsos duces, vnus, isque primus in Christi sequela fuit Andreas frater Simonis Petri, cuius hodie viam, imò semitam angustam per crucem, sed augustam, amplissimam, & gloriosam per triumphum celebrat Ecclesia. Vt dignè explicemus, salutetur virgo Maria.

Psal. 76.

Inter plura, & ea quidem mirabilia testimonia diuinæ omnipotentiæ, ait Iob, *Quòd extendit cælos solus, & graditur super fluctus maris: qui facit Arcturum, & Orionem, & Hyadas, & interiora Austri, qui facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus.* Quo loco D. Gregorius: *Quid mirum, quòd fecerit hæc, qui fecit omnia?* Maius aliud, atque altius sacramentum nobis Iob insinuat: nempe spiritualem Ecclesiæ fabricam, cœlorum, id est, Apostolorum extensionem. Hi sunt veri cœli, & noui, quos extendit Dominus. Fluctus maris, persecutiones sunt Ecclesiæ. Arcturus constellatio est septem stellarum, quæ polum semper circundat, vulgò currus dicta, septiformem spiritum Ecclesiæ significans, quæ semper versatur, & procellis agitatur, sed nunquam mergitur; quia portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Orion constellatio est, quæ in fine autumni, & initio hyemis tempestates generat: quæ symbolum est Apostolorum, & martyrum, contra quos tempestates exortæ sunt. Hi sunt noui cœli Ecclesiæ, qui doctrina Euangelica enarrarunt gloriam Dei, quorum conuersatio in cœlis semper fuit, & qui cœlestibus influentijs Ecclesiam fœcundarunt. Hos cœlos extendit Dominus, dum misit illos in mundum vniuersum prædicare Euangelium omni creaturæ. Extendit, (inquam) per charitatem (vt *Paulus* ait) *cor meum dilatatur ad vos.* Maximè verò cœli extensi sunt Petrus, & Andreas, Petrus Romæ cruci inuersus affixus: Andreas verò apud Patras Achaiæ vrbem, sub Ægæa Præside, à quo postquam apud Scythiam, & Achaiam legationis Apostolicæ munus absoluit, in cruce aspatus est, sicut filum au-

Iob. 9.

Gregorius.

Ecclesia procellis agitatur, sed nunquã mergitur.

Psal 18.

2. Cor. 6.

Oro tirado. Madexa.

lum aureum extensus est, & in metaxam redactus: atque inde ad textrinum gloriæ translatus: vbi texitur vestis illa regia nuptialis, quam Christus induet; de qua Esaias prædixit: *His omnibus velut ornamento vestieris, & circundabis tibi: quasi sponsa.* tunc induetur mutatorijs à Zacharia prædictis, *cap 3.* Andreas igitur post longam de Christo Domino, & crucis gloria concertationem habitam cum Ægæa, funibus crudeliter super crucem extensus, & eleuatus est, adstantibus circiter viginti millibus hominum; & omnibus ad Christi fidem conuersis: pendens autem biduo in cruce, & quasi in florido lectulo recumbens docebat populum, illius furorem contra Ægæam continebat, deprecabaturque ex animo, ne se martyrij palma priuarent: *non enim sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam:* & contendentibus ministris illum de cruce deponere, brachia stupebant: orabat enim dominum, ne se de cruce deponi permitteret: donec spiritum suum in manus Redemptoris tradidit. Nam lux splendida subitò de cœlo descendens per dimidiam horam Andream circumfulsit, & cum ipso lumine ascendente pariter ascendit spiritus eius. Postmodum à Maximilla Senatrice sancta corpus Apostoli honorificè est sepultum. Hunc igitur gloriosum triumphum Apostoli celebramus, atq; natalitiū diem. Hodie enim creditur natus, non *quia hodie materno est effusus ex vtero* (vt ait Chrysologus) *sed conceptu fidei, martyrij partu cœlestem noscitur generatus ad vitā. Celebratur dies, non quo materna cuuabula suscepere vagientē, sed quo superna tabernacula suscepere triumphantem. Nō quo lac petit à terrena matre, sed quo sanguinem fudit pro cœlesti patre: non quo humanis brachiis est exceptus, pannis inuolutus, & in cunabulis reclinatus: sed quo ex brachijs Crucis ad Christi brachia est gloriosè translatus.* Hic est gloriosus dies, quo (velut armiger fortis Ionatham olim manibus reptās est insecutus) Andreas Christum ducem amoris ignē æstuans, & anhelans per scalā Crucis insequitur. Sed vnde tantum gloriæ accessit Andreæ? Euangelista Matthæus duplicē causam explicat, ex parte auxilij diuini, & gratię præueniētis, scilicet, quia ambulans Iesus iuxta mare Galilææ vidit illū, & vocauit. Altera causa fuit ex par-

Esai. 46.

Andrea in martyrio constātia.

Chrysolog.

1. Reg. 14.

ex parte Apostoli, quia gratia Christi in eo vacua non fuit, sed continuo relictis retibus, secutus est Christum, & ambulauit dignè vocatione sua. De prima illa causa aspectus Christi hodie dicamus, dicturi alias de vocatione, & sequela.

Ambulans iuxta mare vidit, quasi negotium salutis humanæ ordiuans, & cogitans cogitationes pacis, vidit duos fratres. O felicissimam sortem duorum fratrum, quos vidit Dominus. Quòd si curiosus quærat, cur potius vidit hos fratres? in illo verbo: *secus mare*, respondisse videtur Euangelista, quia *iudicia Dei Abyssus multa*. Ecclesiast. 34. *Consilium illius in abysso magna* Et Psal. 91. *Nimis profunda factæ sunt cogitationes tuæ*. Iraque *non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, vt Paul. ait *Rom* 9. Meritò *Bernard*. serm. 3. Petri, & Pauli de Apostolis explicat illud Ecclesiast. 44. *Hi sunt viri misericordiæ, quorum iustitia obliuionem non acceperunt*, quia misericorditer ad apostolicam dignitatem vocati Vidit enim illos Dominus piscationi attendentes: nihil minus, quam Christum, & suam vocationem cogitantes vt magis splendeat diuina misericordia. Sic vocauit Matthæum ad Teloneum sedentem, Samaritanam ad hauriendam aquam venientem; & Saulum Ecclesiam persequentem. Hoc est opus diuinæ misericordiæ. *Labor digna de Dios. Quis sicut Dominus Deus noster*, &c. *Suscitans à terra inopem*, &c. Quamquam fratres isti felicissimi nihil minus sperabant, sed eorum salutem Christus, & per illos salutem Ecclesię disponebat. Rectè in Psalm. *Dominus solicitus est mei*, & Cantic. 5 ait sponsa: *Ego dormio, & cor meum vigilat*; id est, sponsus, quem ego ex corde diligo, vigilat, dum ego dormio. Vnde subdit, vox dilecti pulsantis: *Aperi mihi, ecce enim stat ad ostium, & pulsat*.

Indicia Dei abyssus multa. *Bernard.* *Eccle.* 44. *Psal.* 112. *Cant.* 5.

Elias vidit nubeculam paruam, quasi vestigium hominis ascendentem de mari, & facta est pluuia grandis: sic Christus in istis fratribus videt nubes ascendentes de mari: *Qui sunt isti, qui, vt nubes volant?* In his fœcunditas Ecclesiæ, & pluuiæ, id est, doctrinæ abundantia præuisa, & promissa est. In mari videt mundi pericula; peccatorum vndas, persecutionum procellas. Ex ipsis ma-

3. Reg 18. *Esai.* 60. *Petrus & Andreas nubes ascendentes de mari.*

ris vndis vult sapientissimus Dominus præparare medelam, & antidotum: sicut ex vipera fit antidotum theriacæ. Vidit igitur, non tam corporeo, quam diuino intuitu, à quo omne bonum. Zacha.9. *Dominus est oculus hominis*, id est, à Domini oculis procedit omne bonum hominis: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Respexit ad Abel, & ad munera eius*, ideò fuere grata. Agar ex diuino intuitu agnoscens sibi datum filium Ismael, gratias agens dixit: *Tu Deus qui vidisti me. Dixit enim: hic vidi posteriora videntis me*; semper enim diuinus aspectus relinquit vestigia virtutis suæ. Libertas Israelitici populi ex Ægyptiaca seruitute inde processit. Exod. 3. *Videns vidi afflictionem populi mei*. Et in Psal. 103. de efficacia diuini aspectus dicitur: *Qui respicit terram, & facit eam tremere*. Iob: *omne pretiosum vidit oculus eius*: quia cognoscit fore pretiosum; & quia visu suo pretiosum efficit. Sicut aurifex inter rudes lapillos gemmas pretiosas dignoscit: & sicut ij, qui acumine oculorum intra aquas gemmas vident, (quos vulgus vocat Buzanos) *Profunda fluuiorum scrutatus est oculus Domini, & abscondita produxit in lucem*. Abscondita, id est, abiecta, & humilia, iuxta illud Psalmi 137. *Excelsus Dominus, & humilia respicit*. Ex diuino intuitu oritur omne bonum nostrum, adeò, quòd quamquam beatitudo nostra sita est in visione nostra actiua, qua Deum videmus, iuxta illud Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant, &c.* Cæterùm hæc procedit ex visione Dei, qua nos videt per diuinam prædestinationem; & electionem *Rom. 8.* Nam quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Id quod eleganter dixit Paulus; *Quos prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui*. Et 2. Corinth. 3. *Nos ipsi in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem*. In beatitudine siquidem anima fit imago, & speculum viuum Dei, in quo splendet Deus ipse. Speculum verò non reddit imaginem alicuius, nisi quandiu ipse prototypus, qui in speculo repræsentatur, speculum intuetur. Finge speculum rationis capax, quantum optaret, vt pulcherrimus homo illud semper intueretur, quia per illius intuitum actuatur perfectio speculi.

Simile.
Zachar. 9.
Ex aspectu diuino procedit omne bonum hominis.
Iob. 28.
Simile.
Iob. 28.
2. Cor. 3.
Simile.

speculi. O anima creata, vt sis viuum speculum Dei; quomodo pateris, vt vel per momentum Dominus auertat oculos suos à te? O infelix anima peccatrix, quomodo diuinum aspectum à te fugas, a quo pendet tuum esse, & vita tua? Neq; enim ille te respiciet amico, & grato aspectu, nisi quandiu tu ipsum intueberis. Vnde Regius Propheta sic ait, Psal. 26 *Faciem tuam Domine requiram*; & Psal 87. *Ne auertas faciẽ tuam à me*: quasi dicat; Ne mihi deneges lumen, quo te cognoscam. Sicut iterum petebat: *illuminet vultũ suum super nos, & misereatur nostri, vt cognoscamus, &c.* Ex auersione verò procedit omne malum, Psal 103. *Auertente autem te faciem, turbabuntur.* Quare Psal. 34. ex animo petit; *Domine quando respicies, restitue animam meam mihi*; quia quandiu Deus nõ intuetur animam, est alienata extra se: per diuinum verò aspectum redit ad se; & sibi ipsi restituitur, & ex morte reuocatur ad vitam; sicut Ezech. 16 dicitur: *Transiens per te, vidi te, & dixi tibi viue* Statim vt Dominus respexit Petrum; recordatus est Petrus, & fleuit amare. Oculi Domini lachrymas pœnitentiæ, & vitæ excutiunt.

Psal. 26. *Psal. 103.* *Psal 34.* *Ex aspectu diuino anima sibi ipsi restituitur.* *Ezech. 16.*

Hoc est mysterium, quo Iacob Genes. 49. pulchritudinem oculorum Christi prædixit maiorem vino: quia, sicut vinum inebriat, aspectus Domini extra se rapit, & commutat in viros alteros. Basiliscus aspectu interficit, oculi Christi viuificant. Placuit Domino obsequium Regis Salomonis in consummatione fabricæ templi, & dixit illi: *Sanctificaui domum hanc, quam ædificasti mihi, vt ponerem nomen meum ibi vsque in sempiternum, & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Vbi enim respiciunt diuini oculi, semper adest ipsius protectio, & exauditio, Psalm. 33. *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.* Vnde tantum bonum, & tam ineffabilis dignitas sacræ Virgini aduenit? ipsamet confitetur in Cantico: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Ioan. 1. *Vidit Iesus Nathanael, venientem ad se; & dixit; Ecce verè Israelita, &c.* & quærenti Nathanaeli: *Vnde me nosti?* respondit Christus: *cum esses sub ficu, vidi te*; ex intuitu Christi adeò illustrata est mens eius, vt statim confessus fuerit: *Tu es filius Dei.* Andreæ quoq; felicitas ex Christi intuitu

Genes. 49. *Aspectus Christi viuificat.* *3. Reg. 9.* *Psal. 33.*

intuitu initium habuit. Et quid mirum? Nam si sol aspectu suo, non tantum intra terræ venas mineras auri, & argenti producit, sed etiam intra profundum maris corallium, vniones, margaritas, & gemmas intra conchas gignit, & apud Indiam orientalem hęc omnia, & pretiosa aromata, & vnguenta gignuntur, quia Sol oriens benigno aspectu suo eam regionem respicit, fouet, & fœcundat: quanto potiora germina producet sol diuinus Christus benigno aspectu suo, qui ipsi soli naturali lucē, splendorem, & omnem virtutem contulit? Nam, (vt habetur Eccl. 23.) *Oculi Domini multò lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnem viam hominum, & profundum Abyssi, & hominum corda intuentes.* Eccl. 11. *Oculus Domini respexit abundantè paupertate, & exaltauit caput eius* Et subdit; *Facilè est in oculis Domini subitò honestare pauperē* In terreno illo Paradiso, qui ad Orientem sitū habet, & primo solis aspectu fruitur, plantauit Dominus lignū vitæ, mirabilem arborū varietatem, & pulchritudinem, fructuum suauitatem, fontium amœnitatē, & totius desiderij naturalis plenitudinem, vt meritò *paradisus voluptatis* dictus sit. Sic vtrisq; Andream Apostolum Indiam orientalē; & paradisum Domini dicere possumus, ad Orientem plantatum, & ad primum aspectum veri solis Christi vocatum Inde tam mirabilis odor, & virtutū fragrantia, vt verè illi dicamus: *Emissiones tuæ paradisus.* Quid enim fides, spes, & maximè feruentissima charitas Christi, patiētia, mãsuetudo, tantus, tamq; feruens crucis amor, nisi paradisi fragrātia? Et nequid nostro paradiso deesset, voluit Dominus in eo plātari lignū vitæ, crucē (inquam) quæ (vt Bern. ait *ser. de B. Andrea*) verè est lignum vitæ apprehendentibus eam. Lignū vitę est afferens fructus duodecim per singulos mēnses, imò per singulos dies, & horas, arbor est fructifera, & salutifera: semper enim lignū crucis vitā germinat, fructificat, iucunditatem, & oleū lætitiæ stillat, balsamū sudat, spiritualium charismatū, quia odoriferos clauos in radicib⁹ habet. Adeò dulcè, & suaue lignū, quòd mortis amaritudinē in dulcedinē conuertit Sicut in typo Dominus ostēdit Moysi in ligno, quo aquæ amarę in dulcedinē versæ sunt, sub illius vmbra; quē desiderauit, sedit Andreas, & fru-

Simile.

Andreas India est orientalis, & paradisus Domini.

Cant. 4.

Bernard.

Apoc. 22.

Exod. 15.

& fructum dulcissimum suo gutturi inuenit. Sedeamus & nos, saltem meditatione, & deuotione, & petamus, vt nos intueatur, & respiciat, & nos quoque illum intueamur, & inueniemus miram dulcedinem gratiæ, quæ est prælibatio dulcedinis gloriæ, &c.

IN FESTO BEATI ANDREÆ APOSTOLI,

CONCIO TERTIA.

De vocatione Christi.

THEMA.

Venite post me. Matth. 4.

VERBA sunt Seruatoris nostri, quibus vocauit ex mari Petrum, & Andream fratres, tāque potenti, & efficaci vocatione, quod cōtinuò relictis retibus secuti sunt eum. Fuit siquidem *Vox Domini in Virtute*: Traxit illos cœlestis pater in magnificentia. *Nemo enim potest venire ad me, nisi cælestis pater, qui misit me, traxerit eum.* Ioan. 6. Filius vocauit, & spiritus ipsius bonus deduxit in terram rectam. Petamus & nos, vt qui nos vocauit ad fidem, vocet ad suam sequelam, & gratiam: sic enim orat Paulus: *oramus semper pro vobis, vt dignetur vos vocatione sua Deus.*
S. Thom. Id, quod Angelicus Doctor explicat, *vt faciat vos in mundo dignè conuersari.* sicut ad Eph. 4. scribens dixit: *Vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis.* Vt igitur vocationem nostram certam faciamus, & gloriosissimi Apostoli Andreæ ductum sequamur, qui vsque ad crucem ambulauit dignè vocatione sua, cœlestis numinis auxilium per Virginem Deiparam poscamus, dicentes: *Aue Maria.*

Singulari quadam prouidentia in veteri lege, non semel, sed

mel, sed sæpiùs præcepit Dom. per Moysem populo suo, vt cum primum promissæ terræ possessionem apprehenderent, omnium frugum, & fructuum terræ sibi primitias offerrent: oblatio enim primitiarum erat gratiarum actio, & quasi professio percepti beneficij in liberatione ab Ægyptiaca seruitute; ab hostium periculis, & traditione illius felicissimæ terræ promissæ. Quare Deut. 26. sic ait Dominus: *Cum intraueris terram, quam Dominus Deus daturus est tibi possidendam, & obtinueris eam, atque habitaueris in ea, tolles de cunctis frugibus tuis primitias, ponesque in cartallo, pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, vt ibi inuocetur nomen eius: accedesque ad sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum: Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingressus sum in terram, pro qua iurauit patribus nostris, vt daret eam nobis.* Solennitas quidem Apostolorum omnium oblatio est primitiarum Ecclesiæ Christi, quæ vera terra promissionis est: & profitemur, quòd per illorum fidem, & prædicationem, ingressi sumus in Ecclesiam: Apostoli enim primitiæ sunt Ecclesiæ, & vocationis Christi, vt docet Paul. 2. Thess. 2. *Nos debemus gratias agere Deo semper, quod elegerit nos Deus primitias in salutem.* Atque adeò receperunt primitias Spiritus sancti, sicut iterum Rom. 8. ait: *Nos ipsi primitias spiritus habentes.* Inter omnes verò Apostolos Andreas primitias vocationis tulit: fuit enim vnus ex duobus, qui audierunt Ioannem dicentem: *Ecce agnus Dei:* & secutus est agnum. Atque ea fortè consideratione electus est in patronum Societatis agni. Sic igitur felicissimus Andreas mansit illo die cum [illegible] sic habetur Ioan. 1. *Et inuenit Simonem fratre[m]* [illegible] Iesu: vt *xit ei: inuenimus Messiam (quod est i[nterpretatum]* [illegible] *suum, & dictus) illum adeò optatum, desider[atum]* [illegible] *interpretatum Christi quæsitum inuenimus, vidim[us]* [illegible] *tum cunctis gentibus, &* Petrum: id enim propri[um] [illegible] am est: fidei est enim lumen participatum à summo [b]ono (cui proprium est sese diffundere; & sine in[ui]dia communicare), *vt, qui audit, dicat; Veni. Cort[in]a tabernaculi, sic inter se connexa erant, vt cortin[a] cortinam traheret.* Sic Andreas adduxit Simonem fratrem ad Iesum; & Philippus adduxit Nathanaelem. Verum est, quod Augustinus *de consen. Euangel.* aduertit,

Oblatio primitiarum est gratiarum actio, & professio percepti beneficij.

Apostolorum solennia oblatio primitiarum est.

Apoc. 22.

Exod. 26.

August.

quòd non sic vidit Christus hos duos discipulos, vt eï tunc inseparabiliter adhæserint, sed tantum agnouit eos, & verborum dulcedine, atque cœlorum promisso illexit: Ceuolos Et quamquam tunc redierunt ad propria, ambulans iuxta mare Galilææ iterum vocauit eos, vt habetur hodierno Euangelio. Andreas ergo primitiua vocatio est Saluatoris, (vt *Bern*.ait) & dum gloriosum illius triumphum recolimus, victoriosissimum regem Christum profitemur; cuius imperium per fortissimum ducem dilatatum est. Profitemur quoque, quod per illum cœpimus apprehendere possessionem terræ promissæ, id est, Ecclesiæ, per fidem; quam ille prædicauit, & beatitudinis per lumen gloriæ, quod hodierno die illi concessum est. Solemnitas igitur hodierna oblatio primitiarum est: & sicut olim magnus ille somniorum interpres Ioseph per septem spicas plenas, atque pulcherrimas in culmo vno septem annos ingentis vbertatis futuros coniecit: Sic ex hac prima plena, atque pulcherrima spica, quæ in culmo apostolico hodie ascendere cœpit, cui altera spica Simonis fratris in eodem culmo pullulans adiuncta est: moxque aliæ duæ spicæ Iacobi, & Ioannis accesserunt: magnæ vbertatis futuræ indicium suscepit Ecclesia. Ex hoc namque veluti primo Ecclesiæ seminario (iuxta regis sancti vaticinium) cœperunt cāpi vbertate repleri, speciosa deserti pinguescere; & valles abundare frumento Ex tunc vidit sponsus vterum Ecclesiæ iam fœcundari iuxta illud Cant. 7. *Venter tuus acervus tritici vallatus liliis*. Sicut initio vocationis Samaritanorum, qui fuerunt primitiæ gentilismi: dixit Christus discipulis, Ioan. 4. *Leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt ad messem* Hi sunt primi fructus terræ promissionis, & primogeniti Christi.

Bernard. *Genes. 41.* *Andreas spica plena futuræ vbertatis præsagiū.* *Psal 44.* *Cant. 7.*

Venite post me. In multis quidem semper splendet diuinus amor in humanum genus, sed diuina vocatio magnæ dilectionis fuit semper apertum indicium. Id, quod olim per Prophetas suos sæpiùs exhibuit, vt per Hieremiam Dominus frequenter repetit cap. 7. 11. 25. 29 35. *Loquutus sum ad vos mane consurgens, & loquens, & non audistis me* Studium hoc diuinum in vocandis hominibus Dominus satis explicuit in parabola patrisfamilias,

Diuina vocatio magna dilectionis indicium.

familias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam, & similiter hora tertia, 6. 9. & 11. Angelicus Doctor in illud ad Rom. 8. *Quos prædestinauit, hos & vocauit.* Primũ, in quo incipit impleri diuina prædestinatio, est vocatio hominis: hic est primus effectus diuinæ prædestinationis, qui ex Dei gratia, & misericordia procedit; omneq; meritum, & opera nostra præcedit (vt docet Paul. *ad Rom.* 9.) Non ex operibus sed ex vocante dictum est. Id, quod inferius probat ex illo Ose. 2. *Vocabo non plebem meam, plebem meam* De qua re in multis locis eleganter disserit August. *to.* 4. *lib* 83. *quæst.* & *q.* 2 *ad Simplicianum.* Duplex autem est diuina vocatio, quædã *interior*, quæ (vt S. Tho. ait) nihil aliud est, quam mentis instinctus, quo cor hominis mouetur à Deo ad assentiendum his, quæ sunt fidei, vel virtutis Esai. 41. *Quis suscitauit ab Oriente iustum, & vocauit eum, vt sequeretur se*: Et hæc vocatio est omnino necessaria; quia cor nostrũ non se conuerteret ad Deum, nisi Deus ipse nos ad se traheret. Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi pater meus qui misit me, traxerit eum.* Thren 5. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur* Et hæc vocatio est efficax in prędestinatis. Ioan. 6. *Omnis, qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me,* Altera vocatio est *exterior*, quæ fit ore prophetarũ; apostolorum, & prædicatorũ. Prou. 9. *Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem* Hęc verò fuit dignitas apostolica; quòd vocati sunt exteriori vocatione ipsius filij Dei, qui simul intus vocauit mirabiliter mouens corda: sic vocauit Petrum; & Andream de mari. Misericordiæ plena vocatio fuit: Aliquos enim vltrò sese offerentes ad sequendum; Christus à se depulit, quia cor fictum, & superbum intuebatur; vt Luc 9 dicenti; *Magister sequar te, &c* respondit Dominus: *Vulpes foueas habent.* Vulpino siquidem corde accedebat. Alios se excusantes vocat, vt illum, qui prius volebat sepelire mortuum. Alios intrare compellit: vt Saulum persequentem: de cœlo vocauit: de qua re Augustinus de verbis Domini *serm.* 6. Ter igitur vocatus est Andreas; primò cum audiuit Ioannem Baptistam dicentẽ; *Ecce agnus Dei*; & sequutus est illo die Christũ. Secũdò vocat⁹ est in mirabili illa captura pisciũ, Luc. 5. cum dixit Petrus: *Exi à me Domine, &c.*

S. Tho. l. & *Vocatio primus effectus prædestinationis.* *August.* *S. Thom.* *Duplex diuina vocatio, interior, & exterior.* *Esai.* 41. *Ioan.* 6. *Prou.* 9. *D. August.*

Tertia vocatio fuit ad mare Galilææ, vt habetur hodierno Euangelio, & ex tunc inseparabiliter Christo adhæsit.

Apostoli vocati à Domino in coadiutores, & testes. Venite post me. Erat quidem altissimum opus redēptionis nostræ. Hoc solus Christus perfecit: & cætera omnia ad nostram salutem necessaria potuisset quidem se solo perficere, voluit tamen habere socios, & coadiutores vt Paulus ait 1. Cor 3. *Dei adiutores sumus*, & 2. Cor. 5. *Pro Christo legatione fungimur*. Id autem sic disposuit Dominus: *primò*, vt ordo gratiæ responderet ordini naturæ: sicut per solem illuminat terram, per cœlum viuificat: per Angelos superiores illuminat inferiores. *Secundò* voluit in mundo habere testes contra incredulos in die iudicij Act. 1. *Eritis mihi testes, &c.* Et cap 2. *Nos omnes testes sumus, &c.* Et c. 10. *Dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus praordinatis à Deo. Tertiò,* vt verus Magister humilitatis, & modestiæ, quamquam non indigebat humano auxilio, *quia*, (vt Paulus ait Hebr. 7.) *Saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum.* Noluit tamen sibi soli hominum salutem arroganter tribuere; sed voluit modestè Apostolos participes eius muneris efficere; & illos honorificare sublimi Euangelicæ prædicationis ministerio, dicens: *Faciam vos fieri, &c.*

Simile. Sicut reges terræ creant magnates, Duces, Marchiones, Comites, & eiusmodi titulos; & in re militari eligunt quosdam in duces, alios in signiferos, seu vexillarios, & alios inferiores ministros: similiter ait Paul. ad Eph. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores, & Doctores.* Apostolos primo loco constituit Luc. 6. *Elegit ex ipsis, quos & Apostolos nominauit.* Hi fuerunt primi in omnibus donis Christi: habuerunt enim plenitudinem gratiæ, & sapientiæ, quantum ad reuelationem diuinorum mysteriorum: Luc. vlt. *Aperuit illis sensum, vt intelligerent, &c.* Matth. 4. & Luc. 8. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, &c* & Ioan. 15. *Omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis.*

Tria dona Apostolis cōcessa sapientia, eloquentia, & potestatis. Habuerunt copiam eloquentiæ ad annunciandum Euangelium cunctis gentibus. Luc. 21. *Dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri.* Marci vlt.


euntes

Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium. Habuerunt tertiò prærogatiuam authoritatis, & potentię quantum ad curam dominici gregis. Ioan. vlt. *Pasce oues meas.* 2. Cor. 10. *De potestate nostra, quam dedit nobis Deus in ædificationem, non in destructionem vestram.* Hæc tria Apostolorum munera, & priuilegia diuisit, & dispersit alijs ministris. Nam primum id est, reuelationem diuinorum mysteriorum commisit Prophetis, & prædicatoribus. Secundum Euangelistis. Tertium Pastoribus. Apostolis verò omnia commisit ad creandos cœlos nouos; & terram nouam; illos voluit esse mundi instauratores; Saluatores, mundi lumina, Ecclesiæ Principes, & tandem in regeneratione secli iudices. Sic enim illis ait Christus Mat. 19. *In regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis, sedebitis & vos super sedes iudicantes, &c.* & iuxta dignitatem ministerij nomina dignissima illis communicauit, dum vocauit, *sal terræ, lucem mundi, &c. Vocauit igitur ad se Petrum, & Andream fratres: Venite post me.*

Chrysostomus in hunc locum eleganter ait: *Super charitatem fraternitatis Ecclesia posuit fundamenta, vt ex radicibus charitatis, quasi humor ascendat ad ramos, & super naturalem charitatem fratrum, quia firmior charitas: Frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma,* Prouet. 18. non satis est fraternitas carnis, & sanguinis: Nam Abel, & Chain fratres erant, & similiter Iacob, & Esau, sed Iacob dilectus, Esau odio habitus. Sed fraternitas spiritualis, & vnio in eodem spiritu est, quæ placet Deo: sicut gloriosi fratres Macchabæi, & Ioannes, & Paulus, quos eadem fides, & passio verè fecit esse germanos. Hæc est fraternitas per regium vatem laudata, cum ait; Psal. 131. *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum*: & Eccl. 25. *In tribus beneplacitum est Deo concordia fratrum.* Charitas enim vinculum est perfectionis, *Colos.* 3. quod animos vincit, & vnit. Pro hac animorum fraternitate orauit Christus ad patrem Ioan. 18. *O ro pater, vt sint vnum.* Et adeò illā diligit, quod Matth. 18. promisit; *Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum*; & id opere compleuit *Luc.* 24. Cum ibant duo discipuli in castellum Emaun-

Chrysost.

Vera fraternitas in eodem spiritu Deo grata.



ta, & appropinquans Iesus ibat cum illis Erant ergo Petrus, & Andreas fratres, non tantum carnis, sed arctiori vinculo cordis, & spiritus eidem ministerio piscationis incumbentes: odit enim Dominus desides, & otiosos. Placuerunt vtique diuinis oculis duo fratres mutuò se se iuuantes, Simon, id est, *obediens*, & Andreas, id est, *virilis*: quia patientia, & fortitudo, obedientia, & mutua charitas fundamenta sunt Ecclesiæ, Psal 91. *Bene patientes erunt, vt annuncient.* Sicut in arte militari obedientia, & patientia maximè necessaria sunt, sic ad spiritualem militiam his virtutibus præstantes duces elegit Christus, Petrum obedientem, & Andream fortem, & virilem. Sic olim initium nascentis Synagogæ (quæ typus erat Ecclesiæ) super duos fratres Moysen, & Aaron Dominus constituit Nunc autem, quoniam abundantior est gratia noui testamenti, super duas fraternitates inchoare voluit Christus Dominus ædificium nascentis Ecclesiæ: nempe super Petrum, & Andream, Iacobum, & Ioannem, fratres. Hæc est quadriga robustissima, & fortissima, quam vidit Zacharias *cap.* 6. vt explicat D. Hier. Isti fuère habitatione ciues, dilectione concordes, artificio pares, fraternitatis pietate coniuncti. Simul vocati sunt, ne tot bonis coniunctos dissimilis vocatio separaret: & vt hæc ciuitas Ecclesiæ, quam vidit Ioannes de cœlo descendere, imitetur illam cœlestem, de qua dicit: *Ciuitas in quadro posita est.*

Simile. *Zachar. 6.* *Hieron.*

Omnes ad se vocat Christus.

Sed & nos omnes vocat Christus, quia vult omnes homines saluos fieri. 1. *Tim.* 2. non excludit peccatores, imò non venit *vocare iustos, sed peccatores,* Matth. 9. & Luc. 15. *Hic peccatores recipit*; id quod Dominus confirmat inductis parabolis ouis perditæ, dragmę, & filij prodigi Publicanum vocauit ex Teloneo, latronem de cruce, Saulum de cœlo: & mille modis vocat, tam interna, quàm externa vocatione: Nunc per largitionem beneficiorum, nunc per plagarum inflictionem: nunc à mille periculis euocans, nunc morbis, & variis flagellis excitans. Hoc est, quod ait. Prou. *1. Vocaui, & renuistis, extendi manū meam, & non fuit, qui aspiceret, despexistis omne consilium meū, & increpationes meas neglexistis: ego quoq; in interitu vestro ridebo.* Sicut enim tumultus impedit auditum, ne audiamus vocantem, sic varij affectus cordis

Prouer. 1.

impediunt auditũ mentis. Vnde per Esaiam c. 44. vocat Dominus: *Redite praeuaricatores ad cor.* Hoc est illud; *audite audientes me, comedite bonũ, &c.* geminatio auditus emphasim habet: id est, vt bonum gustare, & comedere possitis, vtramq; aurẽ cordis, & corporis mihi præbete.

Deinde dupliciter vocat Dominus, quosdam enim vocat ad se; alios verò vocat, vt veniant post se. Prior quidem vocatio latius extenditur, vocat enim Christus Dominus omnes ad se, vt finem vltimum, & cẽtrum, in quo quiescamus. Aug. *Fecisti nos Domine ad te*: sic vocat per Esai. 55. *Omnes sitientes venite ad aquas*: omnes inuitat, quia, *diues est in omnes, qui inuocant illum.* Rom. 10. Et quamquam ad aquas inuitat, vinum, & lac gratis exhibet. Similiter Christus Dominus ad se vocat Matt. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Refectionem, & quietem offert *Inuenietis requiem animabus vestris.* Oportet vocationi Domini cõtinuo respondere. Sicut Samuel 1 Reg 3. *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Et Elisæus vocatus ab Elia statim sequutus est. 3. *Reg.* 19. Venire oportet non corporis gressibus, sed spiritus, iuxta illud Psal. 93. *Ibunt de virtute in virtutem.* Oportet pergere viam trium dierum per fidem: spem, & charitatem: Per cognitionem Dei, & sui, per spem futurorum bonorum; per dilectionem Dei, & proximi. Oportet tandem ambulare *dignè vocatione, qua vocati sumus. Ephes.* 1. Sed quia pauci sunt, qui sic satisfaciant vocationi suæ, dixit Dominus Matth. 22. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.*

Duplex vocatio Christi, ad se, & post se.

August.

Esa 55.

Electos verò, & maximè Apostolos vocat Christus secundo modo ad altiorem sequelam, & perfectionis statum: iis dicit; *venite post me*, quasi dicat, vos ad arduam viam voco; nam, *si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Hæc est Euangelica perfectio, quam Andreas secutus est. Sed & nobis omnibus Christus ducem se se exhibet. Quare ait, Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita*: ego sum medium, & dux: via siquidem est difficilis, & mille periculis interclusa: Psal. 31 *In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.* Et iterum Psal 106. *Viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt.* Iob. 28. *Semitam ignorauit auis: &*

Luc. 9.

Christus Dominus admonuit; *Arcta est via, quæ ducit ad vitam.* In tam difficili ergo via duces prouidere ingẽs beneficium est. Sic Apostolos, martyres, & Sanctos omnes huius difficilis viæ ductores esse voluit diuina bonitas. Neque sibi ipsi satisfecit, donec vnigenitum suum nobis in ducem itineris dedit: sicut per euangelicum
Esa. 30. Prophetam promiserat dicens: *Erunt oculi tui videntes*
Isai. 55. *præceptorem tuum; & aures tuæ audient verbum post tergum monentis: hæc est via, ambulate in ea.* Et iterum: *Ecce testem populis dedi eum ducem, ac præceptorem gentibus.* Vnigenitus siquidem patris testis fuit oculatus secretorum, quæ sunt in sinu patris, atque adeò idoneus præceptor. Fuit quoque dux adeò certus, vt à via deuiare nulla ratione posset, quia ipse erat via. Felices, qui tanti ducis ductum sequuntur. Beatus vir, qui post aurum non abiit, sed post Christum, cuius comparatione aurum arena est, & lutum. O miseri mortales fugite aurum, fugite Babylonem: sequimini Christum. Felices quidem filij Israel, quos Angelus Domini præcedebat, ad ostendendam viam in terram promissam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis. Arca quoq; Domini præcedebat castra, sed hæc in figura gerebantur felicitatis Ecclesiæ, & fidelium, qui veram arcam, & Angelum magni Consilij Christum sequimur præcedentem, columnæ, & virtutis Ecclesiæ firmamentum. O felicissimum Apostolum Andream, qui Christum viriliter, & fortiter secutus es. Ille te vocauit ad se: Tu fideliter & constanter sequutus crucem tuam patienter: imò gaudenter tulisti. Vestigia Christi secutus est pes tuus, vsque ad crucem: crucis amator, & Crucifixi verus discipulus extitisti; & per illum scalæ crucis innixum ardua, & inaccessa culmina beatitudinis ascendisti, verbo & exemplo viam nobis ostendens, qua Christus vocat electos, & vocabit benedictos patris, vt benedictionem hæreditate possideant: hæc est hæreditas gratiæ, & gloriæ.



IN EODEM FESTO,

CONCIO QVARTA.

De vocatione piscatorum.

THEMA.

Faciam vos fieri piscatores hominum. Matt. 4.

EVANGELICVS Propheta cap. 26. *Omnia* (inquit) *opera nostra operatus es nobis Domine Deus noster*: omnia enim bona, quæ operamur, à te procedunt: sine te nihil possumus facere. *Deus est* (ait Paul. Phili. 2.) *qui operatur in vobis velle & perficere.* Sicut enim Nauclerus vela nauis expandit, sed flatus venti impellit nauim: sic voluntas hominis, expansa flatibus Spiritus sancti agitur. Et quantò opus est altius, & dignius, sicuti est piscatio hominum, vehementiorem flatum Spiritus sancti requirit: Sic Paulus ait; *Abundantius omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum.* Hoc auxilium gratiæ ad munus Apostolicum promittit Christus Dominus Petro, & Andreæ dicens: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Et vt idem munus nunc ad Dei, & Apostoli sui gloriam, animarumque salutem dignè exequamur, per Virginem almam flatum Spiritus sancti petamus dicentes: *Aue Maria.* Simile.

Paulus Apostolus sacramentum illud Dominicæ incarnationis æternis temporibus tacitum, quod secundum beneplacitum voluntatis suæ reuelauit Deus Sanctis suis, summopere exaltans ad Ephe. 1. *Proposuit* (inquit) *in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt* Id, quod Esa. c. 43. prædixerat: *Ecce noua facio omnia, &c.* 65. *Ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam.* Et Ioannes Apostolus vidit *Apoc.* 21. Hanc verò vniuersalem rerum omnium instaurationem, & immutationem, per Christum faciendam in specie prædixit Esai. in agris, & plantis cap. 55. ait; *Pro saliuncula ascendet abies: & pro vrtica crescet myrtus,* Et quia hæc instauratio fieri non poterat Esa. 55.

 absque

Esa. 2. absque agrorum cultura, prædixerat cap. 2. *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces:* quibus propheticis inuolucris significabatur spiritualis instauratio mundi, & immutatio, conuersio nempe animarum, quæ vomere prædicationis apostolicæ, ex spinis & vrticis peccatorum in pulcherrimas, proceras, fructiferas, & odoriferas arbores erant immutandæ. Per verbum siquidem euangelicum, & munus apostolicum mirabiles fiunt animarum, & morum metamorphoses, & transmutationes: *viuus enim est sermo Dei, & efficax* (vt Paulus ait *Hebræorum* 4.) vim habet diuinam, & immutat homines in viros alteros. Atque hanc efficaciam Euangelij, & immutationem hominum futuram media prædicatione euangelica, videtur insinuasse Christus Dominus in hac prima Apostolorum vocatione: dum illos ex piscatione piscium, ad piscationem transfert animarum. Tum ex nomine loci: vocat enim iuxta mare Galilææ. Galilæa enim *rota* interpretatur: rectè ibi vocantur Apostoli, qui futuri erant rotæ quadrigæ Christi, & Euangelij. Rotæ facilè mobiles ad nutum Christi: Rotæ in puncto tangentes terram. Rotæ horologij, & totius ordinis Ecclesiæ. Galilæa quoque ab alijs interpretatur *transmigratio.* Atque adeò Christus Dominus instauraturus omnia commodissimè in Ciuitate Galilçe Nazareth conceptus: ad mare Galilææ Apostolos vocat, quasi instaurationis, & spiritualis transmigrationis ministros. Tum secundò, quia ait: *Faciam vos fieri piscatores hominum*, quasi dicat; Nolo tollere officium piscandi, sed materiam immutare. Hæc mutatio dexteræ excelsi Chrysostom. *Non naturam, nec officium mutauit, sed voluntatem emendauit.*

Verbum Dei mirabiliter trāsmutat.

Apostoli rota quadriga Christi.

Chrysost.

Prædicationis munus sublime.

Prædicationis munus altissimum; proprium Dei, qui ad hoc venit in mundum, vt piscaretur homines. Sublime munus, & difficile ministerium Christus instituit piscandi, non dignitates, non honores, non humanas laudes, non opes, neque lucra temporalia, sed animas, pro quibus sanguinē fudit. 1. Tim. 3. *Siquis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat:* non opes, non inanem gloriam. Zacha. 11. *O pastor, & idolum derelinquens gregem, &c.* Bonus pastor Petrus. 1. Pet. 5. *Pascite* (inquit) *gregem*

gregem Dei, non quasi dominantes in cleris, sed forma facti gregis, &c Bonus piscator Paulus 2. Cor. 12. *Non quæro* (ait) *vestra, sed vos*: & ad Phil. 4. *Non quæro datum, sed requiro fructum* Huius igitur Apostolici muneris dignitatem, & excellentiam significauit Christus Dominus in illa geminatione verbi dicens: *Faciam vos fieri piscatores, &c.* Siquidem ad creationem mundi satisfuit verbum: *Fiat*: ad creationem verò hominis, quia dignius erat opus; *Faciamus*: nunc verò, quia ad mundi instaurationem vocat Apostolos ait: *Faciam vos fieri piscatores hominum*, quasi dicat, ad excellētius munus voco, quàm fuerit mundi creatio: Voco enim ad restaurationem orbis. Verbum quoque est modestia plenum: quamquàm enim solus poterat piscatores efficere, sed, quia opus erat per Spiritum sanctum perficiendnm, dum illos confirmauit, & quia illos voluit honorificate, & coadiutores habere. Deinde, quia piscatio hæc spiritualis, munus est, quod petit industriam, laborem, exercitium, orationem, doctrinam, ieiunium, vigiliam, patientiam. Ps. 91. *Bene patientes erunt, vt annuncient.* Et quia prædicator tenetur hæc exhibere, sed sine Christo nihil potest, ideò dixit; *Faciam vos fieri.* Inanis est labor & industria nostra, nisi Christi adsit auxilium. Petrus per totam noctem laborans nihil cœpit, *Luc.* 5. donec laxato reti in nomine Christi conclusit magnam piscium multitudinem, Christus enim tollit impedimenta, difficultates. Esai. 40. *Erunt praua in directa, & aspera in vias planas.* Potens est diuina virtus, & gratia: Phili 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Et per Esai. 40. *Qui dat lasso virtutem, & his, qui non sunt, fortitudinem, & robur multiplicat. Deficient pueri, & iuuenes, qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, &c.* Faciam fieri, qui non poterat iuuare, iam potest: durus ad remittendas iniurias, emollitur, & parcit Impletur illud Esa 35. *Saliet, sicut ceruus claudus*: imò volat, sicut auis, quia assumunt pennas sicut Aquilæ. *Esa. 35.*

Cum igitur prædicationis munus adeò sit sublime, & vniuersale, varia sortitur nomina in scriptura Sacra. Aliquando .n prędicator dicitur, *vinitor*, propter munus resecādi palmites, & fructus colligēdi. Ose. 2. *Dabo ei vi-* *Prædicationis munus varia nomina.*

minibus explicatur. *nitores eius ex eodem loco*: sicut & Ecclesia dicitur, *Vinea*, Esa. 5. & Matt. 20. & alias sæpè, *Pastor*, qui Euangelio pascit oues, 1. Petri 5. *Pascite, qui in vobis est, gregem Christi.*
Ose 10. *Arator*, Ose. 10. *Triturator*, Esa 41. *Seminator*, Luc. 8. Imò
D. Greg. & *Bos*, Gregor. in illud 1. *Boues arabant.* Vocantur, *fontes, sagitta, fulgura, nubes, fluuij, tuba: sal terra, & lux mūdi*, Matth. 5. Nunc vocat Christus piscatores: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Euangelica ergo prædicatio piscatio est hominum. Ingens Dei beneficium fuit, hanc artem piscandi homines, Apostolos docere, vt diabolicam piscationem excluderent: diabolus enim ab initio piscatorem egit, cùm in paradiso primos parentes cibo pulchri pomi expiscauit: & quamquam tunc calamo expiscauit: sed inde tam potens piscator factus est; quod vniuersum genus humanum traxit ad rete suum: iuxta
Hieron. expositionem Hieronymi in illud Abacuc. 1. *Totum in*
Abacuc. 1. *hamo subleuauit, traxit illud in sagena sua, & congregauit in rete suum.* Et subdit: *cibus eius electus.* Tum quia iustos deuorare cupit. Tum quia iuxta cuiusque propensionem cibum elegit, & obseruat venam aquæ, quā quisque sequitur, & propinat cibum illi delectabilem. *Acude al corriente de su passion.* Diuitijs, delicijs, voluptate illaqueat. Voluptatem escam malorum vocauit
Plato. *Plato*, & sic expiscatur: & capto pisci filum piscatorium laxat, & extendit, ne rumpat, donec hamum deuoret. Habet diabolus magnum comitatum discipulorum piscatorum, maiorem multò, quam habeant omnes artes piscandi in locis maritimis, *Ni xauegas, ni almadrauas.* Nam si omne genus hominum, & illorum negotia attentè consideres, quid aliud in mundo inuenias, nisi piscatores, & negotiatores dignitatum, honorum, & pecuniarum, &c. Longus hic se se nobis campus insinuabat dicendi contra mundi piscatores auaros, qui nunquam satiantur pecunijs, contra quos clamat tota scriptura Sacra Sed Sapient. 15. habetur locus elegans: *Æsti-*
Sap. 15. *mauerunt lusum esse vitam nostram, & conuersationem vita compositam ad lucrum, & oportere vndecunque, etiam ex malo acquirere.* Sed de hoc alias

Piscator christus. Venit igitur filius Dei, vt dissoluat opera diaboli 1. *Ioan 3.* & hamo diuinitatis suæ esca carnis, & humanæ naturæ

naturæ tecto diabolum expiscauit arundine crucis, & filo pretiosissimi sanguinis. Ad hoc accessit nunc ad mare Galilææ, vt incipiat extrahere Leuiathan hamo: Sicut prædixerat Iob, *cap.* 40. quod D. Gregorius *lib.* 32. *cap.* 9. eleganter explicuit de Christo, qui pendens in cruce extracto diabolo omnia traxit ad se: vt ipse prædixit Ioan. 12. *Ego, si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum.* Impletum est Ezech. vaticinium: *Expandam super te rete meum, & extraham te in sagena mea.* Atque ad hoc piscandi munus Apostolos elegit dicens: *Faciam vos fieri piscatores hominum.*

Iob. 40. *Gregor.* *Ezech.* 32.

Iam verò quæstio illa animum pulsat, quare ad tam difficile tam industrium, & tam sublime ministerium pauperes, & imperitos homines, piscatores nẽpe, Christus Dominus elegit. Huic quæstioni respondet primo Paulus Apostolus, quòd ex hac vocatione splendet magis diuina gloria: sic enim ait 1. ad Corin. 1. *Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed, quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & quæ infirma sunt mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, vt ea, quæ sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* In hoc enim splendet maximè diuina gloria, quòd mundum suæ fidei subiecerit, non per sublimes in seculo, sed per abiectos, vt non glorietur homo, quòd per aliquam carnalem excellentiam saluatus sit, vel sapientiæ, vel potentiæ, vel nobilitatis, sed per despectos, & contemptibiles homines: quamquam posteà confirmata fide aliquos excellentes, & sapientes vocauit Dominus ad suum obsequium: initio tamen nascentis Ecclesiæ, ad ostensionem suæ gloriæ abiectos, & humiles piscatores elegit: iuxta illud Hier. 9. *Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitiis suis.* Et Esai. 2. *Incuruabitur omnis sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum.* Et cap. 23. *Dominus exercituum cogitauit hoc, vt detraheret superbiam omnis gloriæ, & ad ignominiam deduceret vniuersos inclytos terræ.* Simili tropo Regius Vates diuinam gloriam exaltat dicens: *Quis sicut*

Ex vocatione piscatorum magis splẽdet diuina gloria.

Hier. 9. *Psal.* 112.

Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo, & in terra. Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem: Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.

Elegit ergo piscatores, vt paruulis reuelet mysteria abscondita a sapientibus, ne conuersio mundi tribuatur excellentiæ carnis *La conquista del mundo no se ponga à cuenta del valor del saber, y poder de la carne.* Sic 2 ad Cor. 4. *Habemus thesaurum istum* (scilicet, diuinæ sapientiæ) *in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex*
Dan. 2. *nobis.* Statuam Danielis pedes lutei sustinebant. Sic olim vicit Dominus Pharaonem non curribus, non equis, neque exercitu, sed muscis, ranis, locustis, &c. Sicut & ipse Pharao, conuictus signo cyniphum dixit: *Digitus Dei est hic.* Clangore tubarum muri Hierico corruere *Iosue 6.* Madian quoque cecidit sub manu Gedeonis *Iudic. 7.* in trecentis viris cum lagenis confractis, lampadibus accensis, & tubis personantibus: quæ quidem aperta signa erant victoriæ diuini Verbi per Apostolos prædicandi:
Esa. 9. iuxta Esai. vaticinium cap. 9. *Iugum oneris eius, virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti: sicut in die Madian.* Per Iudith occisus est Holophernes, *Iudit.* 13. Ex octo filijs Isai Dauid minimum pascentem oues elegit Dominus 1. *Reg* 19. in Regem Israel Goliath Philistæum Gigantem fortissimum per ipsum Dauid adhuc puerum, militiæ imperitum, & inermem voluit funda vinci, proprioque gladio iugulari 1. *Reg.* 16. & c. 30. Amalechitas per seruum ægrum, & lassum tradidit in manus Dauid. Regem quoque Iabin humiliauit Dominus sub Delbora prophetide interfecto duce Sisara per Iahel fœminam, vt habetur *Iudic.* 4. Quare cecinit Delbora: *noua bella elegit Dominus:* non in exercitu, neq; in robore, sed in spiritu meo dicit Dominus, *Zacha.* 4. Ecce quam rectè dixerit Apostolus: *infirma mundi ele-*
D. August. *git Deus, &c.* Augustinus in illud Psal. 65. *Date gloriã laudi eius,* & in illud Psal. 149. *Vt faciant in eis iudicium conscriptum,* & *ser. de Kalend. Ianuarij*: Non elegit Reges, aut Senatores, aut philosophos, aut oratores, sed Plebeios, pauperes, & indoctos piscatores, vt superborũ frangeret ceruices, non quæsiuit per oratorem piscatorem,

sed de

sed de piscatore lucratus est Imperatorem: Magnus Cyprianus orator, sed priùs Petrus piscator.

Dum igitur per piscatores prædicato Euangelio absque humanæ sapientiæ verbis victus est mundus, & cõuersus, manifestata est virtus Diuini verbi: iuxta illud Act. 4. *Comperto, quod homines essent sine literis, & idiotæ, admirabantur.* Est enim ingens argumentum pro fide, quòd pauci homines piscatores, rudes, indocti, & plebeij mundi sapientes, potentes, Principes, & oratores ad Christi iugum traxerint: neq; ad res faciles, vel delicias, sed ad mundi contemptum, ad carnis mortificationem, ad sui deniq; abnegationem, & crucem tam spontaneos allexerint: id sane nisi pater cœlestis cooperaretur, & traheret, humana industria fieri nullatenus poterat. Quo argumento vsus est Augustinus *tom 4. li. vnico de fide rerum inuisibilium propè finem.* Apostolorum enim sapientia non erat terrena, quam filij Agar exquisierunt, *Baruc.* 3. & *Iacobi* 3. nec sapientia Ægyptiorũ, in qua Moyses instructus fuit: vt dicitur *act. 7.* Sed erat sapientia cœlestis descendens a Patre luminũ, *Iacob.* 1. quam abscondit à sapientibus, & reuelauit paruulis. Sic Salomon sapientia reuelata instructus dixit Prou. 30. *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecũ: non didici sapientiam, nec noui scientiam sanctorũ.* Quis ascendit in cœlum, atq; descendit? Quis continuit spiritum in manibus suis? Is sanè filius Dei est, qui descendit, ipse est, & qui ascendit. Eph. 4. Ipse est, qui Spiritum sanctũ manibus suis continuit, & Apostolis dedit, cum dixit: Ioan. 20. Accipite Spiritum sanctum. Et cum in die Pentecostes Spiritum sanctũ super eos misit. Tunc impleuit promissum illud Luc. 21. Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterũt resistere omnes aduersarij vestri. Hac cœlesti sapientia instructus Paulus dicebat. 1. Cor. 2. *Ego cum venissem ad vos fratres, veni nõ in sublimitate sermonis, aut sapientiæ:* & Subdit: *Sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilib. humanæ sapiẽtiæ verbis, sed in ostẽsione spiritus, & virtutis, vt fides vestra nõ sit in sapiẽtia hominũ, sed in virtute Dei.* Aug. *lib. 4. de doct. Christiana cap. 5.* Qui eloquenter, dicũt suauiter, qui sapiẽter, salubriter audiũtur; propter quod Sapi. 6. scriptum est: Multitudo sapientum

Piscatorũ prædicatio fidem confirmat.

August.

Matth. 11.

D. August.

Sap. 6.

tum sanitas est orbis terrarum, non multitudo eloquentium.

Humanas electiones damnat exemplum Christi. Deinde Christus Dominus damnat mundi electiones, assumuntur enim, & eliguntur ad dignitates, ad officia, & beneficia, potentes, diuites, sanguine, vel amicitia coniuncti. Exod. 18. *Prouide de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & oderint auaritiam.* Damnat item Christus Dominus vitium acceptionis personarum. Esa 5. *Væ, qui iustificatis impium pro muneribus*, & Prouerb. 17. *Qui iustificat impium, & condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Dominum*; Prou. 20. *Abominatio est Domino pondus & pondus* 1. Reg 16. *Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius.* *Prou. 24.* Prouerb. 24. *Cognoscere personam in iudicio non est bonum.* Rectè pingebatur iustitia cum libra, & gladio in manibus, & opertis oculis. Deuter. 10. *Deus personas non accipit, neque munera.* & ad Rom 2. *Non est acceptio* *S. Thom.* *personarum apud Deum*, de qua re S. Thom. 2. 2. *quæst. 63.*

In electione piscatorum splendet diuina potentia. Tertiò in vocatione piscatorum ad munus Apostolicum manifestatur diuina potentia: nam humana electio non tribuit sufficientiam, neque idoneitatem electis: diuina verò electio confert idoneitatem, & omnem sufficientiam necessariam ministerio: sic promisit Apostolis Spiritum sanctum in Magistrum, Ioan. 14. *Ille vos docebit omnia*: & ita docuit, & tribuit os, & sapientiam, & charismatum dona. Vnde Paulus Apostolus ex persecutore factus vas electionis, & Doctor Ecclesiæ ait 2. Cor. 3. *Sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti* Rectè Dauid Psal. 64 *Beatus, quem elegisti.* Et vt hæc diuina potentia amplius manifestetur, voluit Dominus dignitatem apostolicam coniungere humili piscationis ministerio, vt opposita iuxta se posita *Ioan. 1.* magis elucescant. Sic Ioannes, vt Dei potentiam in mysterio incarnationis ostenderet, coniunxit duo illa extrema: *In principio erat Verbum, &c. & Verbum caro factum est.* Paulus similiter ad Philip. 2. *Cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit.* Sic Dauid in Psal. 112. *De stercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus.* Splendet igitur diuina potentia, dum piscatores elegit in Magistros, & Doctores mundi.

Quar-

Quartò elegit piscatores, vt splendeat suauis Dei dispositio, qua disponit omnia suauiter, & secundum rerum naturas. Tum quia humiles, & pauperes facilius obediunt diuinis præceptis, quàm diuites, & potentes, *No saben dezir de no.* Pharao, dum audiuit præceptum Domini, respondit: *Nescio Dominum*: & *Israel non dimittam*: Et iuuenis ille, qui audiuit à Christo: Matth. 19 *Vende, qua habes*; *recessit tristis*; *erat enim habens multas possessiones.* Et Ioan. 7. *Nunquid aliquis ex Principibus credidit in eum?* humilis facilius obedit: & dum meminit vilis conditionis suæ, magis humiliatur, & Deum exaltat: hæc humilis sui cognitio fundamentum est magnæ fabricæ: *rara Virtus humilitas honorata.* Tum secundo, quia gratia non destruit naturam, sed perficit, & prouidet munera secundum naturalem captum, & propensionem. Eleganter Augustinus docet, quòd sicut Agricola considerat conditionem terræ, sic Dominus Moysen: qui adhuc incultus non tulit necem proximi sui, quin illam vindicaret, elegit in ducem populi sui. Dauid quoque ex pastore ouium elegit in pastorem, & Regem populi sui; sicut in Psal. 77. ipse cecinit: *De post fætantes accepit eum.* Sic Matthæum ex ratiocinijs Telonæi in Euangelicum scriptorem transtulit: *Matth. 9.* Et Magdalenam ex amore seculi ad diuinum amorem exaltauit. *Al talle de cada Vno le llama, y guia.* Sic Petrum, & Andream piscatores ad piscationem animarum. Chrysost. *Futura dignitatis gratiam artificij opere prophetabant.*

Exod. 5. *In electione piscatorum splendet suauitas diuina dispositionis.* *D. Bern.* *August.* *Chrysost.*

Quintò elegit hos piscatores, quia inuenit illos non desides; & otiosos, sed suo ministerio intentos: Petrum, & Andream mittentes rete in mare: Iacobum, & Ioannem reficientes retia. Tum vt prælati & principes intelligant munus suum non esse vanitatis, & otij: sed laboris, curæ, & industriæ: Piscator enim, & nauta semper vigilant, & laborant. Tum, quia, qui suæ vocationi intendunt, placent diuinis oculis. Ioseph consuluit fratribus, vt placerent Pharaoni: Dicite: *Viri pastores sumus ab infantia nostra: & nos, & patres nostri.* Gen. 44. Moyses cum minaret gregem, vocatus est, Exod. 3 Elisæus ex aratro ab Elia. 3. Reg. 19. Dauid 1. Reg. 17. vicit Goliath non armis alienis Saul, sed proprijs in funda, & lapide.

Muneri suo quilibet intendat: non alieno.

Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Eos, qui suo muneri intendunt, Christus Dominus benigne intuetur: & ad se vocat, tam rete iacientes in mare, quam reficientes: vtrumque munus est Apostolicum: euangelica retia laxare in capturam, & retia reficere. Non enim omnibus omnia expediunt: oportet cuiusque statui, & captui doctrinam accommodare: Oportet & retia propriæ conscientiæ reficere. Sæpè enim per peccata rumpitur rete: oportet & mores hominum impiorum, qui rete rumpunt, per correptionem reficere: & retia ambitionis, quæ illaqueant, atque telas aranearum rescindere. O quam multi piscatores temporalium, quam pauci reficiunt retia rupta, quam pauci reficiunt proximos indigentes! Esa. 28. *Reficite lassum.* Hæc omnia docuerunt nos gloriosissimi piscatores: inter quos Andreas vtrumque munus vsque ad crucem gloriosè præstitit. Refecit retia, & misit in mare: & vt melius piscaretur in altum crucis conscendit. Vnde biduo prædicans plusquam viginti millia hominum expiscatus est: & sibi expiscatus est gloriam.



IN

IN EODEM FESTO,

CONCIO QVINTA.

De prædicatione Euangelica.

THEMA.

Faciam vos fieri piscatores hominum. Matth. 4.

VERBA sunt Christi ad duos discipulos Petrum, & Andream ante cæteros vocatos, quibus notum fecit ministerium, ad quod vocat: nempe ad animarum salutẽ, ad quod, ante mundi constitutionem ab æterno Patre in Christo erant prædestinati, & electi, vt Paulus ait ad Ephes. 1. & ad quod ipse Christus elegit: sicut in nocte cœnæ dixit collegio sacro: *non vos me elegistis, sed ego elegi vos; vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat: Vt quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* Ioan. 15. Nos quoque munus illud apostolicum, quamuis indigni, profitemur. Electi sumus, vt fructum animarum afferamus. Petamus igitur a Patre luminum in nomine Christi gratiam Spiritus sancti dicentes: *Aue Maria.*

Vaticinium illud Hierem. 16. *Ecce ego mittam piscatores multos, & piscabuntur eos, & post hac mittam eis multos venatores, & venabuntur eos.* Hiere. 16. Piscatorũ vocatio à prophetis prædicta. Aliqui interpretes de Chaldæis, & Romanis, qui miserum populum deuastarunt, interpretati sunt: D. tamen Hieron. lib. 3. in Hierem. melius asserit in hac piscatorum vocatione ad Apostolatum fuisse impletum. Hieron. Id quod fusiùs, & eleganter disserit lib. 14. in Ezechiel in simile vaticinium: Ezech. 47. *Stabunt piscatores ab Engaddi vsque ad Engallin, &c. Plurimæ species piscium erunt, sicut pisces maris magni.* Totum illud cap. Ezechiel de visione aquarum egredientiũ de templo, explicat Hieronymus, de aquis baptismi, & Euãgelicæ doctrinæ, quæ intrantes mare mortuũ peccatorum, omnia viuificant. D. Hieron. Steterũt ergo piscatores

 ab En-

ab Engaddi vsque ad Engallin, quæ duo loca principiū, & finem tenent maris mortui. Cum Dominus hos felicissimos piscatores Petrum, & Andream vocauit, vt aquis baptismi, & euangelica prædicatione mundum mortuum, & peccatores mortuos viuificarent, homines expiscantes; neque caret mysterio locus; qui piscationi designatur *ab Engaddi vsque ad Engallin.* Engaddi namque oculus, siue fons hœdi interpretatur: Engallin verò fons vitulorum. Vterque fons typus est Christi Saluatoris, qui ad altare mactatur in hœdis, & vitulis præfiguratus. Significatur igitur per principium, & finem maris mortui, vbique terrarum prædicandum Euangelium: ante Christum enim mundus mare mortuum erat, donec per aquas viuas baptismi, & Euangelij viuificatum
Zachar. 14 est: de quibus Zachar 14. Et vt hæc vita, quæ Christus erat, mari mortuo communicaretur, præcepit discipulis: Marc. vltimo. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et hoc est, quod subdit Pro-
Ezech. 47 pheta Ezechi. *Et plurima species piscium erunt*, quos pisces mittens Petrus iubente Domino ad dexteram nauigij rete extraxit: Ioan. 21. *& erant numero centum quin-*
D. Hier. *quaginta tres.* Citat Hieronym. Oppianum Cylicem poe-
Oppianus. tam doctissimum, qui secutus opinionem eorum, qui de animantium scripsere naturis, tam Græco, quàm Latino sermone asserit centum quinquaginta tria esse genera piscium, quæ omnia capta sunt ab Apostolis, & nihil remansit incaptum, dum omne genus hominum trahitur ad salutem.

Cæterùm cùm ita verum sit, quod per verbum Euangelicum homines trahuntur de morte ad vitam, quare Saluator prædicatores piscatores vocauit, cum piscatio trahat pisces ad mortem? Multa quidem sunt, in quibus Euangelij prædicatio piscationi persimilis est. Primò namque *aquæ populi sunt, gentes, & linguæ*: vt dicitur Apoc. 17. Deinde, quia mundus mari assimilatur, sicut enim mare nunquam quiescit, procellis, & ventis semper agitatur. Dan. 7. *in mari pugnant quatuor venti*: Sic videas vndas, procellas tentationum, negotiationum, & vanitatis tumentes fluctus; & ventos. Iudas Apostolus in sua canonica potentes seculi vocat *fluctus feri maris.*

Prædicatio in multis piscationi assimilatur.

Iudas.

Secun-

Secundò mare mortuos à se repellit: Sic Ioannes 15. *quia de mundo non estis, propterea odit vos mundus.* Tertiò pisces maiores minores deuorant. Abac.1. *Quare non respicis, &c. Deuorante impio iustiorem se? Et facis homines quasi pisces maris*: Psal. *insidiatur, vt rapiat pauperem.* Quartò, Eccl 43. *Qui nauigant mare, enarrant pericula eius.* Sic mundus plenus est periculis 1 Cor. 11 *Periculis fluminum, periculis latronum, &c.* Bernar. *Periculum probat transeuntium raritas, & pereuntium multitudo.* Quintò: in mari monstra, cantus Sirenarum: mundus plenus est monstris, & adulatione. Sextò: aquæ mundi sicut & maris salsissimæ sunt, & amaritudine plenæ, supra amaritudinem aquarum Marath; Et Hierico 4 Reg. 2 & quamquam peccatoribus dulces appareant: qui (vt Iob.30.ait) *esse sub sentibus delicias computant*: Hierem.2 *& nunc quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam?* Christi verò aqua dulcis sitim extinguit. Ioan. 4. *Qui biberit ex illa, non sitiet iterum.* Septimò: mundus assimilatur mari in voracitate: Eccl. 1. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat*: mundus, & mundani nunquam satiantur pecunijs, voluptatibus, delicijs, & honoribus: semper dicunt sicut *sanguisugæ filiæ: affer, affer* Prouerb.30. Legatur Gregor.lib.18. mor.cap.19. in illud Iob. 28 *mare loquitur, non est mecum.* Olim longè erat à mari Dominus, nunc verò ambulat *iuxta mare*; imò venit *in altitudinem maris*. Psal.68.

D. Bern.

Esai. 3.

Hierem. 2.

Gregor.

Pisces quoque mundanis hominibus persimiles sunt, qui sub aquis deliciarum delectantur, fortes, & veloces hucilluc cursitant, nunquam quiescunt. Ad hæc prædicationem euangelicam sub nomine regni cœlorum Saluator dixit similem esse *sagenæ missæ in mare*: Matth. 13. Vbi Ambros. *sagena suberes habet desuper, plumbum inferius, & in medio rete lineum contextum*: sic prædicatio nectitur non retibus negotiationum, de quibus Esai. 6. *Confundentur, qui operantur linum plectentes, & texentes subtilia*: sed oportet nectere subere misericordiæ, plumbo iustitiæ, funiculis, ac vinculis charitatis. Sicut per Oseam ait Dominus: *In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis.* Christus optat animas piscari, vinculis charitatis illaqueare, & ab aquis mundi educere. Hoc

Ambros.

Esa. 6.

Ose. 11.

C 3 illius

illius munus est, educere à tenebris Abyssi ad lucem gratiæ: Sicut Petrus bonus piscator ait: 1. Petr. 2. *Populus acquisitionis, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.* Atque hoc munus, & desiderium suum satis explicuit Saluator, dum postquam resurrexit a mortuis apparens tertiò discipulis, Ioan 21. iussit mitti *rete in dexteram nauigij, & prendiderunt piscium multitudinem copiosam: Et non est scissum rete:* vbi prędestinatorum numerus significatus est: qui obediunt Euangelio, neque rumpunt rete De quibus dixit Christus Matth. 13. *In consummatione cum impleta fuerit sagena, boni eligentur in vasa* Id quoque apertè indicauit, dum *post insignem illam piscationem, comedit partem piscis assi,* quia; qui charitatis igni ardent, cibus sunt Christi.

Matth. 13.

In piscatione spirituali, & temporali intenditur mors piscium, diuersimode tamen.

D. Bern. Cant. 5.

Tandem, vt quæstioni initio propositæ satisfaciamus: in hoc quoque euangelica prædicatio piscationi similis est, quod in vtroque ministerio mors piscis intenditur: diuersimodè tamen, quia in materiali piscium captura potissimus, & vltimus finis piscis est mors ipsius, vt comedi possit: in spirituali verò piscatione animarum finis quidem vltimus, & potissimus est ipsarum salus, & vita. Cæterùm, vt hanc vitam consequantur, oportet, vt mundo, & peccatis moriantur. Sicut Paulus ait 1 Cor. 1. *vt peccatis mortui iustitiæ viuamus.* Et iterum: 2 Cor. 6. *quasi morientes; & ecce viuimus*; quia perfectio Euangelica in mortificatione sita est. Sic explicat Bernard. *de m. bene viuend. serm.* 16 illud Cant 5. *manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima*; explicat de mortificatione operum, quia per manus, & digitos opera designantur, Per myrrham verò mortificatio. Vnde Paulus: Rom. 8. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini* Diuina siquidem Sapientia abscondita est ab oculis omnium viuentium: Iob. 28. *nec inuenitur in terra suauiter viuentium* Gregor. in ea verba Iob adducit illud Exod 33. *non videbit me homo, & viuet.* Paulus Christum secutus, quasi priori vitæ mortuus, ait: *Christo confixus sum cruci: viuo ego, iam non ego: viuit verò in me Christus.* Galat. 2. Et iterum, *mihi mundus Crucifixus est, & ego mundo*; & vt mundo Crucifixus,

Iob. 28. D. Greg. Exod. 33.

cifixus, & mortuus iustos crucis Christi sectatores sic alloquitur ad Colos 3. *mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, &c. mortificate ergo membra vestra,* id quod explicuit 1. Cor. 2. *Qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur*: sicut enim piscis perfectio consistit in hoc, vt ab homine comedatur, ad cuius obsequiū creatus est, nequit autem comedi, nisi prius moriatur, & præparetur: Sic neque homo potest consequi perfectionem suam, neque præparari in cibum diuinæ mensæ, nisi moriatur, & præparetur. Præparatur verò per crucem, per patientiam, & laborum tolerantiam, atque per sui abnegationem, & mortificationem. Id quod Petro in piscatorem euangelicum iam electo in mirabili illa visione lintei ter ostensi voce Domini dictum est. Act 10. *Surge Petre, occide, & manduca*: oportet enim mori, vt sis cibus aptus mensæ cœlesti. Paraphrasis Chaldæa confirmat hanc veritatem in illud Hiere. 16. *Ecce ego mittam piscatores multos, &c* Sic vertit: *mandabo populis occisoribus.* Apostoli vtique & Apostolici viri populi sunt occisores, qui peccatores extrahunt à tenebris Abyssi ad lucem diuinæ gratiæ, ex cauernis aquarum deliciarum, & vitiorum ad crucis amorem, & mortificationem. Quid enim aliud significat vox illa Domini Iesu Matth. 10. *Nō veni pacem mittere, sed gladium*? Concinit quoque visio Ioan. Apocalyp. 1 *Ex ore ipsius procedebat gladius ex vtraque parte acutus.* Id, quod Paulus explicuit Ephes. 6. *Assumite gladium spiritus, quod est Verbum Dei.* Elegantissimè verò id differit ad Hebræ. 4. *Viuus est sermo Dei, & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, &c. Discretor cogitationum cordis.* Ecce miros effectus diuini verbi, quòd subtilius multò quàm gladius, non tantùm corpus, sed animam ipsam, & voluntatis operationes, & amorem proprium discernit, atque mortificat.

Hiere. 16.

Matth. 10.

Apoc. 1.

Verùm cum hæc mortificatio ordinetur ad æternam vitam, imò ipsa mortificatio crucis sit vera vita, & piscatio euangelica non sit captura ad mortem, sed ad vitā, & libertatem euangelicam Rectè Caiet. illud verbum Domini ad Petrum Luc 5. *Ex hoc iam homines eris capiēs*: legit ex Græco: ex hoc iam viuos eris capiens. Eleganter D.

Caiet.

August. Augustinus (vt solet) adnotauit in duabus piscationibus Apostolorum, quæ habentur Luc. 5 & Ioan. 21 (quarum secunda fuit post gloriosam Christi Domini resurrectionem) totam Ecclesiam fuisse figuratam: in priori quidem illa, in qua concluserunt copiosam piscium multitudinem, ita, vt rumperetur rete, militans Ecclesia figuratur, in qua sæpè à peccatoribus rumpitur rete euangelicum. Secunda verò piscatio Ecclesiæ triumphantis typus fuit. Tum quia post Christi resurrectionem, tum quia ad dexteram nauigij facta est, ad quam vocandi sunt electi, & benedicti patris cœlestis. Tum tertiò, quia in secunda illa piscatione non sunt capti, nisi magni pisces numero centum quinquaginta tres, quo numero significatur numerus electorum, qui sunt in superna felicitate locandi: cum eligentur boni pisces ab Angelis in vasa, *mali autem foras mittentur*. Matth. 13 In prima igitur piscatione, quæ nunc fit per Euangelium, necesse est, vt pisces moriantur, vt in secunda piscatione resurrectionis viuant. Imò ipsa quoque mortificatio, cum voluntaria sit, & propter Christum, maiori dulcedine, & iucunditate spiritus plena est, quàm vita deliciosa peccatorum: de qua morte satis congruè accipi potest illud Eccle. 30. *melior est mors, quam vita.* De hac morte, quam *D. Greg.* in electis suis Dominus efficit; explicat D. Gregor. 12. *Ose. 13.* mor. cap. 8. illud Ose 13. *Ero mors tua, ô mors.* De qua *D. Bern.* morte multa luculenter disserit Bernar *serm. 52. in Cant.* *num. 23.* vbi adducit illa verba Balaam Num. 23. *Moriatur anima* *Cant. 8.* *mea morte iustorum.* Et Cant. 8. dicitur: *fortis, vt mors, dilectio*: quia dilectio ad hanc mortem deducit. Honorificum vtique munus nobis commissum est, ad quod Saluator ipse primùm à patre missus est, ad quod Apostolos vocauit, quod nobis prædicatoribus iniunxit, vt homínum piscatores simus, illos capiamus, & captos mortificemus, vt in æternum viuant.

Sed (proh dolor) quàm paucos expiscamur. Impletur *Esa. 19.* illud Esai. 19. *Mærebunt piscatores, & lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, & expandentes rete super faciem aquarum emarcescent, &c.* Dicere possumus cum Petro; Luc. 5. *Domine per totam noctem laborantes nihil cæpimus.* Vtinam non sit piscatorum culpa: si fortè (quod absit à

tam

tam sancti muneris professore) per noctem, & in tenebris conscientiæ ipse existens præsumat pisces ad Lucem gratiæ extrahere; vel, si cum piscatoris munus silentium, & patientiam desideret, ipse cum tumultu tanquam venator populi auram arroganter aucupari velit, neque ad dexteram nauigij rete mittat iuxta Domini consiliū; sed ad sinistram: & ad hoc subtilia, potiùs, quàm vtilia prædicet: vt D. Hieronym. adnotauit in illud. Esai. 48. *Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia*: Hier. *non subtilia*. Act. 19. prædicante Paulo Ephesijs, *multi, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt eos coram omnibus.* Adamus curiosè secutus fructum arboris scientiæ, amisit fructum ligni vitæ, Gen. 3. Vtinam non sic prædicatori contingat. Potissima tamen culpa pisciū est, quia plurimi rete euangelicum omnino fugiunt: vt magnates, negotiatores, & delicijs dediti. Ex his verò, qui conciones audiunt, velut pisces callidi escam exteriùs corrodunt, non tamen deglutiunt, ne hamum deuorent: curiosa notant, laudant, extollunt: & iuxta Ezechi. vaticinium c. 33 *in canticum oris sui sermones vertunt, & fit eis quasi carmen musicum, quod suaui, dulcique sono canit.*

Caueant prædicatores, quomodo munus exerceant.

Hieron.

Hieron.

O pisces, ô fideles animæ cauete, ne forte esca Euangelij fiat vobis in venenosum cibum, *& in muscipulam pedibus insipientium.* Sapi. 14. Contendite ingredi rete, quia multi quærent intrare, & non poterunt: Luc. 14. Alij nec intrant, nec ingredi alios sinunt: contra quos inuehitur Christus Dominus: Luc. 11. *Væ vobis scribæ, qui non intrastis, & eos, qui intrabant, prohibuistis* Alij ingressi, & capti euangelicæ obedientiæ sacram captiuitatem, & suaue iugum non ferentes retia rumpunt. His dicitur per Hierem. c. 2. *à seculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea: & dixisti, non seruiam* O filij hominum creati in pisces, & cibum diuinæ mensæ, fugite sagenam diaboli, retia mortifera. Accedite ad retia euangelica, quæ licet nunc mortificent, sed mortificant ad vitam: *& vincula illius alligatura salutis.* Eccl 6. O felicissimum piscatorem Andream, qui relictis retibus suis reti euangelico irretitus plurimos secum in rete induxit: & in altam crucem summa cum animi alacritate ex-

Hiere. 2.

altatus, biduo viuens non cessauit à captura piscium, qui per illius verbum, & exemplum cognouerunt, quam suauis est Dominus: & quam pretiosa sit in conspectu Domini mors sanctorum eius: siquidem illos transfert ad terram viuentium in æterna requie Gloriæ.

IN EADEM FESTIVItate B. Andreæ Apost.

CONCIO SEXTA.

De sequela Christi.

THEMA.

Continuo relictis retibus secuti sunt eum. Matth. 4.

Ioan. 8.



IOANNIS 8. Ait Dominus: ***Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen Vitæ.*** Hanc lucem secuti sunt gloriosi Apostoli, & maximè Andreas, cuius solennia hodie agimus, atque adeò, cum in cruce pendens Spiritum Domino reddidit, ***circumfulsit illum lux de cælo.*** Vt ipsius gloriam dignè explicare valeamus, petamus à Domino, qui in manibus abscondit Lucem. Iob. 36 ***Vt emittat lucem suam.*** Iob ignorabat, in qua via lux habitet, nobis autem reuelauit Dominus per Spiritum suum viam lucis esse Mariam: per illam nobis communicatur lux diuinæ gratiæ: per ipsam petamus dicentes: ***Aue Maria.***

Moyses Israelitici populi ductor in terram promissam tactu virgæ maris Rubri aquas diuisit in diuisiones, & semitas varias: Psal 135. Siue in duodecim sectiones pro duodecim tribubus, vt celeriùs transirēt, vt tradunt Hebræi, & Epiph. hære. 64. Inter filios Israel Aminadab abnepos

D. Epiph.

nepos Iudæ pater Naaſon Princeps Tribus Iuda fertur primus fuiſſe, qui ad vocem Moyſi ipſum ſecutus in alueum maris ingreſſus eſt Sic nunc tactu efficaci diuinæ vocis Chriſti ad mare Galilææ inter medios mundi fluctus multiplex via ad beatitudinem patêre cœpit. Et Andreas Chriſtiani populi princeps tanquam alter Aminadab, qui princeps populi interpretatur, primus vocem Domini ſecutus per mundani pelagi vndas intrepide, & conſtanter Chriſtũ ſequi nos docuit Primos inuentores omnium artium magna gloria ſemper celebrauit antiquitas. Enos filius Seth Geneſ. 4. *primus inuocare cœpit nomen Domini.* Abrahamum, qui primus in Ægyptios Aſtrologiam inuexit, celebrarunt Ægyptij. Lucius Papytius laudatur horologij inuentor. Papyri Aſpaſius, picturæ Syconius, vinearum prima cultura vinique exprimendi inuentio Noe tribuitur: eaq; ratione dictus eſt Ianus: quia Iein Hebraicè ſignificat vinum. Cultus terræ Cereri; Aratri inuentio Prigæ Athenienſi, vel Oſyri Ægyptio: Salinarum ars Anco Martio tribuitur. Typographiam, & tormẽta bellica, ſiue bombardas dicuntur inueniſſe Germani. Alij inuenerunt alia inſtrumẽta bellica, alij nautica, mercaturas alij, alij menſuras, & pondera, alij fabricam auri, æris, & metallorum, alij vehicula, quadrigas, alij ludos, alij muſicã. Sabianus Papa ſexageſimusquintus poſt Petrum anno Domini 603. cymbalorũ vſum in Eccleſia prim⁹ inſtituit. *Vitelianus* ſeptuageſimusquintus à Petro anno circiter 656. cantum organis coaptauit primus. Quantò potius celebrandus eſt B. Andreas, qui primus inter Apoſtolos Chriſtũ ſecutus eſt, quaſi primogenitus Eccleſiæ, *el mayorazgo de la igleſia.* Dux Chriſtianæ militiæ, Primus Chriſti aſſecla. Si primis militibus, qui hoſtiũ mœnia viriliter aggrediuntur, & ingrediuntur, multũ debetur, quid non debemus Andreæ, qui primus ſub Chriſto duce Chriſtianam militiã contra diabolũ viriliter inchoauit: & per crucem aſcendens, & Chriſtũ inſequens aereas poteſtates debellauit? Si Aminadab laudatur, quia primus ingreſſus eſt mare Rubrũ, quantò potius laudabimus Andreã, & tres ſocios Petrũ, Iacobum, & Ioannẽ, qui vt equi fortiſſimi ducunt primã quadrigã Eccleſiæ ad metam euangelicæ legis, & perfe-

Aminadab primus ingreſſus eſt mare Rubrum.

Primi inuentores artium celebres.

Noe Ianus dictus.

Andreas primogenitus Eccleſia.

perfectionis: quam vidit Ezechi. c. 1. & Zachar. c. 6. quorum perfectionem imitari, & vestigia premere optans sponsa trepidat: vnde Cant. 6. ait: *Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.* Meritò enim expauescit, & conturbatur fragilis homo: tam excelsum robur, & animi constantiam in hominibus cernens. Iob. c. 6. trepidans ait: *neque fortitudo lapidum fortitudo mea, neque caro mea ænea est.* At fortitudo Andreæ lapidum, & æris fortitudinem superat *Fortis est, vt mors dilectio,* Cāt. 8. imò morte fortior, siquidem cum illa biduo constantissimè, imò gaudenter luctatus, mortem vicit: & morte debellata gloriam, & æternam palmam præripuit, cœloque intulit.

Meritò exultant gloriosi Apostoli dum dicunt Christo Domino: *ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te,* Matth. 19. Nemo enim potest consequi finem vltimū beatitudinis per vires naturæ. Quia arduum, *& altissimum posuisti refugium tuum,* Psal. 90. Vnde Saluator ait: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me*: Ioan. 14. oportet igitur omnino sequi Christum ducem: tum quia finis altissimus: tum quia *arcta est via:* & ipse Christus via est. Neque satis est verbo sequi Christum, sed opere & veritate. Pharisæis ait Christus: *Populus hic labiis me honorat,* Mat. 15. Ficulneæ folia habenti sine fructu maledixit Dominus, Matth. 21. *Non enim omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum,* Matth. 7. *Sed, qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est:* &, vt Dominus ait per Esai cap. 44. Non qui dicit: Domini ego sum; sed qui scribit manu sua Domino; ipse placet Domino: qui manibus, & operibus testatur se esse Domini Sic vtique scripsit Andreas proprio sanguine Domini se esse, verè relictis retibus, & omnibus, imò & seipso secutus est Christum. Sicut ait Euangelista: *continuò relictis retibus sequuti sunt eum* Si diuitem, si potentem sequerentur, nihil mirum: sed quod pauperes pauperem sequantur, nullis adhuc visis miraculis, (vt adnotauit D. Gregorius) sed simplici vocationi tam promptè obediant, id verò diuinæ virtutis argumentum est: & tamen nos, qui miracula vidimus, vel saltem per fidem facta credimus, flagellis quotidie atterimur, sequi contemnimus. Impletur

Oportet nō tantum voce, sed opere Christū sequi.

plectur illud Hier. 5. *Percussisti eos, & non doluerunt, attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam.* Est elegans locus prophetæ: oportet enim disciplinam accipere, & temporalia relinquere, vt Christum sequamur. Viri quidem Apostolici, & religiosi, qui paupertatis votum emittunt, vt Apostolorum imitatores tenentur cum affectu, & effectu omnia relinquere. Reliqui verò fideles omnes tenentur habere affectum, & animi præparationem ad relinquendum omnia, cum impedimento fuerint ad obseruantiam diuinæ legis. Si amicus, vel filius, si charissima quæque impediant, omnia relinquere oportet. Hoc est illud Matth. 18. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, &c.* Imò si patet impedimento fuerit, per calcatum perge patrem (vt Hieron. ait) & Christus Dominus Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & matrem, &c.* omnia impedimenta dilectionis Dei, & proximi retia sunt, quæ illaqueant, & muscipulæ pedibus insipientium. Sap. 14. Et Eccl. 9. *Sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo.* Hiere. 5. Matth. 18. D. Hieron.

Omnibus quidem expedit ad salutem terrena, quoad affectum relinquere, & ab illis animum auocare, ne nos illaqueent. Vnde in Psal. 61. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere,* ne rapido cursu cor in abyssum deferant, atque submergant. Optat verò Christus Dominus, vt animum à terrenis auocemus: ita vt (iuxta Pauli cõsilium. Cor. 7.) *qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur*: tum quia illa nobiscum deferre non possumus: prudens & generosum consilium est illa priùs relinquere, & (vt vulgo dicitur) *Ganar por la mano.* Secundò, quia terrena omnia vmbra sunt, & mendacia; Eccl. 34. *quasi, qui apprehendit vmbram, & sequitur ventum, &c.* Et Hierem. 6 *omnes apprehenderunt mendacium*: & Psal 4 *Vt quid diligitis vanitatem, & quaritis mendacium* Tum tertiò, quia vehementer dolet Christus, quod diabolum, & mundum adulterinos parentes sequamur. Hieron in ea verba Hiere. 17. *Perdix fouet, qua non peperit, &c.* ait, Dæmonem esse, sicut perdicem sterilem, quæ non parit oua, & furatur aliena, sed cum pullus adoleuerit, audita voce veræ matris perdicem deserit. Sic vtiq; fidelis anima audita voce D. Hieron.

Christi

Christi ipsum sequi eligit, & diabolum, mundum, & mũdana omnia deserit. Tum verò quarto maximè id videtur optare Dominus, quasi ex zelo amoris nostri, ne quid terrenum cor nostrum rapiat, & ab ipsius amore diuidat. Hoc est illud, quod per Prophetam ait: *Sepiam vias tuas spinis*: vt sic spinis puncta anima ad Dominum redeat. Spinæ sunt difficultates consequendi, & exequẽdi appetitus inordinatos: aduersitates, & flagella, quibus Deus nos pungit, vt ad ipsum cõuertamur, & sequamur.

Ose. 2.

Secundo verò loco arctiori vinculo tenentur Ecclesiastici terrena relinquere, vt Christum sequantur, ita saltem, vt iuxta præceptum Apostoli, 2. Tim. 2. *nemo militans Deo implicet se negotiis secularibus.* Tertio tamen loco religiosi, & Apostolicæ vitæ sectatores tenentur potissimum effectu, & affectu omnia relinquere. In primitiua Ecclesia primi fideles, qui perfectionem euangelicam profitebantur, facultates suas vendebant, & ponebant ad pedes Apostolorum: Act. 4. & quid mirum? Siquidem olim Iob in lege naturæ, cum diabolica forte solicitatione, & diuino permissu omnibus se spoliatũ vidit, æquo animo, & constanti pectore dixit: *nudus egressus sum ex vtero matris meæ, nudus reuertar illuc.* Multi quoque Philosophi diuitias, aurum, & pretiosa quæq; à se abdicarunt: Socra. Bias, Diogenes, Thales Milesius, Crates Thebanus, Pythagoras Samius, Fabritius Romanus, & plerique alij. Diogenes Cynicus offerenti sibi magna munera respuit dicens; hæc potius esse *onera iumentorum, quàm munera hominum.* Cæterùm hi nõ sunt secuti Christum, sed popularem auram, & vanitatem suã; non reliquerunt affectum, neque seipsos. In Christi autem sequela primus gressus est relinquere seipsum. Luc. 9. *si quis vult post me venire abneget semetipsum,* id est, propriam voluntatem deserat. Voluntas enim sacculus est rerum omnium, *Es Gorrita que todo lo traga.*

Bona temporalia onera sunt iumentorum.

Hi, qui cum Petro propriam voluntatem reliquerunt, dicere possunt: *ecce nos reliquimus omnia.* Ad hoc tenentur prælati, & qui perfectionis statum profitentur. Hi sunt, qui Deuter. 33. dicunt *Patri suo, & matri, nescio vos, & fratribus, ignoro illos: Et nescierunt filios suos*: Psal. 44. *obliuiscere populum tuum, &c.* Hi sunt Apostolorum imita-

imitatores, qui relinquunt omnia. Primò quidem oportet omnia relinquere, vt expediti sequamur, quia *altissimum refugium*, altissimus finis, vbi est *status bonorum omnium aggregatione perfectus*, vbi summum bonum *replet in bonis desiderium tuum*. Psal. 102. Qui ergo in montem ascẽsurus est, vbi *faciet Dominus conuiuium pinguiũ*. (Vt Esai. 25. prædixit) *& vbi sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in requie opulenta:* nimirum, quòd nunc ieiunet, & quod omnia relinquat. Secundò, quia Christus vocat ad iter arduum, ad ferendam crucem grauem super humeros, & ad luctam, & certamen. *Qui verò in agone contendit* (vt Paulus ait 1. Cor 9.) *ab omnibus se abstinet*. Et iterum 1. Cor. 4. *spectaculum facti sumus mundo, Angelis & hominibus*. In quæ verba Beatus Athanasius ait: *eo magnitudinis nostra certamina processerunt, vt digna sint à Deo, & ab Angelis spectari, & quod mundus stupeat*. Tertiò oportet omnia relinquere, vt sequamur Christum, quia ille vel ocyssimè currit, sicut dicitur in Psal. 18. *Exultauit, vt Gigas ad currendam viam*. Ille dux noster est, *qui cum esset diues, propter nos egenus factus est, vt illius inopia nos diuites essemus*. 2. Cor 8. Pauperem matrem elegit, pauperes discipulos: neque habebat, vbi caput reclinaret. Luc. 9. Si verbũ Ducis Abimelech ad suos milites, Iud. 9. *quod me videritis facere, citò facite*, adeò efficax fuit, vt ad vnum omnes cædentes, & deferentes arborum ramos ducem suum sint insecuti: cur ducem nostrum Christum expeditum, velociter currentem non sequemur? *Oportet deponere omne pondus* (vt Paulus docet. Heb. 12.) *& circumstans nos peccatum, vt per patientiam curramus, aspicientes ad authorem fidei, & consummatorem Iesum*. Diuitiarum pondus cursum impedit. Gen. 13. Vbi vulgata lectio habet: *Abraham erat diues valdè*: Græca lectio habet: *erat grauis vehementer*. Iacob. Gen 33 graui onere gregum, & familiæ fatetur se non posse sequi Esau: *Præcedat Dominus meus*, Iudas dixit militibus. 1. Macha 4. *Expugnate eos, & sumetis posteà spolia*. Ad Col. 2. *ne tetigeritis, neque contrectaueritis, quæ sunt omnia in interitu ipso vsu*.

D. Athan.

Genes. 13.

Hæc sunt retia, quæ Apostoli reliquerunt. Tum quia omnia temporalia retia sunt, & parui momenti; Maiestas Hie-

Temporalia o-

mnia vetta sunt. *Ezech.* 4. stas Hierusalem in paruo latere depingi iubetur. Ezech. 4. & omnes mundi monarchiæ in statua Danielis 2. depictæ tactu lapilli redactæ sunt quasi in fauillam. Paulus omnia arbitratur vt stercora. Tum quia illaqueant animas Potissimum verò oportet relinquere propriam voluntatem, & amorem proprium *Plinius.* Plinius lib. 9 *Elianus.* Elianus lib. 12. de Remora paruo pisciculo dicto, Echeneis dicunt, quod vim habet occultam detinēdi nauim. Nulla periculosior remora, quam philautia, id est, amor proprius. Esai 1. *Vægenti peccatrici, populo graui iniquitate.* *Amor proprius remora comparatur.* Et cap. 58 *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.* Struthio, & miluus inter immundas aues computantur. Leui 11. Struthio fingit se velle volare. Sic multi verbis, & ore voluntatem volandi effingunt. Miluus in *D. Bernar.* altùm volat; sed in terrenam prædam oculos circumfert. Bernard. in illa verba Esai. *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra*, docet neque ieiunium, neque vigilias, neque orationes, denique nulla bona opera grata esse Deo vbi regnat propria voluntas. Videas quam plures *habentes speciem quidem sanctitatis, sed virtutem eius abnegantes, plenos ambitione, inuidia, &c.* Nam qui habet propriam voluntatem, omnia habet, diues est. Vnde Christus ait Matth. 5 *Beati pauperes spiritu*, id est, qui voluntatem propriam propter Christum abnegant. Apostoli fuerunt verè pauperes, qui tam prompto animo propter Christum reliquerunt retia, vt eadem prōptitudine reliquissent regna, quia reliquerunt seipsos.

Meritò illorum velocitatem laudat Ecclesia, vocans illos nubes, & columbas, dicens: *qui sunt isti, qui, vt nubes, volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* Ea ratione *D. August.* Augustinus in Psal. 103. Dicit viros Apostolicos vocari passeres; qui nidificant super Cedros Libani, id est, potentes seculi, qui seruis Dei tradiderunt bona sua. Hi sunt animalia illa sancta Ezechielis cap 1. quæ ad impulsum spiritus ibant in similitudinem fulguris coruscantis: Et rotæ sunt, quæ in puncto tangebant terram, & cum eleuatis animalibus, eleuabantur ad motionem spiritus, *quoniam spiritus vita erat in rotis.*

Andreas primus Inter Apostolos Andreas primus velociter secutus est Dominum. Optimè illi conuenit, quod Prouer. 22. dicitur:

citur: *Vidisti virum velocem in opere suo, coram regibus stabit.* Neque caret mysterio noua figura patibuli Andreæ. Seruata fuit enim figura aspæ, & nostræ litteræ x, similis, quæ numerum denarium, & perfectionem euangelicæ legis significat: vt docet Isidorus lib. 15. Etymolog. c. 14. Crux enim regula est Christianæ vitæ: iuxta illud Apostoli: Ad Gal. 6. *Quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos.* Iapones quoque nuper ad fidem conuersi, cum primum viderunt Crucem vocauerunt illam, iumogi, quæ vox apud ipsos significat decem; quem numerum scribunt per X. Sicut & Hispani: quo significarunt litteræ x. similitudinem cum cruce, atque adeò figura ipsa patibuli perfectioni Apostoli Andreæ consona fuit Benedictio quoque Iacob super filium Nepthalim Andream respicit: fuit enim ex tribu Nepthalim, ad quē Iacob moriens dixit, Gen. 49. *Nepthalim ceruus emissus dans eloquia pulchritudinis.* Ceruus vtique fuit tum velocitate sequendi Dominum, tum ex virtute occidendi, & extrahendi serpentes ex cauernis halitu; id est peccatores spiritu labiorum, & euangelicæ prædicationis, vt adnotauit Ambrosius, in illud Psal. 28. *Vox Domini præparantis ceruos.* Dedit quoque eloquia pulchritudinis. Quæ enim pulchriora eloquia, quàm, quæ Andreas protulit in laudem, & amorem dilectissimæ Crucis? *O bona Crux diu desiderata, & iam concupiscenti animo præparata. O Crux ex membris Christi, tanquam margaritis ornata: amplexatur, exosculatur.* Nonne dabat eloquia pulchritudinis, dum biduo viuens pendebat in Cruce, & docebat populum?

per aspam Crucis secutus est Christum. Isidorus.

Ambros.

Illius igitur exemplo & nos Christum sequamur ducem. Nam si ex ore pantheræ tanta odoris suauitas procedit vt (teste Plinio) animalia domicilia sua deserant, vt illius odore fruantur. Cete quoque in mari pisces odore trahit, & Vnicornium animantia sequuntur, vt aquas ipsius cornu tactas, & purificatas bibant; cur Christum ducem non sequemur? Qui sanat omnem languorem, qui amaritudinem, & venenum aquarum mundi purificat, & in dulcedinem conuertit? Eloquium illius dulcedine, & suauitate plenum. Vnde Sponsa: Cant. 4 *mel, & lac sub lingua tua*: habet enim verba vitæ æternæ, vt Petrus ex-

trus expertus, & confessus est. Ioan. 6. Cæterùm, vt omnia mundi impedimenta vincamus, & omne onus deponamus, amorem proprium, & nos ipsos abnegemus, opus est: vt illum expediti sequamur. Atqui ille ducit ad amœna pascua virentia, ad vitæque fontes. Petamus igitur cum sponsa: *trahe me post te: curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Trahimur tribulationibus, currimus internis inspirationibus per odorem vnguentorum gratiæ ad montes aromatum gloriæ, ad quam nos perducat ipse Iesus Christus Dominus noster Amen.

Cant. 8.

Possemus quidem complures conciones conscribere, nolumus tamen lectorem multitudine grauare: cæterum concionaturis viam aperiemus; & quasi digito loca ostendemus, vt possint facili labore plures conciones conficere, & necessitati auditorum doctrinam variam accommodare: vt varietate delectatus animus, operum executioni promptiùs accingatur. Addemus meditationes, siue fragmenta in singula verba Euangelij.

In illud Euangelij: *Vidit duos fratres.*

Duos fratres Dominus vidit, & ambos vocauit Mundus verò vt vnum exaltet, alium deprimit. Vt Mardocheus exaltetur, Aman suspenditur. Ester. 7. Barabbas dimittitur, & Christus crucifigitur. Esai. 26. *coangustatum est stratum, & pallium breue, vtrumque operire non potest.* At Christus Dominus *omnes homines vult saluos fieri.* Et iterum ait Paulus. Rom 10. *diues est in misericordia. Para todos tiene.* Non exhauritur misericordia, neque potentia, *dites in omnes, qui inuocant illum.*

Secundo locus est ad dicendum de bono pacis, & de malo discordiæ, & diuisionis: ficta mater diuisionem filij petebat. 3. Reg 3. Et Ose 10. *diuisum est cor eorum, nunc interibunt. Vbi verò fuerint duo, vel tres, in medio eorum sum.* Matth. 18.

Tertiò vidit, oportet attentè res expendere. Sicut mercator merces antequam emat, explicat, & introspicit, sic oportet, antequam voluntas consentiat peccato, exitum voluptatum, & deliciarum, & rursus laborũ gloriosum fructum paupertatis: & virtutis portum felicissimum

ſimum præ oculis habere. Angelus ad Tobiam cap 6. exentera piſcem, & exenterato etiam amarum fel fuit in medicamentum, & lumen oculorum.

In illa verba: *Mittentes rete in mare.*

Locus laudandi eos, qui ſuo muneri incumbunt, & ſuam vocationem ſequuntur; & vituperandi otioſos alienæ vitæ cenſores Item eos, qui ſua ſorte non contenti ad altiora aſpirant. Conſule loca communia de ambitione, & otioſitate.

In illud: *Erant enim piſcatores.*

Locus laudandi paupertatem Euangelicam. Matth 5. *Beati pauperes, &c.* Chriſtus pauperes elegit, diuites in fide, locus contra diuites, & potentes, pauperum oppreſſores.

Secundo locus contra ambitioſos, piſcatores honorum, contra auaros piſcatores diuitiarum, & temporalium, quæ fluxa ſunt, & caduca, peritura, & periculoſa.

Relictis retibus.

Locus de relinquendis retibus peccatorum, & occaſionibus fugiendis Apoc 18. *Exite de Babylone populus meus.* Secundo locus de paruo pretio, quo comparatur regnum cœlorum Eſai 55. *Emite abſque argento, &c.* Zachæus medium ſubſtantiæ dedit pauperibus. Vidua æra minuta duo, imò calice aquæ frigidæ regnum cœlorum emitur. Latro vnico verbo emit. *Domine memento mei.* Apoſtoli retibus. Gregorius, *regnum Dei tantum valet, quantum habes.* D. Greg.

Reficientes retia.

Primo locus de Zelo reparandi diuinum honorem contra periuros, blaſphemos, & ſcandaloſos peccatores. Quã pauci ſunt, qui reficiant: ſicut Elias, Onias, Paulus hoc Zelo tactus dicebat 2. Cor. 11. *Quis ſcandalizatur, & ego non*

ego non vror? Secundo locus de reficiendo fratre per correctionem fraternam.

Tertio locus de pietate in reficiendis pauperibus. Psal. 71. *Deus iudicium tuum regi da, &c. liberabit pauperem à potente, &c.*

Cum Zebedao Patre.

Primo locus de obseruantia, & pietate exhibenda parentibus. Secundo de cura domesticorum habenda. Si quis suorum 1. Tim 5. &c.

Continuo sequuti sunt eum.

Primo locus de efficacia diuinæ vocationis, & motionis: omnis creatura ad nutum Domino obtemperat, cœli, elementa, &c. *Quis restitit ei, & pacem habuit.* Iob. 9. *Stella dicunt, adsumus.* Iob 38.

Secundo de laude promptæ obedientiæ. *Vir obediens loquetur victorias.* Prou. 21. adeò, quod obediente Domino Iosue, *obediuit Dominus voci hominis.* Iosue 10. Abraham intempestæ noctis silentio surrexit, vt obediret Domino. Gen. 22. De obedientia legatur August. 1. de Ciu. c. 23. Gregor. in illud 1. Reg. 15. *Melior est obedientia, quam victima.* Chrysost. in hom 12. in Genes. *Ruina Saulis, imò Adami, imò mundi, ex inobedientia.* Tertio locus de cita conuersione ad Deum; & celeri pœnitentia, & contra differentes pœnitentiam. *Ne tardes conuerti ad Dominum.* Eccl. 5. &c. Prouerb. 26. *ostium voluitur in cardine suo, & piger in lectulo suo.* Legatur August. 8. confess.

August.
Gregor.
Chrysost.
Genes. 22.

August.



IN

IN FESTO BEATI NICOLAI EPISCOPI, ET CONFESSORIS.

THEMA.

Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi. Eccl. 44.



ERBA sunt Iesu filij Syrac eo capite, quo laudat viros gloriosos, æternaque memoria dignos. Inter quos laudat Abrahamum patrem multitudinis gentium, de quo ait: *non est inuentus similis illi, &c.* quæ verba in epistola hodierna applicantur B. Nicolao sacerdoti magno, *qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus, &c. Non est inuentus, &c.* vt ad Dei, & Sancti sui gloriam explicemus prædicta verba, imploremus auxilium Diuini numinis dicentes *Aue Maria.*

Non est inuentus &c. Multum quidem splendet diuina sapientia, & scientia in hominis compositione: sicut regius Propheta concinit: Psal. 136. *mirabilis facta est scientia tua ex me.* In multis quidem est mirabilis: inter cætera tamen illud est mirabile, quòd in tam innumerabili hominum multitudine vix videas vnum alteri omnino similem; adeò, vt cum aliquando contingit nasci duos fratres gemellos adeò similes, vt opus fuerit ex vario indumento dignosci, quasi miraculum naturæ habeatur: Quòd si ex varietate facierum Deus iudicatur mirabilis, quantò potiùs iudicabitur mirabilis in tam varia animarum sanctarum pulchritudine, vt vix reperias vnum sanctum alteri omnino similem, tam in æquali gradu gratiæ gratum facientis, quàm in gratijs

Vix vnus sanctus alteri similis.

gratis datis, & priuilegiis, atq; prærogatiuis. Id quod ex luminarium cœlestium varietate confirmat Paul. 1. ad Cor. 15. *Alia claritas solis*, id est, Christi Malach vltimo, *orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitia. Alia claritas lunæ*, id est, virginis almæ Cant. 6. *Pulchra vt luna. Alia claritas stellarum, stella enim à stella differt in claritate* Stellæ sunt sancti omnes, de quib. Iudic. 5 *stella manentes in ordine suo. Quod si species cæli gloria stellarum* Eccl. 43. maior est decor, & pulchritudo cœli Empyrei ex splendore sanctorum. Et sicut *stella differt à stella in claritate*; sic & sancti in gradibus gratiæ, & splendore gloriæ. Nicolaus igitur est sanctus rarus, singularis de quo Bernard. ait: *electus ab vtero, sanctus à puero, iuuenum gloria, senum reuerentia, sacerdotum honor, Pontificum splendor.* Hic est Nicolaus, cuius miracula per totã mũdi latitudinem diffunduntur, quem laudat orbis terræ, & qui habitant in eo Tot tamq; præclara miracula cumulatur, vt ipsius gloria superet vocem, mentem, & linguã dicentis, atq; calamum scribentis Crebrescũt quotidie mirabilia, nec requiescit spiritus Dei ad memoriam militis sui, sua continuare miracula. Laudatur in mari, glorificatur in terra, in omnib periculis inuocatur. *Qui descendunt mare in nauibus facientes operationes in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini.* Psal. 106 Nicolai per Dominum mirabilia in profundo. In omni tribulatione nomen Nicolai tenetur in ore, requiescit in corde: si cœli coruscationes fulgurant, si tonitrua terrent Nicolaus dulciter inuocatur: Si tẽpestas sæuit, si pulsamur incommodis, Nicolaus ingeminatur, patrocinium quæritur Nicolai: nõn solũ antẽ Christianis, sed & paganis in tantam reuerentiã sancti nominis aduolauit authoritas, vt certatim cõfluant ad laudandũ sanctum nomẽ eius. Lætantur pueri, & laudant puerũ ieiunantem, iuuenes cõgratulantur iuueni, innocentes liberanti, collaudãt Virgines virginẽ, & virginum infamiam propulsantem, senes exaltant senis infamiam redimentẽ. Meritò conueniũt illi verba proposita: Non est inuetus similis illi, &c.

D. Bern.

Multis siquidem priuilegijs à Domino est decoratus. Primum enim ab ipsis vberibus matris ẽst sanctificatus: nam statim vt natus est, dum lauaretur in balneo, stetit in eo in

in eo in signum sanctitatis, & firmitatis præsagium, quod non esset casurus à Dei gratia, sicut Ioannes Baptista exultauit in vtero, cum per verbum virginis ad præsentiam Saluatoris sanctificatus est intra vterum Elisabeth. Nicolao statim nato creditur infusum fuisse donum sanctificationis. Vt verè dicere possit verba Regij Vatis: *Spes mea ab vberibus matris meæ, in te confirmatus sum ex vtero* Psal. 21. Atque sanctificatorem Dominum nos collaudantes dicere possimus: *Domine præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis* Præuentus vtique fuit in benedictionibus orationum, gemituum, & lachrymarum parentum, qui talem filium à Domino multis precibus flagitarunt. Fuit filius orationum, fuit quoque præuentus benedictionibus dulcedinis diuinæ electionis: iuxta illud num. 15. *Quemcunque elegerit Dominus ipse erit sanctus?* Et hoc fuit secundum priuilegium Nicolai, quòd à puero fuit sanctus, & conseruauit donum sanctitatis à Domino sibi collatum: semper enim in eadem innocentia, & humilitate perseuerauit. Deut. 33. *sicut dies iuuentutis tuæ, sic senectus tua*, Eccl. 27. *Homo sensatus in sapientia manet sicut Sol* Fuit semper constans, & firmus in omni iustitia ante Deum. Vt aptè illi congruat, quod Prou. 21. scriptum est: *Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti.* Nicolaus verè iustus: habuit enim tres partes iustitiæ, quas Augustinus lib. de perfectione iustitiæ constituit, pœnitentiam, & mortificationem in ordine ad se, vt semper caro spiritui obsequeretur. Adhuc enim infans feria quarta, & sexta semel tantum lac sugebat. *Si bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua,* Thren. 4. quantò melius erit ei qui portauit ab infantia? Postea verò iuxta Pauli consilium 1 Cor. 9. castigabat corpus, & in seruitutem redigebat. Sic enim de illo legimus: *Nicolaus adhuc puerulus multo ieiunio macerabat corpus.* Neq; secunda pars iustitiæ illi defuit, quæ est oratio, & mentis eleuatio in Deū: semper.n. in vigilijs, & orationibus assiduus erat. Atque de illo scriptū est, quòd Ecclesiæ sanctæ frequentabat limina, saluatoris consiliū secutus; Luc 18. *quia oportet semper orare, & nō deficere.* Tertiam verò iustitiæ partem in ordine ad proximos habuit cū magno cumulo, tā in obseruan-

Nicolao recens nato creditur infusum fuisse donum sanctificationis.

D. August.

seruantia iustitiæ, quam maximè in exhibitione charitatis, & misericordiæ: constantiam enim, & firmitatem in executione iustitiæ tenuit, cum tres pueros iniustè damnatos eripuit, sicut scriptum est: Eccl. 7. *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Ea fortè ratione primum prælatum Ecclesiæ Dominus Petrum vocauit: à petra, id est, firmum, & constantem in fide, & iustitiæ obseruantia. Præcipuè verò claruit misericordia, & charitate erga proximos, *ab infantia creuit* cum illo *miseratio*, Iob. 31. *& de vtero egressa est cum illo: Hic est thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti.*

Habuit quidem thesaurum virginitatis, & munditiæ absconditum in florido agro corporis sui, quem portauit in vase fictili: habuit & sapientiam, *quæ infinitus thesaurus est hominibus.* Sapi. 7. Potissimum verò habuit thesaurum charitatis, & misericordiæ in habitaculo animæ suæ. Hic est thesaurus in cœlo thesaurizandus; qui non corrumpitur, non effoditur à latronibus, neque æruginis, vel tineæ detrimenta vnquam patitur. Hoc est oleum in habitaculo iusti: charitas enim, & misericordia oleum dicuntur. Tum quia sicut oleum supereminet, & supernatat alijs liquoribus; sic charitatem vocat Paulus *excellentiorem viam*: 1. Cor. 12. Et iterum cap. 13. dicit esse maiorem fide, & spe. De misericordia verò ait Iacobus cap. 2. *superexaltat misericordia iudicium*, vel superexultat misericordia iudicio, vt legunt Græci. Sicut victores exultare solent, sic misericordia quasi victrix contra iudicij rigorem superexultat. Tum verò secundò meritò misericordia per oleum significatur; quia sicut oleum penetrat, & rigida emollit, sic misericordia cœlum, & diuinum pectus penetrat. Eccl. 29. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc exorabit pro te ab omni malo Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit.* Eleemosyna oleum est: quod emollit cor inimici Sunt enim *carbones ignis super caput illius.* Rom. 12. Emollit quoque cor durum ipsius dantis eleemosynam, vt à peccatis ad pœnitentiam redeat. *Eleemosyna enim ab omni peccato, & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras.* Tob. 4.

Charitas, & misericordia oleum dicuntur.

Tob. 4. *super ſcutum potent is, & ſuper lanceam aduerſus inimicum tuum pugnabit.* Eccl 29.

Hoc eſt oleum, quod Iacob effudit ſuper petram. Geneſ. 19. De hoc oleo charitatis, & miſericordiæ dicitur Eccl. 9. *oleum de capite tuo non deficiat.* De capite Nicolai nunquam defecit, imò ſemper abundauit oleum miſericordiæ. Hoc oleum eſt, quòd prudentes virgines ſeruauerunt in vaſis ſuis. Matth. 25. Hic fuit *theſaurus deſiderabilis, & oleum in habitaculo iuſti. Eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia ſanctorum*: Eleemoſynis enim virginum corruptionem, & infamem expoſitionem prohibuit: vt verè illi dicamus cum Eſai cap. 58. *Vocaberis ædificator ſepium, auertens ſemitas in quietem, vel ſemitas iniquitatis*, id eſt, ſemitas, quæ ad rupturam tendebant, & corruptionem. Atque tam ſingularis pietatis, & miſericordiæ Nicolai voluit diuina prouidentia, vt ſepulchrum ipſius marmoreum oleum iugiter manans manifeſtum præberet teſtimonium, quo liniti ſanantur ægri.

Habet quoq; in habitaculo beatitudinis oleum perpetuæ iucunditatis, iuxta illud euangelici Prophetæ vaticinium cap. 61. *Dabo eis coronam pro cinere*, id eſt, pro pœnitentia, & mortificatione; *oleum gaudij pro luctu; pallium laudis pro ſpiritu mœroris.* Pallium laudis veſtis eſt nuptialis, quæ in patria reſpondet charitati viæ; qua induuntur beati, cum ingrediuntur ad nuptias agni, vt ipſum perpetuò laudent: ſicut vidit ſacer Euangeliſta Ioannes Apoc. 7. *Amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Inter hos cœleſtes ciues exultat Nicolaus, qui pro pallio miſericordiæ, charitatis, & gratiæ, accepit pallium laudis, & gloriæ, quam nobis præſtare dignetur Ieſus Chriſtus Dominus noſter. Amen.

Conciones de Euangelio in communi confeſſorum adiiciemus largiente Domino.

IN CONCEPTIONE Sanctissimæ Virginis.

CONCIO PRIMA.

THEMA.

Opus grande est: neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo. 1.Paral.29.



ERBA sunt Dauidis Regis, quæ protulit in fine vitæ, postquam regnauerat quadraginta annis, & præparauerat totis viribus aurum, argentum, lapides pretiosos, æs, ferrũ, ligna, & marmora, impensásque omnes necessárias pro fabrica domus Domini, quæ per Salomonem filium erat ædificanda. Tunc Principes, proceres, tribunos, Cẽturiones, & omnem populum exhortatus, vt prompto animo aperirent manum, & afferrent sponte Domino: Hæc verba protulit: *Opus grande, &c.*

Cum Dominus voluit ostendere Ezechieli Prophetæ c. 40. pulchritudinem templi, mirabilem structuram mensuras omnes atrij, portarum porticus, columnas, frontispicia, fenestras, altare, cæteraque omnia, *facta est* (inquit) *manus Domini super me, & adduxit in terrã Israel, & statuit super montem excelsum nimis.* Hodie diuina maiestas oculis nostris obiicit contemplandam structuram, & fabricam mirabilem sacratissimi templi sui, almæ inquam Virginis Deiparæ: opus est, vt fiat manus Domini super nos, adducamurque in terram Israel, id est, diuinæ visionis, & eleuemur in montẽ excelsum sublimis contemplationis, ad intuendam magnitudinem diuinæ potentiæ, sapientiæ, & magnificentiæ: humiliter igitur per ipsam Virginẽ deprecemur, vt fiat manus Domini, & diuini spiritus super nos dicentes: *Aue Maria.*

Initium & finis operis celebrãtur. Duo dies habentur celebres in grandi opere: primus cum inchoatur, alter, cum opus perficitur. Quare hodiernus dies celeberrimus est; in quo initium colimus huius

huius grandis operis, quod in die incarnationis augmẽtum suscepit, & in die assumptionis consummatum est. Hodierno die inchoatum est: ita tamen quod non mãsit imperfectũ, sicut alia grandia opera, & ædificia; quinimò perfectionem omnẽ necessariam, & possibilẽ, tam naturalẽ, quàm supernaturalẽ sacer ille fœtus suscepit: *facile enim est in oculis Dei subitò honestare pauperem.*

Ex triplici consideratione solet opus aliquod dici grande. Primò ex magno artifice, eximiaque arte, peritia, & dexteritate. Secundò ex magnis impensis, & pretiosa materia operis. Tertiò ex fine altissimo, in quẽ ordinatur. Opus illud grande Salomonis secundũ has tres considerationes fuit grandẽ: primo quia opus regale, ad quod Rex Dauid impensas præparauit, & Rex Salomon ædificauit 3 Reg 5. Ab Hyran Rege Tyri, & Sydonis quæsiuit perfectissimos cæsores lignorum giblios, latomos, & cœmentarios: sed quod potissimũ est, Dauid dedit Salomoni filio descriptionem porticus, templi, cellariorum, cœnaculi, altariũ, & vasorũ omniũ, &c. *Omnia* (inquit Dauid) *venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuersa opera exemplaris.* 1. Paralip. 28 Secundò loco impensæ auri, argenti, & omnium, quæ necessaria erant, fuêre maximæ, & constat. 1 Paral. 28. & 29. Et tandẽ tertiò fuit grande opus ex fine, quia (vt Dauid dixit) *non homini præparabatur habitatio, sed Deo.* Et Salomon filius iuxta patris imperium operi se se accingens dixit. 2. Paral. 2. *Domus, quam ædificare cupio, magna est: magnus est enim Deus noster super omnes Deos.* Quod si opus illud templi materialis grande dicitur, & meritò, secundum has tres considerationes; multo potiori iure opus sanctificationis virginalis templi dicetur grande opus; siquidem artifex fuit Deus, & tota Trinitas hodiernum opus operata est. Pater æternus potentiam ostendit, filius sapientiam, Spiritus sanctus bonitatem Psal. 86. *ipse fundauit eam altissimus.* Impensæ donorum, & gratiarum fuêre immensæ; finis, vt esset mater Dei.

Opus grande ex triplici consideratione, artifice, materia, & finis.

In principio quidem creauit Dominus cœlum, & terram: cœlum decorauit luminaribus, & astris, repleuit Angelis; terram plantis: & tandem creauit hominem, & cõstituit in Paradiso, vt omnibus præesset. Grãde opus, & mirabi-

mirabilia opera Dei. Cæterùm pars cœlestis operis Angelorum de cœlo cecidit, & inuidia diaboli primi parentes corruere. Voluit igitur diuina bonitas instaurare omnia, *siue quæ in cælis, siue quæ in terris sunt.* Ephes. 1 Et pro initio instaurationis operis, sicut pictoribus ingenitum est desiderium depingendi imaginem aliquam eximiam, & vndique perfectam ad ostensionem suæ peritiæ, & cum pro voto perficiunt, vehementer exultant: sic vtique (vt Doctor sanctus, ait) Diuina maiestas, inter tria grandia opera, quibus mundum instaurare decreuit, & potentiæ suæ exemplaria relinquere, scilicet beatitudinem, in qua omnes sancti Dei visione fruuntur, Christum verum Deum, & hominem. Tertium grande opus fuit efficere Virginem matrem, & matrem Dei. Hodierno die huic grandi operi intra vterum matris Annæ diuinus artifex primam manum admouere dignatus est: statim enim, vt corpus fuit debite organizatum infudit animam gratia, & cœlestibus donis plenã.

Simile.

August. *Prima gratia infusa Beatissimæ Virgini excessit gratiam omnium sanctorũ.*

Itaque (vt Augustinus dicit de Angelis) Deus erat cum sacro illo fœtu, simul condens naturam, & largiens gratiam: tantamque gratiæ plenitudinem hoc die alma virgo suscepit, vt excesserit gratiam omnium Angelorum, & sanctorum, adeò, vt nullus sanctus post longam vitam peruenerit ad gratiam, quæ hoc primo die Virgini communicata est. De reliquis namque sanctis dicitur: *iustorum semita, quasi lux splendens procedit, & creuit, vsque ad perfectam diem.* Prouerb. 4. Habet virtus gradus suos, nemo enim repente fit summus: *sed ibunt de virtute in virtutem.* Psal. 83. Et sicut corpus habet pro diuersitate ætatum varia roboris, & virium incrementa, sic & anima habet ætates suas, variaque spiritualium virium augmenta Nunc pueri sumus, & paruuli *donec occurramus in virum perfectum.* Ephes. 4 At vero matutina lux gratiæ, quæ hoc primo die infanti nostræ Mariæ intra matris vterum collata est (quamquam maiora in dies suscepit incrementa) fuit vberior, atq; splendidior, quàm omnis perfecta lux meridiana sanctorum omniũ: & hic est sensus verborum Eccl. 24. *flores mei fructus honoris, &c.* In hoc enim opere grandi voluit diuinus artifex potentiæ, sapientiæ, & dexteræ manus suæ testimonium,

Eccle. 24.

nium, & totius naturalis, & supernaturalis perfectionis, quæ puræ creaturæ est communicabilis; absolutissimũ quoddam exemplar, & vnicum cunctis seculis relinquere.

Grande vtique opus est, siquidem in illo vno magis splendent diuinæ perfectiones, potentiæ, sapientiæ, & bonitatis, quàm in omnibus creaturis; ita quod, neque terra, neque paradisus, neque cœlum luminaribus decoratum, neque omnia denique reliqua diuina opera ad extra præter incarnationem Verbi, ita manifestant diuinam perfectionem, & bonitatem, atque hoc opus fabricæ virginalis.

Tantam verò magnitudinem operis finis ineffabilis exigebat, neque enim præparabatur homini habitaculum, sed Deo. Prouerb. 9. *sapientia ædificauit sibi domum*: Grandi hospiti præparabatur hospitium, *regi regum, immortali, inuisibili*, Apoc. 19. coram quo *omnes gentes quasi non sint*: Esai. 40. Illi, *qui magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus*. Baruch. 3. Illi, *qui magnus est, & vincens scientiam nostram*. Iob. 36. Illi, *quem cœli capere non possunt*. Si in mundi exordio Adamo terreno ad Dei imaginem formato plantauit Dominus Paradisum amœnissimum varijs arboribus consitum, floribus odoriferis refertum, clementissimi cœli temperamento fruentem, fonte in medio ascendente irrigatum, ac denique arbore vitæ exornatum; quantò excelsius, atque excellentius habitaculum præparari oportuit secundo Adamo cœlesti, vero Deo, & homini Christo humani generis redemptori: media vtique semper oportet fini proportionari: & iuxta doctrinam S. Thom. 3. par. quæst. 27. art. 4. eos *quos Deus ad aliquod munus eligit, ita præparat, & disponit, vt ad id, ad quod eliguntur, inueniantur idonei iuxta illud Apostoli* 2. Cor. 3. *idoneos nos fecit ministros noui testamenti*. Sic olim disposuit Moysen, Eliam, Esaiam, & Hieremiam ad sua ministeria: & noui testamenti ministros, vt Ioannem præcursorem; & Apostolos cumulatiori gratia exaltauit, *Primitias* namque *spiritus acceperunt*. Rom. 8. Beata autem virgo fuit electa diuinitus, vt esset mater Dei: igitur omnem gratiam ad idoneitatem tanti muneris necessariam

S. Thom. Gratiam communicat Deus iuxta muneris, ad quod eligit exigentiam.

riam accepit: iuxta verbum angeli, inuenisti gratiam apud Deum: ecce concipies, &c. Quasi dicat: quia præpararis in matrem Dei.

Denique tam grandi operi magnæ impensæ erant necessariæ. Quare sicut Rex Dauid, præter eas, quas ipse parauerat, voluit, vt omnes principes Israelitici populi sua quisque dona in opus Domini offerrent: Sic vtique voluit Dei filius, vt præter immensa dona, quæ ipse in matrem contulit, siquidem donauit seipsum in filium, quo non inuenitur plus vltra: omnes Patriarchæ, reges, sacerdotes, omnes sancti, & electæ fœminæ veteris testamenti huic operi offerrent omnia pretiosa sua, tam naturalia, quam supernaturalia. Hoc est, quo Euangelista Matthæus intendit, dum tot regum, & Patriarcharum proauorum Virginis sanctissimæ nomina recenset, quasi diuitiarum generis, & sanguinis, maximè verò virtutum memoriam recolens, quas in hoc excelsum opus omnes cōtulere, vt verè huic sacræ Virgini adaptemus id, quod Prou. 30. scriptum est: *Multæ filiæ congregauerūt diuitias; tu supergressa es vniuersas.*

Simile. Cum igitur adeò grande fuerit hoc opus, tamque excelsum, necesse fuit vt priùs plures præcederent prototypi, & figuræ: sicut omnes periti architecti grande opus incepturi priùs depingunt, & adhuc ex cera, vel ligno, vel gypso modulum conficiunt (quod vulgo dicitur *la planta*) vt illud sit operis exemplar, sicut & incarnationis mysterium, quia magnum, mille figuris adumbratum fuit, atque præuisum, multis promissionibus promissum, & multis nominibus nominatum: Sic sacra hæc Virgo sæpius à Prophetis est præuisa, & promissa: ab Esaia cap. 7. *Ecce virgo concipiet*: Ab Hieremia cap. 31 *fœmina circumdabit virum.* Hinc mille nominibus nominata: Paradisus, hortus conclusus, fons signatus, fons hortorum, puteus aquarum viuentium, Cedrus, Cypressus, Palma, Rosa, Oliua, Platanus, Cinamomum, Balsamum, Myrrha electa, Turris Dauid, collum, speculum, ciuitas, & mons, porta cœli, columba, soror, amica, sponsa, & regina. Quid hoc? imitatur vtique filij magnitudinem. Sicut enim filius, quia infinitus est, non potest vno nomine ipsius immensa perfectio explicari, (*quod nomen*

Maria multis figuris præuisa, pluribusq; nominibus nominata.

nomen est eius, si nosti? Prouerb 30 &c.) Sic Mariæ ineffabilis dignitas multis nominibus explicatur: Similique ratione diuina sapientia grandis huius operis artifex voluit multis figuris illud priùs depingi, & id quidem duplici de causa, primò propter maiestatem operis, tum secundò, vt eximio amori, quo Mariam diligebat, & ardenti desiderio satisfaceret, quo matris opus peractum videre præ optabat: sicut solent magni principes absentis sponsæ, cuius videndi desiderio tenentur, varijs nominibus, iconibus, & imaginibus delectari; sic diuina sapientia: *Delectabar* (inquit Prouerb. 8.) *per singulos dies ludens coràm eo omni tempore, & ludens in orbe terrarum.* Figuræ sacræ Virginis erant veluti ludi, quibus sponsus delectabatur.

A mundi igitur exordio cœpit hæc Virgo varijs figuris depingi. In adiutorio simili dato primo homini Adamo: in paradiso voluptatis, in fonte, qui de medio paradisi ascēdebat: In arca Noe: colūba, quæ viridem ramum pacis intulit: in arcu cœli æterni signo fœderis: in scala Iacob, felicissima cœli porta; in rubo ardenti, & incombusto: in Virga Moysi serpentes hæreticorum deuorante: in Virga Aaron florida; in arca testamenti de lignis set hin incorruptibilibus, in tabernaculo testimonij: fuit enim (teste Hieron. in Psal. 17.) *tabernaculum, quod sanctificauit altissimus*: De quo Apoc. 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Quid liber ille grādis Esaiæ? arbor illa magna Danielis: *Aquila grandis*, & porta orientalis Ezechielis; nisi grandis huius operis typi fuēre, & imagines? *Ferculum, quod fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani cum columnis argenteis*, huius Virginis typus fuit: ipsa enim lectulus est floridus in quo requieuit, qui ipsam creauit: thronus item Salomonis ex ebore. *Hieron.*

Inter omnes tamen figuras grādis huius operis, principem locum tenuit celeberrimū illud templum, cuius structuræ iuxta diuinum præceptū Dauid impensas præparauit: Salomon verò filius septem annos fabricā consummauit. Mirabilis fuit structura tēpli illius, cedro, & auro purissimo omnia tegebantur. Parietes per circuitū varijs cælaturis erant sculpti: quæ omnia Sacratissimi Virginalis tēpli puritatē, charitatē, virtutumq; omniū splendo- *Templum Salomonis potissima figura Virginis alma.*

ſplendorem, & gratiarum plenitudinem præſignabant.
3. Reg. 6. Eſt enim *Regina*, quæ *aſtitit à dextris regis circundata varietate.* Sed quod in illius templi fabrica mirabilius apparet, illud eſt, quod intra templum, cum ædificaretur, malleus, ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita; quia ex lapidibus dolatis, ac perfectis ædificabatur. Perfectiſſima quidem, tam artis, quàm naturæ opera ſilentio, & ſecreto fiunt, vt peritus pictor, & ſculptor perfectiora opera intra cellarium (quod vulgo dicitur *obrador*) & in conclaui operantur. Sic nimirum diuinus opifex Deus fauum intra aluearium, aurum intra terræ viſcera, vniones, & gemmas ex rore cœleſti intra conchas recepto, roſas, & alios flores intra tenera vaſcula, quæ omnia, cum perfecta in lucem prodeunt, gratiſſimo aſpectu in laudem creatoris aſpicientium mentes excitant. Si tamen, dum hæc ſecreto operatur Deus, velis curioſius perſcrutari, nihil ages, quia, *qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria.* Prou. 25. Inter omnia verò naturalia fabrica hominis excellit: ſicut Regiꝰ Pſaltes cecinit dicens: *mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.* Eccle. 11. *Quomodo ignoras, quæ ſit via ſpiritus, & quomodo compingantur oſſa in ventre prægnantis, ſic neſcis opera Dei, qui fabricator eſt omnium.* Quæ igitur lingua Angelorum, aut Seraphinorum grandis huius operis magnificentiã, atque celſitudinem explicare queat? quod intra Annæ vterum ſummo ſilentio, atque attentione diuina ſapientia operata eſt?

Perfectiſſima opera ſilentio fiunt.

Eccl. 11.

Poſt conſummationem illius templi dixit Dominus Salomoni 3. Reg. 9. *Sanctificaui domum hanc, quam ædificaſti mihi, vt ponerem ibi nomen meum, vſque in ſempiternum, & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Hæc magis propriè conueniunt templo noſtro, quod hodie ſanctificauit Altiſſimus, & maiori plenitudine gratiæ, quam ſanctificauit Ioannem, & alios Sanctos, ita vt nec venialiter peccare poſſet. Quod enim D. Auguſt. li. q nou. & veter. teſtam. dixit in illud Lucæ 2. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius, quod Beata Virgo in paſſione filij ſtupore quodam dubitauit*: non debet intelligi (vt aliqui perperam intellexere) de dubitatione infidelitatis, ſed de ſtupore admirationis: vt explicuit D. Ange-

D. Auguſt.

Angelicus 3.p q.27 art 4.ad 2. Vt enim ait Basil. *Beatissima virgo, dum astabat cruci videns filium pati abiecta, & considerans mirifica, stupebat, & mirabatur, atq; dolebat.* Hic fuit acutus gladius. Sanctificauit igitur hodie templum suum,& ab hoc die in illud oculos suos, & cor tam firmiter fixit, vt nunquam auerterit. Fomes quoq; peccati hoc die ligatus est, & in conceptione Verbi penitus extinctus. Et sicut solet opifex operis ponere nomen suum in fine operis, Apelles, vel Michael Angelus me fecit: Sic voluit diuina sapientia ponere nomen suum in hoc opere, vt semper nominetur Maria Dei mater alma: sic in fine Euangelij posuit nomen opificis Euangelista Matthæus: *Virum Mariæ, de qua natus est Iesus,&c.* Vt inscribatur illud Eccl. 43. *Vas admirabile, opus excelsi.* S. Thom. Basilius.

Tandem maximis priuilegiis diuina bonitas templum illud decorauit, & inter cætera concessit, vt esset locus exauditionis pro peccatis populi, pro victoria cõtra hostes,pro pluuia, pro calamitatibus pestis, corrupti aeris,æruginis,locustæ,rubiginis, &c. Magna fuit felicitas Salomonis videre consummatum templum illud tot priuilegijs decoratum, sed incomparabiliter est maior nostra, multò enim maiora, & certiora habemus in sacro virginali templo patrocinia. Sic namq; dicit Bern. *Sileat misericordiam tuam* (beatissima virgo) *quisquis te inuocatam in suis necessitatibus sibi meminerit defuisse. Mater est Salomonis, cui dictum est. Pete à me, quod vis: Mater est misericordiæ,illa ostendit filio vbera, & filius Patri vulnera.* Cæterùm, vt nos exaudiat mater,oportet,vt simus filij, imitatores virtutum ipsius, maximè verò humilitatis, quæ fundamentum est totius operis, & fabricæ spiritualis, fundamentum adhibeamus humilitatis, & tunc erimus & nos templum Spiritus sancti, tuncque vt veri filij inuocabimus, & dicemus: *Monstra te esse matrem: illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte*; simul enim conuertes ad nos oculos filij, qui in te habet semper defixos oculos, & aspectu suo ditabit nos bonis gratiæ, & gloriæ. Bernard.



IN CONCEPTIONE Beatissimæ Virginis.

CONCIO SECVNDA.

THEMA.

Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. Prouerb.9.

SACRÆ domus virginalis opificium, quod hodie colimus totum cœleste fuit. Quanquam enim diuina maiestas effudit sapientiam super omnia opera sua: hoc verò opus ipsa sapientia mirabili fabrica ædificauit sibi, vt in illo sapientissimæ manus dexteritas cunctis seculis celebraretur. Illam igitur primam gratiam, quam in vtero matris Annæ Virgo sanctissima suscepit, hodierna die colimus Eccles.11. habetur: *quomodo ignoras, quæ sit via spiritus, & qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis, sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.* Et (vt Paulus ait 1 Cor 2) *quæ sunt Dei, nemo nouit, nisi spiritus Dei, qui in ipso est.* Ab ipso igitur spiritu, qui fabricator est operis, opem postulemus, vt fabricam tam excelsæ domus intelligere, differereq; valeamus: postulemus verò per ipsam Virginem dicentes. Aue Maria.

Psaltes regius diuinam virtutem, atq; potentiam in multis mirabilibus confessus, illam quoq; laudat in auroræ, solis, & temporum productione. Sic enim ait Psal. 73. *Tuus est dies, & tua est nox. Tu fabricatus es auroram, & solem, tu fecisti omnes terminos terræ, æstatem, & ver, tu plasmasti ea.* Quo loco, quasi sub typo, & figura opus nostræ redemptionis spiritu Diuino illustratus agnouit. Sicut enim in mundo assignatur quatuor tempora hyemis, veris, æstatis, & autumni, pariter assignantur in Ecclesia. Primum enim tempus post peccatum fuit hyems, secūdum tempus fuit ver, quod fuit tempus legis Moysi, quo tanquā in arbore cœperunt redemptionis mysteria gene-

Psal. 73.

Quatuor tempora Ecclesiæ.

generari, & adumbrari. Tunc cœpit florere vinea, sicut in vere, & fructus parturire: sed tempus gratiæ in aduentu Christi fuit æstas, in qua fructus in lege promissi maturuere. Tunc sponsa Christi (quæ olim sub vmbra sederat) fructum dulcem gutturi degustauit. Tempus verò Antichristi autumnus erit. In quo folia Ecclesiæ, imò & multi fructus cadent. Duo igitur potissima tempora nominat æstatem, & ver. Quasi dicat; tu condidisti tempus legis, & tempus gratiæ: sicut & Apostolus ait: Roman. 13. *Nox præcessit, dies autem appropinquauit*, id est, tempus gratiæ: *Tunc tu Domine fabricatus es auroram, & solem*; sol humanitas est Christi Iesu, qui est verus sol iustitiæ: de quo cecinit Dauid: *in sole posuit tabernaculum suum*. Et Ezech. 32. *Solem nube tegam*. Ad cuius solis præsentiam factus est dies gratiæ: & ab eodem sole illustrata est aurora, sacra (inquam) Virgo, de qua ait: *Tu fabricatus es auroram*: cuius mirum splendorem mirantur, Angeli dicentes: *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens*. Cant 6. Huius auroræ initium hodie celebramus. Sicut enim aurora initium est diei, ita hodiernũ festum conceptionis sacræ Deiparæ initium est festorum omnium noui Testamenti. Ezech 32.

Hodie inchoatum est ædificiũ excelsæ domus, quam inhabitaturus erat Altissimus. Prius enim, quam diuinum Verbum videretur in terris, & cum hominibus cõuersaretur, oportebat ædificari domum, quam inhabitaret. Hodiernam igitur diem domus suæ fabricæ consecrauit. Hodie siquidem caro, & anima virginis naturalem, & supernaturalem perfectionem accepere: Hodie sacra domus repleta est maiestate, & gloria, nõ in nube, & nebula, sicut olim tabernaculum: Exod vlt Neque sicut templum Salomonis, 3 Reg 8. *nebula impleuit domum Domini, ita vt non possent Sacerdotes ministrare propter nebulam, impleuerat enim gloria Domini, domum Domini*. Virginalem verò domum claritas diuina hodierna die circumfulsit. Fuit namque *mulier illa amicta sole*, quam vidit Ioannes Apoc. 12 Hodie in vtero Beatæ Annæ primi splendores gratiæ fulgere cœperũt. Sicut enim in altissimis montibus, & excelsis ædificijs solent in ortu solis primi suscipi radij, sic hodie gloriosa Virgo Simile.

Psal. 86. (cuius *fundamenta sunt in montibus sanctis*) primos radios diuinæ lucis suscepit: primos cœlestes honores, rōresque quos cœli desuper rorare cœperunt, spiritusque sancti primitias. Hodie terra nostra olim maledictioni subiecta benedictionem suscepit, & prima redemptionis humanæ pignora. Hodie tela illa sacra, ex qua princeps gloriæ, tanquam sponsus è thalamo procedens in die desponsationis suæ, vestimento nostræ carnis induendus erat diuinis coloribus, & cœlestibus vmbris, *Con matizes del cielo,* illustrata est. De huius ergò diuinæ domus fabrica, consecrationeq; dicturus, elegi verba proposita: *Sapientia ædificauit sibi domum.*

Humanitas Christi domus. In litterali quidem sensu de Christi corpore, & sacrà ipsius humanitate intelliguntur hæc verba: Christus enim Iesus Dei virtus, & Dei sapientia ædificauit sibi corpus, in quo habitaret *omnis plenitudo diuinitatis corporaliter:* Col 2. & septem columnas excidit, dum septem donis Spiritus sancti domum sui corporis repleuit: iuxta Esai. vaticinium c. 11. *requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Cæterùm cum corpus Christi sumptum fuerit ex corpore Virginis almæ, quasi rota de medio rotæ, & domus de domo propter vicinitatem, & connexionem domus filij, cum domo matris, satis propriè eadem verba Deiparæ Virginis hodiernæ festiuitati adaptantur: *Sapientia ædificauit sibi domum.*

Solent magni principes, vt regiam ostentent maiestatem, varijs in locis plures sibi ædificare domos, sicut Rex Salomon. 3. Reg. 6. *ædificauit domum Domini annis septem: domum quoque suam ædificauit annis tredecim, & domum saltus* 3. Reg. 7. Sic solent Principes habere domum habitationis suæ magnis sumptibus constructam pro dignitate regia (quæ vulgo dicitur Palacio) habent quoque domum armorum, armeria: & tandem habent domum hortorum, & deliciarum. Sic vtique diuina sapientia triplicem domum ædificauit sibi. Prima est domus diuinæ habitationis, hæc est cœlum Empyreum: Domus armorum militans est Ecclesia: Domus verò deliciarum Dei virgo est sacratissima. Cœlum Empyreum locus est

Cœlũ Empyreũ domus Dei.

locus est beatitudinis, & domus, quam sibi & cœlicolis ædificauit rex gloriæ: de qua Orig. hom. 15. in Leuit. homil. 1. in Esaiam, & super Hiere. Hom. 8. explicat visionem illam Patriarchę Iacob, cum vidit in somnis *scalam contingentem cœlum, & Dominum innixum scalæ, angelosq; ascendentes, & descendentes: Euigilansq; de somno dixit: Verè Dominus est in loco isto, &c. non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli.* De eadem domo cecinit regius Vates. Psal. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Eiusdem quoque domus magnitudinem contemplatus Propheta Baruch. dixit: *O Israel quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius.* Domos regias, quantumcunque magnas, sic occupare solent principes terræ, vt vix vni, aut alteri familiarissimo, & gratissimo ministro habitaculum dari soleat. Non sic in domo Dei, quinimò *magna est domus Dei, & ingens* locus, & capax. Vnde illa ait Christus princeps gloriæ, Ioan. 14. *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* August. id explicat. Possident Hierusalem illam cœlestem, sine angustia, sine pressura, sine diuersitate, & diuisione limitum: omnes habent eam, & singuli habent totam, non angustat fratrem frater, nulla ibi indigentia est. Psal 83. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ*, & Psal. 84. *Replebimur in bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.* Id est, in adæquatione meriti ad præmium Hoc est illud Zachar. 4. *Exæquabit gratiam gratiæ eius*: Gratiam vocat donum gloriæ, quod respondet gratiæ. Imò Christus Dominus liberalitatem paternæ manus in præmiorum largitione explicuit dicens Luc. 6. *Mensuram confertam, & coagitatam, & superefluentem dabunt in sinum vestrum.* Implebitur illud Iob. 22. *Dabit pro terra silicem; & pro silice torrentes aureos.* Columnæ domus cœlestis Angeli sunt beati, quos excidit diuina Sapientia, & à ruina cadentium separauit Iob. 26. *Columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius.* Meritò Dauid cœlestis habitationis domum exoptans dicebat. Psal. 26. *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Vbi Augustinus legit, *vnam petitionem petij à Domino.* Et cum audire meruit suum desiderium: exauditum,

Genes. 28.
Baruc. 3.
D. August.
Psal. 84.
Zacha. 4.
D. August.

ditum, exultans cecinit: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus* Vtinam & nos idem diuinum responsum audire mereamur.

Ecclesia militans domus armorũ Dei. Altera domus Dei est armorum, & militiæ: Hæc est Ecclesia militans, vt docet Basilius super Psal. 29 & 115. & Cyprianus contra Nouati. Sic Paulus Apost. 1. Tim. 5. *Hæc tibi scribo fili Timothee; vt scias, quomodo oporteat te in domo Dei conuersari. Quæ est Ecclesia Dei viui columna, & firmamentum veritatis.* 2. Timot. 2. *in magna domo multa vasa sunt*: & ad Heb. 2. *Christus tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos.* De hac domo explicatur locus Aggæi. 2. *Maior erit gloria domus istius nouissimæ, quam primæ.* Et id, quod Dauid cecinit, Psal. 112. *Qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem.* Gentilismus enim, qui olim extra Ecclesiam sterilis erat, intra Ecclesiam filiorum fœcunditate exultat. Sicut Esa. cap. 54 ad canticum exultationis Gentilismum inuitans prædixerat: *Lauda sterilis, quæ non paris, decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas: quoniam multi filij desertæ,* &c.

Armeria. Basilius. Cyprian. Aggæi.

Esa. 54.

Hanc domum Ecclesiæ ædificauit sibi diuina sapientia: nullo enim humano ingenio, vel arte ædificari potuit. *Nisi Dominus ædificauerit domum,* &c. Vnde Paul. 1. Cor. 3. *Dei ædificatio estis.* Fundamentum Christus est. Sic enim ait Apostolus, *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.* De hoc fundamento prædixit Esai. cap. 28. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem pretiosum, in fundamento fundatum.* Prototypus, & figura domus huius, *La planta, y modelo,* de cœlo descendit. Sicut vidit Euangelista Ioannes Apoc. 21. *Vidi ciuitatem sanctam. Hierusalem descendentem de cælo,* &c. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus,* Columnæ Apostoli sunt, sicut August. explicat de Apostolis confirmatis per Spiritum sanctum illud Psal. 74. *Ego confirmaui columnas eius.* Et adducit illud Pauli ad Galatas 2. Vbi de Apostolis ait: *Qui videbantur columnæ esse.* Et Tom. 9. super illud Apoc. 10. hom 7. *Pedes eius tanquam columnæ ignis* Apostoli pedes sunt Christi, quibus inambulauit Columnæ propter firmitatem, patientiam, atque constantiam, ignis

Psal. 127. *Ibidem.* *August.* *Psal. 74.*

propter

propter charitatem. Septem quoq; columnæ septem sacramenta sunt, à Christo Domino instituta; vel septem dona Spiritus sancti per Ecclesiam diffusa. In hac domo comeditur agnus, id est, Christus verus Deus, & homo. Et in hac domo filius manet in æternum. Hæc est domus armorum, & militiæ, siquidē militia est vita hominis super terram. *Hac est turris Dauid, ex qua pendent mille Clypei, & omnis armatura fortium*. Vnde Paulus ad Eph. 6. *induite vos armaturam Dei*. De vtraq; domo Ecclesiæ militantis, & triumphantis explicat Cassiodorus illud Psal 91. *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt*. Vbi electi arboribus comparantur, in domo enim Ecclesiæ militantis plantantur per fidem, per charitatem flores germinant, qui in domo cœlesti fructus vberrimos pariunt. *Cassiodor. Psal. 91.*

Iam verò tertio loco virgo immaculata, & sanctissima domus Dei dicitur secundum doctrinam D. Bernar. serm de assumpt. & serm. 9. paruu. Hæc est domus deliciarum Dei, quam ędificauit sibi: domum siquidem cœli, & Ecclesiæ non tantum sibi ædificauit, sed fidelibus omnibus hanc, illam verò electis. Et quanquam diuina maiestas habebat domum cœli, & domū Ecclesiæ, nondum sibi satisfecerat, donec ędificauit hanc domum sibi 1. Paral. 17. *neq; mansi in domo ex eo tēpore, quo eduxi Israel de Ægypto*, &c huius siquidem domus tenebatur desiderio, cuius figura fuit templum. Hanc ergo domuū deliciarum ædificauit sibi soli. Hæc enim est porta illa Orientalis, de qua Dominus ad Ezech. *Porta hac clausa erit, eritq; clausa Principi*. Quanquam enim Princeps glorię ingressus est domum, & egressus est in die natiuitatis: introiuit tamē verbum per clausam portā, & exiuit illæso, integro, & clauso virginis vtero. Hæc igitur alma virgo domus est deliciarum Dei. Hāc enim deliciarum domū olim optabat, cum in sinu patris filius *ludens in orbe terrarum* dicebat Prou. 8. *delicia mea esse cum filiis hominū*. Ea ratione sponsus vocat virginē *hortum conclusum, fontem signatum*, vocat quoq; *lectulum floridum*. Delectatur mirum in modū cœlestis sponsus inter flores, & lilia, est enim ille *flos campi*. Cant. 2. Esa. quoq; *florē de radice Iesse* ascensurū prędixit: floribus fulciri desiderat, quia amore languet. *D. Bern. Domus deliciarum Dei sacra Virgo. Ezech. 44. Cant. 2. Esa. 11.*

languent. Hinc sponsi desiderijs satisfacere cupiens spōsa, virginalem hanc domum in mundo oculis fidei præuidens audacter illum inuitat dicens Cant. 5. *Veniat dilectus meus in hortum suum.* Et per fidem Christum sponsum suum intra virginalem vterum contemplata, subdit

Cant. 5.

Cant. 6. *Dilectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat. Pascitur enim inter lilia,* quia virginalem hanc domum ex animo dilexit Quare meritò Virgini sacratissimæ verba quoque Cant. 7. conueniunt: *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius, Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, manè surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt: si floruerunt mala punica.* Ex domo namque deliciarum virginalis vteri egressus est cœlestis spōsus, vt visitaret vineam Ecclesiæ, vt colligeret lilia Virginum, flores electorum, & mala punica: hæc sunt malo granata, quæ sub duro, aspero, & deformi cortice plures, varios, & pulcherrimos granorum ordines intra cellulas pulcherrimis telis distinctas includunt: Qui sunt varij ordines electorum in Ecclesia; inter quos cœlestis sponsus delectatur. Ad hoc descendit in hortum suum, & ad domum deliciarum virginalis vteri.

Cant. 6.

Cant. 7.

Huius præclaræ domus deliciarum Dei prototypus fuit Paradisus ille voluptatis, quem plantauit Deus ab initio: sic enim Cant 4 ait illi sponsus: *Emissiones tuæ paradisus. Cypri cum nardo, nardus, & crocus, fistula, & cinnamomum, cum vniuersis lignis Libani, Myrrha, & aloe cum omnibus primis vnguentis.* In hac enim sacra domo inuenitur odor, & fragrantia virtutum omnium, quæ inueniuntur in Paradiso cœlesti, & in Paradiso militantis Ecclesię: inuenitur puritas Angelorum, scientia Cherubinorum, charitas, & amor Seraphinorum, virtutes Apostolorum, & electorum omnium. In medio Paradisi produxit Dominus *lignum vitæ, & fontem ad rigandum Paradisum.* In medio Paradisi virginalis vteri Saluator noster Christus per Spiritum sanctum plantatus est verum lignum vitæ, quod in beatitudine datur edendum vincenti, illiusq; eius veram immortalitatem communicat. *Ille quoque fons est patens domui Dauid in ablutionem peccatorum: fons est saliens in vitam æternam.* Ioan. 4. O feli-

Paradisus typus sacræ Virginis.
Cant. 4.
Apoc. 2.
Zacha. 13.

O feliciſſimum Paradiſum, in quo poſitus eſt Adam, nõ primus ille terrenus, ſed ſecundus Adam de cœlo cœleſtis, vt operaretur, & cuſtodiret illum. Ille enim primus Adam poſitus eſt cuſtos, ſed vineam non cuſtodiuit. At verò ſecundus Adam in medio Paradiſi operatus eſt ſalutem in medio terræ. Vt enim ait Apoſtolus Hebr. 10. ***ingrediens mundum dixit: Ecce venio, vt faciam, Deus voluntatem tuam***: & in ea prima oblatione, & voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel. Cuſtodiuit quoque filius Dei Paradiſum ſuum, dum domum virginalem deliciarum ſuarum ſeruauit ab omni culpa: neque in hunc Paradiſum inuenire potuit ingreſſum callidus ſerpens; fuit enim ***concluſus hortus***, imo ***ipſa*** virgo ***contriuit ſerpentis caput.*** Hæc eſt domus deliciarum Dei, magna domus, & capax: ſic enim de ea canit Eccleſia: ***ſancta, & immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam neſcio, quia, quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti.*** Intra domum hanc incluſus eſt mons ille magnus, qui apud Danielem ex lapide creuit in montem: de quo Eſai cap. 2. prædixit: ***Erit mons domus Domini in vertice montium.*** Mons domus Chriſtus eſt intra Virginem exceptus; ***Et in vertice montium***; quia virgo Deipara domus eſt, de qua Ezechi. prædixit cap. 43. ***Iſta eſt domus in ſummitate montis, in circuitu Sanctum Sanctorum: omnem deſcriptionem, cunctumque ordinem, & omnes leges domus oſtende eis.***

Geneſ. 3.

Dan. 2.

Eze. 43.

Lex huius ſacræ domus impeccabilitas eſt; & puritas ab omni terreno contagio, ideo dicitur ***in excelſo fundata ſuper columnas ſeptem.*** Columnæ celſitudinem, dignitatem, firmitatem, & impeccabilitatem; atque pulchritudinem ædificij dicunt: ſicut & de ferculo, quod fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani (quod huius Virginis, in qua creator ipſius requieuit expreſſa figura fuit) ſimiliter dicitur, quod columnas eius fecit argenteas; Imò ſtabilitas huius Sanctiſſimæ mulieris columnis aureis ſuper baſes argenteas comparatur: Eccl. 26 id eſt ſuper ſeptem dona aurea Spiritus ſancti, ſuper ſeptem columnas virtutum Theologicarum, & Cardinalium. Baſes ſeptem argenteæ ſuper quas ſunt columnæ aureæ donorum Spiritus ſancti ſunt fides, humilitas, obedientia, Vir-

Cant. 3.

Eccle. 26.

tia, Virginitas, timor Domini longanimitas. & charitas virtutum omnium radix, & *vinculum perfectionis.* Ad hæc dicuntur columnæ septem: quia septenarius numerus dicit plenitudinem, & perfectionem virtutum omnium; septenarij namque numeri perfectionem, tam natura, quam scriptura sacra celebrat. De qua re multa Macrobius de somno Scipionis Basilius exam. hom. 11. Hieron super Amos 5 Clemens Alexan 6. stromatum, Gregorius 35 mor c. 6. Septenario numero natura gaudet; nam infantium septimestrium fœlices partus iudicantur. Primò septenio rationis vsus compleri solet, secundò septenio perfectior ratio, & potentia generationis accedunt. Tertium septenium incrementi finis est. Septem quoque Spiritus Angelici assistunt Diuinæ Maiestati. Remissioni peccatorum septenarius numerus sacratus est: nam septimo anno fiebat remissio, & plena remissio post quadratum septenarium. In cuius figura Naaman Syrus septies lauit in Iordane iuxta præceptum Elisęi. Hinc Petrus ad Christum Dominum: *Dimittam fratri peccanti vsq; septies*, cui Christus Dominus: *Non dico tibi vsq; septies, sed vsq; septuagies septies.* Septimo die emissa est columba, & septimo mense requieuit arca, Genes. 8. Et Spiritus sanctus sacro dierum expleto numero missus est, *quo mystico septemplici orbis volutus septies signat beata tempora.* Et *septimo* tandem *die requieuit Deus ab omni opere, quod patrarat.* Atq; hanc sacram domum virginalis vteri in habitaculum suum eligens, in quo requiesceret, super septem columnas excisas ædificare voluit.

Septenarius numerus perfectionem dicit. *Basilius.* *Clemens.* *Gregor.* *4. Reg. 5.* *Matth. 18.*

Ab hac sacrata domo requietionis suæ egressus Dominus conqueritur se non habere domum: sic enim ait Matth. 8. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Et Esai. 66. *Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. Quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi, & quis est iste locus requietionis meæ? Omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt vniuersa ista, dicit Dominus. Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Quasi dicat voluntas humilis, & animus contritus ædificant domum mihi gratio-

Matth 8. *Esa 66.* *Spiritus humilis domus grata Deo.*

gratiorem, quam ipsum cœlum. Vnde Apoc. 3. ait: *Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Et Cant 5. *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, formosa mea.* Proh dolor! Ezech. 22. *Domus Israel versa est mihi in scoriam.* O fœlicissimam sortem animæ, quæ tam digni spõsi vocem dulcissimam audit, & amore plenam: illique præparat domum mentis. Ecce (fratres dilectissimi) nobis, ait Petrus Apostolus, *ipsi tanquam lapides vivi superædificamini in domos spirituales.* Quo pacto sit ædificanda domus docuit Christus Dominus, Luc. 6. Audiendo verbum Dei, & faciendo: tunc ponitur fundamentum supra petram, & firmum consurgit ædificium. Sic firmatum est ædificium sacratæ domus Virginis almæ. Ad ipsius igitur exemplar, quam sapientia ædificauit sibi, quam inhabitauit, non tantum corporaliter ventrem consecrando, sed potissimum mentem cœlestibus donis, & diuinis charismatibus illustrando. Et nos præparemus domum animæ integram, mundam, & ornatam, sicut tantum hospitem decet: vt dignetur Dominus nunc in nobis habitare per gratiam, vt meritò ab ipso expectare possimus mansiones in domo gloriæ, ad quam nos perducat ipse Dei filius. Amen.

Ezech. 22.

1. Petri 2.

Luc. 6.



IN

IN CONCEPTIONE intemeratæ Virginis.

CONCIO TERTIA.

THEMA.

De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Matt. 1.



His verbis explicuit veluti in summa, & compendio sacer Euangelista Matthæus supremam Virginis almæ dignitatem, qua sub Deo nulla maior inueniri potest, neque in terris, neque in cœlis: siquidem eo dignitatis euecta est, vt esset mater Dei, & vt Verbum diuinum, quod ab æterno accipit à patre esse filij Dei, à Virgine matre accipiat ex tempore esse filij hominis. Huius sacratæ Virginis conceptionem purissimam, & ingressum sanctissimum

Anselmus. in vterum matris Annæ hodie celebramus. Anselmus: *oportebat, vt Sanctissima Virgo, qua Deum erat paritura ea puritate niteret, qua maior sub Deo inueniri nequit.* Cum

Esa. 6. Esaias Propheta vidit Regem exercituum oculis suis, fatetur se virum pollutum *labiis*: *Et in medio populi polluta labia habentis* habitare; atque adeò balbutiens ait se nescire loqui. Quid nos de purissimo hoc mysterio pollutis labijs dicere poterimus? deprecemur ipsam Seraphinorum reginam, vt de cœlesti altari accepto ignoto calculo gratiæ purificet labia, & corda nostra dicentes: *Aue Maria.*

Hodie celebrat Ecclesia felicissima principia sacræ

Psal. 120. Virginis Mariæ: meliora, quàm exitus Sanctorum omnium, custodiuit enim *Dominus introitum, & exitum*

Iob. 100. *ipsius*: iuxta regium vaticinium: *ipsa est principium via-*

Principiū viarū Dei Maria. *rum Dei*: quod melius conuenit Mariæ Sanctissimæ, quā Cherubino: expressius enim, & perfectius *signaculum est diuinæ similitudinis.* Psal. 100. *Psallam, & intelligam in*

via

Via immaculata, &c. Iugiter enim Domino psallebat, gratias agebat, intelligebat vias Domini pulchras, & semitas illius pacificas: meditabatur, & intelligebat cum summa humilitate, semper gratias agens Altissimo, quod hoc primo die tanta pulchritudine, & pace ad ipsam veniens ditauerit, & in via immaculata constituerit: Vt sit dux, & regina eorum; qui per viam innocentiæ procedunt *immaculati in via.* Ipsa est scala illa mirabilis, cui Iacob vidit Dominum innixum: ipsa fuit principium viarum Dei, per quam Diuinum verbum ad nos, tanquam sponsus in thalamum suum summa cum exultatione descendit; & per ipsam voluit Angelos ad nos descendere, & nos in Angelorum dignitatem commutatos in cœlum exaltari. Merito possumus de felicissimo principio Sacræ infanti intra vterum Annæ congratulari, quia & sibi, & nobis, hæc sacra dies totius boni dedit initium, & miseriarum finem. Hodie noua lux oriri visa est: hic enim sacer dies cæcis lucem; captiuis libertatem, ægris sanitatem, mortuis vitam, & cunctis necessitatibus vniuersale remedium inuehere cœpit. Vnde meritò canit Ecclesia: *conceptio tua Dei Genitrix Virgo gaudium annunciauit vniuerso mundo, ex te enim ortus est sol iustitia Christus Deus noster, qui soluens maledictionem, dedit benedictionem, &c.*

Gen. 28. Scala Iacob Maria. Esther. 8.

Quæstio verò illa statim animum pulsat, cum de plerisque Sanctis multa in Scriptura sacra tam noui, quam veteris testamenti legamus, cur tam pauca de sacra Dei genitrice conscripta sint? Ad quæstionem primò respondere possemus, quod vt testimonium Diuinitatis Christi Iesu esset efficacius, voluit Spiritus sanctus, vt scriptores sacri de humanitatis suæ dignitate pauca conscriberent: ne quis aduersarius adulationis nota fidem nostram posset inurere. Deinde quia ea; quæ magna sunt silentio melius celebrantur. Hieronym. in illud Psal. 64. *Te decet hymnus, &c.* Legit secundum Hebræos: *Tibi silentium laus.* Cum Timantes immolatam Iphigeniam depingeret, & tristem depinxisset Calchantem, mœstiorem Vlyssem, mœstissimum Menelaum, & oporteret eius patrem Agamemnonem tristiorem depingi, videns non posse summum illum luctum pennicillo imitari,

Hieron. Quæ magna sunt silentio melius celebrantur.

caput mœstissimi patris velo obtexit. Sic ineffabilia Sacratę Virginis encomia diuini pictores silentio celebrarunt, Et Matthæus veluti alter Timantes obtexit sacro velo dicens: *De qua natus est Iesus*, &c quasi dicat, Maria mare est, quod absorbet omnia flumina perfectionum omnium Patriarcharum, Regum, & Sanctorum omnium. Est veluti aqua Angelorum ex omnium florum purissima distillatione conflata: velut quinta essentia ex purificatis liquoribus eliquata: & velut gemma orientalis torquis aurei extrema connectens, imò Deum, & hominem, & ima summis indissolubili nodo coniungens. Illa iustitiam cum misericordia conciliauit, cum *iustitia, & pax osculatæ sunt.* Psal. 84.

Similia.

Hanc mirabilem Deiparæ Virginis excellentiam duplici medio voluit nobis Euangelista Matthæus exprimere. Primò dum illustrem proauorum seriem explicuit: Tum verò maximè dum filij dignitatem, & maiestatem expressit, dicens: *De qua natus est Iesus*, &c. Priori quidem medio ostendit virtutem Virginis non nouam esse, sed antiquam, non cum ipsa tantum exortam, sed quasi hæreditariam, & in auis, & proauis altas habentem radices. Altera verò efficaciori medio filium ostendit contulisse matri idoneitatem necessariam ad excelsam adeò maternitatem. Id quod in figura egit olim Dauid, dum ad fabricam templi quidquid auri, & diuitiarum conferre potuit, obtulit: Et voluit, vt omnes principes offerrent. Sic Christus infinitam propemodum dignitatem suæ genitrici concessit: Et voluit præterea, vt omnes progenitores cuncta bona sua, & diuitias in ipsam conferrent: Deus namque, qui *disponit omnia suauiter*, cum voluit viros virtute præstantes in mundum mittere, non fecit id subitò, nemo enim repente fit summus, neque in bonum, neque in malum; sed sensim: *Iustorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem.* Prouerb. 4. Non subitò erumpit tota lux solis: sic Adamum totius humani generis progenitorem ex terra Virgine produxit. Samuelem ex matre sterili: Ioannem Baptistam ex parentibus iustis ante Deum: Magnum donum Dei parentes habere sanctos, *gloria filiorum patres eorum*: Prouerb. 17. sic vti-

1. Par. 29.

sic vtrique voluit diuina bonitas, vt excelsa Deiparæ Virginis sanctitas ex parentum,& proauorum sanctitate originem traheret. Ex Abrahamo patre fidei,ex obedientia Isaac,ex patientia Iacob,misericordia Dauid,sapientia Salomonis,religione Iosiæ,vt sacrata Virgo vnica omnium hæres,omnium maiorum virtutes quasi hęreditario iure susciperet. Virgo hæc purissima Radix illa est, de qua Iob.29 *Radix mea aperta est secus aquas, & ros morabitur in messione mea, gloria mea semper innouabitur.* Ipsa siquidem *Virga* est, & *radix Iesse*, ex qua *flos* ille *campi* processit:& in ipsa radice,& principio habuit plenitudinem gratiæ Cant.4 *Emissiones tuæ Paradisus.* Radix est,quia mater vnigeniti filij Dei,*de qua natus est Iesus*: radix quia principium omnium bonorum humani generis. Radix aperta secus aquarum decursus. Solent radices arborum detegi,& aperiri,vt aqua decurrens influat radici, & fœcundetur ad germen Sic Virgo vera *radix sancta, ex qua mundo lux est orta*, hodie aperta est secus decursum illum aquarum plenitudinis gratię tam filij,quam parentum, & proauorum, sicut & Psal 45.dicitur: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei,sanctificauit tabernaculum suum altissimus.* Fluminis impetus, & inundatio omnia replet, sic radix nostra in hoc die, quo tabernaculū suum sanctificauit altissimus, omnimodâ gratia repleta est. *Deus in medio eius,non commouebitur; Adiuuabit eam Deus mane diluculo* Hodie fuit fœlicissimum mane,& lętissimū diluculum;quo adiuta est omni gratia ab illo; *qui potens est omnē gratiā abundare facere*, 1.Cor.9. Mane, diluculo; geminatio illa dicit maximam Dei solicitudinem,& præuentionē: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* Eph 1 At Virgo est prælecta.

Iob. 29.
Esa. 11.
Maria radix.
Simile.
Psal.45.

Ab ipso statim mundi exordio cœpit Dominus pręparare,& prædicere huius Virginis dignitatem,& sanctitatem.Gen.3. *ipsa conteret caput tuum*:Prophetæ omnes,& maximè Esa.de hac Virgine prædixerunt Sybillæ quoq; multa de partu Virginis,imò & nomen ipsum Mariæ explicuerunt: maximè Erithrea, quæ (vt referunt Cedrenus,Simeon Metaphrastes,&Surius tom.4.)Gręcis carminibus, sic cecinit: *Et breuis egressum Maria de Virginis aluo. Exorta est noua lux*,&c de qua relegatur Augu.lib. 13.con-

August.

Hieron. 13. contra Faustum cap. 15. & Hieron. lib. 2. aduers. Iouini. *Ros quoque* ait Iob *morabitur in messione mea.* Sicut concha clausa, quæ solis influentiæ, & rori tantum cœ-
Iudic. 6. lesti aperitur, & gemmam gignit Diuinam. Ros Gedeoni ostensus in vellere, vel in area, Ros est gratiæ abundans, qui Mariam repleuit, & simul aream Ecclesiæ. *In messione mea morabitur*: ros enim gratiæ ipsius in messem Ecclesiæ, & potissimum in electorum manipulos descendit: *sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.*
Psal. 132. Psal. 132. Hermon interpretatur dicatum, vel consecratum: Hodie consecratus est mons Virginalis, & cœlestis roris gratia repletus, vt ab ipso descendat in montem Ecclesiæ Sion. Virgo igitur alma rorem gratiæ toti Ecclesiæ dispersit, & totius gratiæ, & virtutum omnium quasi aquarum influxum ex duplici radice suscepit. Ea
Cant. 4. ratione dicitur Sacra Virgo *hortus conclusus*: non tan-
Maria hortus conclusus. tum quia nullus hostis potuit ingressum inuenire, sicut olim inuenit in antiquum paradisum, sed quia in se recepit, & conclusit fructus sanctorum omnium: vt verè
Cant. 7. dicat sponso dilectissimo: *omnia poma noua, & vetera seruaui tibi: Toda la fruta que lleuan los tardines del Cielo*
Esa. 6. *y suelo,* Iuxta illud Esai. *omnis gloria Libani ad te veniat, abies, & buxus, & pinus ad ornandum locum sanctificationis meæ.* In hunc sensum adducit Bernard illud Eccl. 24.
Bernard. *Eccl. 24.* *In plenitudine sanctorum detentio mea.* Simili quoque tropo dicitur *fons signatus.* Cant 4. quia continet omnẽ gratiam fontis gratiæ communicabilem puræ creaturę.
Bernard. Et (vt Diuinus Bernardus ait) *fuit aqua ductus, qui exiuit de Paradiso:* Et sicut vltimus aquæ ductus suscipit aquam totius rotæ aquariæ, sic sacra Virgo suscepit plenitudinem gratiæ sanctorum omnium.

Solent in magnis solennitatibus coram regibus armigeri, siue reges armorum regalia stemmata diuersorum regnorum scutis varijs, vel vexillis deferre: tandem subsequitur regium vexillum, iuxta ipsum omnia stemmata continens: sic sacer Euangelista enumerat Patriarchas, & Reges, quasi reginæ cœlestis armigeros, in quibus præcessere virtutes ipsius dispersæ. Vt fides in Abraham, obedientia in Isaac, &c. Et tandem succedit regina cœlesti amicta sole, omnia complectens, *de qua*

natus est Iesus, qui vocatur Christus. Quare Cant. 6. sponsus mirabiliter laudat sponsam dicens: *pulchra es amica mea, suauis, & decora, sicut Hierusalem*: quasi dicat amplecteris omnem pulchritudinem cœlestis curiæ. *Terribilis vt castrorum acies ordinata; capilli tui, sicut grex caprarum*, id est, altissimæ cogitationes, vel deuotio, & mentis eleuatio: capreæ enim semper in montana conscendunt. *Dentes tui sicut greges ouium, quæ ascenderunt de lauacro*, id est, discretio vel fides, quæ cœlestia à terrenis diuidit; sicut oues ruminantes. *Sicut cortex mali punici gena tua absque occultis tuis*, id est, Virginitas, & humilitas, (quæ in te maximè splendent) claudunt virtutes reliquas, sicut cortex mali punici grana, & cellaria granorum telis distincta, absque occultis tuis meritis totius vitæ; vel absque occultis tuis, id est, donis tibi collatis à filio, quæ occulte, & tibi soli contulit. *Quæ* (vt Bernardus ait) *tibi soli datum est nosse, cui soli datum est experiri*: Qui enim sic matrem dilexit, vt se se in filium, tradiderit in tempore, qui ante tempora erat filius Dei, quid ipsi non donauit? Hæc omnia vnico illo verbo sacer Euangelista Matthæus complexus est dicens: *de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Vnico hoc verbo omnem eloquentiam Græcam, & Latinam excessit: Nihil elegantius Demosthenes, vel Cicero dicere potuissent: *Filius enim sapiens lætificat patrem suum.* Prou. 10. *& honor est parentum. Nihil vero maius, nec altius sub Deo dici potuit, quam esse matrem Dei*, dicit Anselmus.

Cant. 6.

Bernard.

Anselmus.

Quod si sanctitatem parentum solet Deus transfundere in filios, qualis sanctitas decebat matrem Dei? Talis vtique, vt si per impossibile Christus Dominus non fuisset beatus ab instanti conceptionis suæ, potuisset illi ex matre Sanctissima immensa virtus, & excelsa sanctitas communicari: omne enim generans generat sibi simile. Ea ratione sacra Virgo dicitur *quasi vitis*. Eccl. 24. *Ego quasi vitis fructificaui.* Christus viris est, virgo quasi vitis, *que oy esta en cierne, y en flor.* Cæterùm *flores mei fructus honoris, & honestatis*, id est initium gratiæ, & virtutis meæ potius est, quam fructus vltimi sanctorum omnium: gratia enim prima Virginis tutissima fuit ab omni periculo grandinis, & rubiginis.

Sanctitas matris Dei ex sanctitate Filij comprobatur.

Eccl. 24.

Num.13. Christus Dominus verus botrus terræ promissionis.

Iosue, & Caleb à Mose missi, vt regionis promissæ situm, atque vbertatem explorarent, fructus illius, & maximè mirabilem illum palmitem cum botro vuæ adduxerunt, vt pauidos Israelitarum animos tam feracis terræ obtinendæ desiderio accenderent: sic facer Euangelista, vt vnico verbo commendaret Virginis dignitatem, atque fœlicissimam fructus benedicti vbertatem, duos viros induxit, scilicet, Abraham, & Dauid, qui nobis *de torrente botri*, id est, ex magno feruore, & abundantia Diuinæ gratię, & charitatis palmitem illum cum botro, nempe Virginem sacram cum botro, dilectissimo filio Iesu detulerunt. Ac si dicat, si vultis scire dignitatem palmitis, videte botri dulcedinem, atque celsitudinem. *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus: Eia ergo aduocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte, & Iesum Benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende:* Vt illum nunc nostris humeris deferamus, & suauitatem sic degustare incipiamus per gratiam, vt illius esu refici mereamur per gloriam. Amen.



IN

IN CONCEPTIONE Sanctissimæ Virginis.

CONCIO QVARTA.

THEMA.

Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es? Cant. 4.

DE Virginis almæ pulchritudine cõcinit Ecclesia, *quod sol, & luna mirantur*, sed quid mirum, quod sol, & luna, quod cœlũ, & terra, & cœlicolæ omnes in admirationem tãtæ pulchritudinis rapiantur, quam ipse Deus pulchritudinis author admiratur, dicens: *Quam pulchra es, amica mea*, &c. De hoc igitur pulchritudinis miraculo dicturi Spiritus sancti authoris auxilium per ipsam Virginem imploremus, dicentes: *Aue Maria.*

Festiuitas hodierna inter cunctas solennitates noui Testamenti primum locum tenet: fuit enim fundamentum cunctarum festiuitatum: Hic fuit veluti primarius lapis totius Ecclesiastici ædificij, & spiritualis fabricæ, qua Diuina sapientia antiquum mundi, atq; hominis ædificium instaurare decreuit. Quare festum hoc multis retro seculis in cœlo celebratum est In eodem siquidem Diuinæ prędestinationis æterno cõsilio, quod ad humanæ salutis reparationem decretum est, vt filius Dei fieret filius hominis, hospitium virginalis vteri designatũ est, quo filius Altissimi velut in thalamo, & florido lectulo susciperetur, iuxta illud Prouerb. 8. *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret Nondum erant abyssi. & ego iam cõcepta eram. Nec dum fontes aquarum eruperãt*: id est, antequã fontes diuinæ charitatis, & gratiæ mũdũ irrigarẽt, sacra hęc virgo pręsignata est, vt per illã tãquã matrẽ gratiæ fons totius cœlestis gratię nobis cõmunicaretur. Vnde post gratiã filij, cui pater æternus Prou. 8. Ioan. 1.

non ad mensuram dedit spiritum : atque adeò in genere gratiæ fuit infinita, vt docet Angelicus Doctor 3. p. q 7. artic. 11 *Post gratiam* (inquam) *Christi filij supremum locum tenet gratia beatissimæ Virginis*, cui hodierno die primus potus plenissimus ex fonte gratiæ propinatus est. Quo hausto tanta pulchritudine fulgere cœpit, vt omnes tres diuinæ personæ illam collaudent, & admirentur. Patris siquidem est vox illa Cant. 1 *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum.* Filij verò vox est Cant. 4 *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es* Et Spiritus sancti illa Cantic. 7. *Quam pulchra es, & quam decora, charissima in delicijs.* In quibus Canticis adnotauit acutè Bernardus, quòd ab omnibus diuinis personis bis dicitur pulchra, vt geminatio ipsa absolutam, & vndique consummatam explicet pulchritudinem, tam animæ, quàm corporis: quæ adeò est eximia, vt ipse artifex Deus miretur opus suum: quasi aliorum operum consuetas regulas excesserit, vt verè illi adaptetur superscriptio potiori iure, quam soli luminari magno naturali, quod Eccl 43 Scriptum est: *Altitudinis firmamentum pulchritudo eius est: Vas admirabile opus excelsi.*

S. Thom. *Cant. 4.* *Bernard.* *Geminatio pulchritudinis perfectionē connotat.* *Eccl. 43.*

Vt raram sacratæ virginis pulchritudinem explicemus operæpretium fuerit scire, quid sit pulchrum. Cic 1. Offic. c 9 pulchrum definit, *quod est consentaneum hominis excellentiæ* Et secundum Platonis, & Aristot sententiam *pulchritudo in debita proportione partium, cum quadam coloris claritate sita est* Et S. Tho 2 2 q 142. art. 2. & q. 145 art. 2. ex Dionysio 4 de diu. no. *pulchritudo corporis in proportione membrorum, & coloris claritate sita est*: Sic Iudith. 10. dicitur quod *contulit illi Dominus splendorem, & pulchritudinem ampliauit.* Pulchritudo verò animæ in operatione secundum rationem sita est, & secundum claritatem signati super nos luminis. Vnde Dionysius diuinam arguit pulchritudiem ex mundi, & opificij sui pulchritudine, quia (vt Apostolus ait) *fide intelligimus aptata esse secula Verbo Dei, Vt ex inuisibilibus visibilia fierent.* Id quod S. Thom. ad Heb. 11. lect. 2. explicat dupliciter aptata esse Verbo Dei id est per diuinum imperium producta: sicut in Ps. dicitur: *ipse dixit, & facta sunt:*

Cicero *Plato & Aristo.* *S. Thom.* *Pulchritudo in debita proportione sita cum claritate.* *Dionys.* *S. Thom.*

sunt: Vel secundo, aptata esse Verbo, id est, conuenientia Verbo, & conceptui Diuino: *A la traca*, Quod Boetius dixit: *Pulchrum pulcherrimus ipse mundum mente gerens, similiq; imagine formans.* Inde cœli, & terræ, & totius creaturæ pulchritudo, & bonitas, sicut Genes. 1. dicitur: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Angelis verò & hominibus excelsior pulchritudo inter omnia diuina opera communicata est. Cæterum per culpam deformata, sublata enim consonantia, & proportione cum ratione, & diuina regula omnis pulchritudo denigrata est. Deus igitur optimus primæ pulchritudinis author, & amator, vt pristinam illam pulchritudinē cœlo redderet, & mundo; sacro hoc die opus suum exorsus Virginem pulcherrimam formauit: pulchram corpore, pulchriorem mente. Qualis operator, talis & creatio: *y como para si: Sapientia ædificauit sibi domum* Sap. 9 Hæc est stella illa fulgentissima, de qua Nu 24 *Orietur stella ex Iacob. Hæc est mulier amicta sole. Imò speciosior sole, & luci comparata inuenitur prior.* Tāta siquidem Virginis est pulchritudo, tamque tuta per humilitatis custodiam, vt absque vllo iactantiæ periculo dicat illi sponsus: *Ecce tu pulchra es*, &c. Quasi dicat, contemplari tibi licet (ô Virgo mater) pulchritudinem tuam: Ecce vide, intuere: non enim tibi continget, quod per Ezechielem dicitur, ad Hierusalem *habens fiduciam in pulchritudine tua fornicata es*, &c. Nec quod per eundem Prophetam superbo Lucifero improperatur: *Eleuatum est cor tuum in decore tuo. At gloria Virginis ab intus in fimbriis aureis*, id est, in humilitate sita est Per fimbriam enim, quæ pedes, & pauimentum tangit, humilitas designatur

Boetius. *Genes.* 1. *Num.* 24. *Apoc.* 12. *Ezech.* 16 *Ezech.* 28 *Psal.* 44.

Multa sunt, quæ pulchritudinem iuuant, nempe proportio membrorum cum claritate, suauitas eloquij: aptus motus corporis, & incessus, decentia ornatus, atq; odorum fragrantia. Sacratissima Virgo omnia hæc habuit cum magno cumulo, tam in corpore, quam in anima. In omnibus habuit maximam proportionem, tenuitque medium: secundum Albertum Magnum. Habuit enim debitam proportionem humorum, quare habuit medium colorem inter album, & rubeum, nempe triticeum:

Pulchritudo B. Virginis eximia. *Albertus Magn.*

Cant 5. ceum: Vnde ipsa ait: *Nigra sum, sed formosa: sicut tabernacula Cedar sicut pelles Salomonis.* Cedareni, siue Ismaelitæ, neque domos, neque proprias sedes habent, sed tabernacula, quare aeris inclementia denigrantur, *Como Gitanos*: gelu, & æstu exuruntur; sic Virgo pulcherrima habitauit cum habitantibus Cedar, nihil mirum, quod aeris, & hyemis inclementia, dum fugeret in Ægyptum, inter mundi tenebras, infidelium persecutiones, afflictiones, & dolores dilectissimi filij, potissimum cum astans cruci vidit sine aspectu, & decore. Deinde vigiliis, ieiuniis extenuata, & maximè ex animi languore præ filii desiderio, nil mirum, quod color ille triticeus denigratus sit: sicque, vt in plurimum apparent antiquissimæ imagines Virginis Deiparæ fusci coloris. Cæterùm pulcherrimæ, & cum maxima claritate, & splendore vultus.

Excelluit tamen Dei genitricis pulchritudo omnium fœminarum pulchritudinem in hoc, quod cum adeò esset pulchra à nullo quantumcunque flagitioso homine potuit vnquam concupisci: quia spiritualis animæ pulchritudo omnium corda penetrabat, & omnes motus illicitos extinguebat: quod nulli alii datum est. Ea ratione odor almæ Virginis comparatur Cedro Libani, quia serpentes fugat: & Myrrhæ, quæ à corruptione præser-

Eccl. 24. uat: Eccl. 24. *Quasi Myrrha electa dedi suauitatem odoris.* Erat quidem pulchritudo omnibus amabilis, & grata, sed neminem dissoluebat, nec emolliebat, imò componebat, & cogitationes mundabat. Habuit suauitatem eloquij: *Os suum aperuit sapientia, & lex clementia in lingua eius.* Prouerb 31. organum vocis habuit suaue, & be-

Cant. 4. nignum, Cant. 4 *Eloquium tuum dulce*, pronunciatio sonora, çqualis in Dei laudibus, in proximorum solatium, & ædificationem. Motum quoque corporis, & ingres-

Cant 7. sum laudat sponsus, Cant. 7. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis.* Per gressuum pulchritudinem morum compositio absque vllo terreno contagio significatur: per calceamēta, quæ infima sunt corporis ornamenta, humilitas significatur. At verò quanquam maxima fuit Virginis pulchritudo corporis, potissima verò fuit mentis, de qua Anselmus De conceptione

Pulchritudo gressuū morum honestas cum humilitate.

Anselmus

ptione Virginis cap.12.& cap.13.ait: *Decebat, vt qua Deum erat paritura ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi.* Et iterum: *Nihil tibi (ô Domina) æquale, nihil comparabile, omne enim quod est, aut supra te est, aut infra te: quod supra te est, solus Deus est, quod infra te, omne, quod Deus non est.* Vnde fuit integra, & impermixta pulchritudo. *Quasi Balsamum non mixtum odor meus.* Eccl.24. Augustinus de natura, & gratia, *Excepta Virgine sacra (de qua cum de peccatis agitur, nullam prorsus volo habere mentionem)* cæteri omnes mixturam habent. Bernard. Epistola 123 ad Canonic. Lugdunens. *Ego puto, quod copiosior Sanctificationis Benedictio in eam descenderit, quæ ipsius non solum Sanctificaret ortum, sed & vitam custodiret immunem: quod nemini alteri in natis mulierum creditur esse donatum.* August. Bernard.

Meritò Diuinus sponsus quarto Cantico ipsius pulchritudinem per omnia membra sigillatim laudat, maxime verò septem: videlicet oculos, capillos, dentes, labia, genas, collum, & vbera, quia septem sunt dona Spiritus sancti, & septem virtutes cardinales, quæ cœlestem quendam splendorem Virgini contulerunt. Deinde quia per oculos columbarum mentis simplicitas designatur. Matthæi 10. *Estote simplices sicut columbæ: capilli tui sicut greges caprarum,* id est, cogitationum altitudo, & munditia persimiles gregibus caprarum, quæ semper cacumina montium conscendunt: *Ascendunt verò de monte Galaad:* i. abiectionis. Ex humili enim sui cognitione ad cor altum, & ad excelsam Dei optimi cognitionem Virgo semper ascendebat: habebat siquidem pennas columbę, volabat, & requiescebat. *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderũt de lauacro,* id est, dentes candidi, mundi, & æquales, per quos significatur innocentia vitæ: dentes namque ouium non mordent, cibum tantum scindunt: quo significatur fidei discretio. *Omnes gemellis fœtibus,* quia iusti non tantum præcepta, sed consilia quoque amplectuntur. Inter quos Virgo sanctissima excelluit; sicut sol excellit sidera, sic ipsius innocentia omnem sanctorum innocentiam superauit. Habuit dentes fortissimos discretionis, fortitudinis, patientiæ, laborum, & charitatis ad scindendum ci- Cant.4. Pulchritudo Virginis perfecta.

bum doctrinæ, & exempli proximis. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Color purpureus labiorum pulchritudinem auget. Sic Virgilius suæ Veneri labia rosea tribuit. Labia Virginis charitatem Dei, & proximorum ædificationem suaui, dulcissimoque eloquio iugiter personabant. *Sicut fragmen mali punici genæ tuæ.* Rubeus color genas exornat, maximè cum ex pudore procedit. In fimbria vestis sacerdotalis præcepit Dominus collocari mala punica. Pudor siquidem, & modestia sacratæ Virginis ædificant Ecclesiam, sicut Apostolica prædicatio in tintinnabulis significata: Exemplum siquidem ipsius viua est prædicatio. Et sicut sub cortice, & fragmine mali granati plurimi latent, & pulcherrimi granorum ordines, sic sub vexillis virginei pudoris plurimi cœtus Virginum sacrarum militat, Ecclesiamque Christi exornant. *Sicut turris Dauid collum tuum:* In collo obedientia, & humilitas significatur, quæ turri Dauid, id est, Ecclesiæ miram confert fortitudinē. Ex quo enim humilis Virgo diuino nuncio obediens, collumq; submittens, dixit: *Ecce ancilla Domini:* infirmitas antiquæ Ecclesiæ in cœlestis turris fortitudinē commutata est.

Exod. 28.

Tandem duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli. Hæc sunt duo excelsa dona naturaliter repugnantia Virginitatis, & fœcunditatis, quibus statim vt gloriosa Virgo virtute diuina obumbrante ditata est, velut caprea velox per montana Iudeæ, per Ægyptum, per solitudines pergit, & duos hinnulos nutrit, filium nempe Iesum in duplici natura, diuina, & humana subsistētem. *Hic pascitur inter lilia,* id est, Virgines, vel candidas animas, *donec aspiret dies.* Tunc apparebit consummata Virginis pulchritudo, quæ cœlicolarum omnium oculos ad se rapiet. *Nam si iusti fulgebunt, sicut sol in regno Patris eorum,* Matth. 13 quanto excelsior erit sanctissimę Dei genitricis pulchritudo? Meritò igitur cœlestis sponsus eximiam illius pulchritudinem nunquam satis admiratur, dicens: *Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es?* Atque post singularum partium laudatam pulchritudinem subdit: *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.*

Et

Et quanquam pulchritudo Virginis ab hoc primo die conceptionis fuit maxima;in die tamen Incarnationis Verbi ex habitatione diuinitatis supra modum est aucta, tam in corpore, quam in anima; sicut vidit Ezechiel splendentem terram ex ingressu gloriæ Domini. Origen.in illud Matth.1. *Ioseph non cognoscebat eam*, &c. dicit, *quod quandiu Virgo Sanctissima habuit in Vtero filium Dei, tantus fulgor ab illius facie procedebat, quod non poterat Ioseph in ipsius faciem oculos intendere, ita Vt Vultum dignoscere posset.* Sicut contingit his, qui intuentur Veronicam,seu faciem Saluatoris,crucem Angelorum, & calicis Christi, nunquam enim vnius figuræ, & coloris apparere solent. Et quid mirum? nam si facies Moysi ex Diuino colloquio sic splendebat, *Vt non possent filij Israel intẽdere in illius faciem propter gloriam Vultus eius*; quantò potius splenderet almæ Dei genitricis facies ex plenitudine diuinitatis corporaliter inhabitantis. Et ex illa inhabitatione Dei (iuxta sententiam Bernardi serm.de aduent.Christi) *mansit corpus Virginis præseruatum ab omni corruptione melius, quam omni Balsamo perunctum.*

Pulchritudo B. Virginis per incarnationem Verbi maximè aucta

Ezech. 44.

Origen.

D.Bernar.

Dionysius, cum primum vidit almam Virginem,corruit,& nisi fides id prohiberet, vt Deam adorasset; narratque quod vndique fideles confluebant *Videre hoc pulchritudinis miraculum.* Ignatius Epistola ad Ioannem Euangelistam vocat *sacratissimum monstrum, & cœleste prodigium.* Chrysostômus vocat *orbis terræ miraculum*: Beatus Ildefonsus,*erat*(inquit)*cunctis fidelibus desiderabilis.* Quod si in terris adhuc mortalis tanta pulchritudine mundum in admirationem rapuit, quantò potius nunc in cœlesti beatitudine admirantes collaudabunt omnes ciues cœlestes,& Angelici spiritus? Id quod duo Cherubini arcam protegentes, mutuoq; sese respicientes,& admirantes olim præsignarunt.

Dionysius.

Ignatius.

Chrysost.

B. Ildefons.

Exod. 25.

Pulchritudo quidem corporis Dei donum est, sed periculosa (teste Augustino libr 15. de ciuit.) quia illa homines abutuntur. Chrysostomus homil 1. in Psal.50. *Pulchritudo corporis sine Virtute præcipitium patens, & Venenum est insipientium.* Arbores excelsæ, frondosæ, sed fructu vacuæ,ad summum glandes suibus afferunt.Prouerb.11.

Pulchritudo corporis periculosa.

August.

Chrysost.

Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra, & fatua. Pulchritudo verò stibio conficta, & fuco depicta diabolica est. De qua re legatur Ambrosius lib 6. Exam cap. 8. in illud Genes 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Et Chrysost. homil. 17. in Matthæ. Tandem Prouerb. 31. habetur: *Fallax gratia, & vana est pulchritudo, mulier timens Deum ipsa laudabitur.* Fallax velut sterquilinium niue coopertum, quod resoluta niue fœtet: & velut vermes noctu lucentes, qui adueniente luce fœdi sunt, & obscuri. Iob 25. *Homo putredo, & filius hominis vermis.* Funus est sericis coopertũ, sepulchrumque dealbatum De corporis specie optimum Consilium Senecæ: *Speculo teipsum contemplare; si formosus appareas, fac, qua deceant formam: sed si deformis: fac vt morum probitate vultus turpitudo compensetur.* Pulchritudo igitur animæ omnibus modis prosequenda est, quæ immortalis est, & æterna. De qua re eleganter Chrysost. lib. de reparatione lapsi. Verum nos omne tempus vitæ in ornatu ancillæ consumimus, & dominam tanquam vile mancipium deformem relinquimus. O si pulchritudo animæ oculis cerni posset, quam mirabiles sui amores excitaret? Si ignoras te, ô anima mea, quam pulchram te reddat Diuina gratia: Ecce tibi hodie proponitur eximia sacræ Dei genitricis pulchritudo, quã Sol, Luna, cœlum, & terra mirantur, & collaudant, imò Deus ipse miratur, ac tanta pulchritudine se captum, & vulneratum fatetur. Hanc intueamur, laudemus, & cum Diuo Anselmo dicamus: *O pulchra ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum, vulnera corda nostra amore pulchritudinis tuæ*, vt mereamur tecũ ingredi in pulchra illa tabernacula Iacob, & sedere in pulchritudine illa pacis, & requie opulenta, vbi regina Virginum astas à dextris filij circumdata pulchritudine, & varietate ostendens nobis vias pulchras gratiæ, & semitas pacificas gloriæ.

Ambros. *Chrysost.* *Seneca.* *Chrysost.* *Anselmus.* *Esa. 31.*



IN

IN FESTO COMMEMORATIONIS ANNVNCIATIONIS DOMINICÆ, SIVE de la, O, in alma Ecclesia Toletana de origine, & institutione solennitatis.

CONCIO PRIMA.

THEMA.

O si quis daret mihi aquam de cisterna Bethlehem, quæ est in porta. 1. Paral. 11.



ERBA sunt Regis Dauid, quibus explicuit non tantum corporalem sitim, sed potissimum sitim, & desiderium aduentus, & natiuitatis Saluatoris nostri ex Virgine sacra, quæ apud Bethlehem erat Dominum paritura, vt explicat Ambros. nam apud Bethlehem nato Saluatore manifestatus est fons, *Vnde hauriamus aquas in gaudio*: Et impletum est illud Zach. 13. *Erit fons patens domui Iacob*, &c. Cum Eliezer seruus Abraham iuxta fontem à Rebecca Virgine pulcherrima pauxillum aquæ sibi petiit, & non tantum sibi, sed & camelis Virgo aquam hausit, adorauit Dominum. Ibi enim typus Sacrosancti mysterij Incarnationis præfigurabatur, quod hodierno die recolimus. Ecce stamus prope fontem aquæ, Virgo sanctissima clauem habet fontis gratiæ; si ipsa hauserit, & nobis propinauerit, faciet nobiscum Dominus misericordiam, & recto itinere perducet, vt disseramus de arcano hoc mysterio: supplices postulemus à Virgine, vt propinet nobis aquam gratiæ, dicentes: *Aue Maria.*

Ambros.
Zachar. 13.
Genes. 24.

Ecclesiastici 1. dicitur de diuina sapientia: *Effudit illam super*

super omnia opera sua, & super omnem carnem secundum datum suum: Id quod explicuit Paulus 1. Cor. 12 *diuidens singulis prout vult*: varietate donorum voluit nationes omnes ditare, & honestare: hanc auro, illam argento, hanc gemmis, illam medicamentis, Balsamo, aromatibus, hanc plantis, radicibus, illam fructibus, hanc purpura, & cocco, illam bysso, hanc sericis, illam taperibus, hanc auibus, illam piscibus, aliam frumento, aliam vino, & oleo: vt sic mutuo commercio charitas, & amicitia inter distantes nationes coalescat, & vt singulis dulcis sit amor patriæ, sicut dixit Poeta:

Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Cùm igitur regiam hanc vrbem, almamque illius Toletanam Ecclesiam alta mente contemplor, verè video effudisse Dominum in illam dona sua, & diuitias: potissimum verò cœlestes thesauros gratiæ Sanctorum prælatorum Eugenij, Ildefonsi, & aliorum, thesaurosq; sacrorum corporum, & reliquiarum: maximè verò video ditatam hanc Ecclesiam visibili præsentia Sanctissimæ Virginis, quæ in hac sacra nocte, cum Beatus Ildefonsus contra Pelagium, & Elladium Hæreticos Gallos Gothicos illibatæ Virginis integritatem impugnantes multis concertationibus acerrimè dimicasset, sicut olim Hieronymus contra Eluidium, scriptoque contra eos libello de illibata Virginitate Mariæ conuictos ab Hispania relegasset, cumque hac sacra nocte libellum secum deferret, vt in laudem Virginis in matutinali officio legeretur; non ingrata Virgo de cœlo intempesta nocte in hanc fœlicissimam Ecclesiam descendit, & cum illa myriades Angelorum, cœlesti lumine repletur Ecclesia, & comitibus perterritis, & pauore dilapsis, seruũ suum Ildefonsum ex nomine compellans sacra veste cœlesti opificio contexta induit: Atque ad perpetuam tanti beneficij memoriam seruatur in magna veneratione lapis, in quo vetusta maiorum traditione Sacrata Virgo vestigio constitit, & iugiter adoramus locum, *vbi steterunt pedes eius*. Vtque tam singularis beneficij memoriam nulla temporum iniuria, aut obliuio deleat, Toletana Ecclesia in stemmatibus suis, atque insignibus id vbique

quę repræsentat, huiusque descensionis annuam celebritatem instituit nono Kalendas Februarij, qui dies est proximus festo Beat Ildefonsi. Ecce quam excelsa, atq; gloriosa sit hodierna festiuitas, quám præsentia sua, & cœlestibus donis cœlorum regina consecrare dignata est. Fuit verò instituta hodierna solennitas in Concilio Toletano 10. Can. 1 sub Martino primo anno a Christo nato circiter sexcentesimo quinquagesimo septimo, Reccisuindi Regis anno octauo Concilio præsedit Eugenius secundus, Archiepiscopus Toletanus, cui ipso anno successit in Toletana sede Beatus Ildefonsus per nouem annos: ille igitur, vt qui pro defensione honoris atque Virginalis pudoris strenue. & cōstanter contra Hæreticos dimicauerat, primus decretum Concilij de celebritate huius diei executioni mandauit, & cœlestis indumenti præmium, veluti fidelis defensoris brauium suscepit. Sicut enim in cœlo Michael contra Luciferum diuini honoris defensor electus est, vt nomen ipsum explicat, quis sicut Deus? Sic Ildefonsus electus est in Ecclesia militante defensor famæ, & honoris Virginis sanctissimæ: vt sit veluti Cherubin cum gladio versatili defensor Paradisi, Nomenq; videtur de cœlo illi datum Ildefonsi, id est, illius excellentissimi defensoris; id enim videtur sonare Ildefonsus, quod ille defensor per antonomasiam.

Solennitas expectationis instituta est in Concilio Tolet. 10.

Solennitas ergo hodierna ex institutione Concilij Toletani commemoratio annunciationis nuncupatur. A Beato Ildefonso expectationis partus Virginis nomen accepit. Festiuitas etiam nostræ Dominæ de la, O, vulgò nuncupatur Omniaq; hæc tria nomina festiuitati conueniunt Primo namque ea fuit intentio sacri Concilij, vt quoniam Sacrosanctum Dominicæ Incarnationis mysterium in suo proprio die nequit ea exultatione, qua dignum est, celebrari, nunc octauo die ante Saluatoris natiuitatem felicissimi illius diei summa cum lætitia, & animorum alacritate celeberrima agatur memoria: siquidem nullus dies humano generi illuxit felicior, nullus Virgini sacræ iucundior, neque dignior, siquidem statim, vt dixit; *Ecce ancilla Domini. fiat mihi, &c. Verbum caro factum est,* & ipsa in matrem Dei exaltata,

Tria nomina festiuitatis.

tata, infinitam quodammodo dignitatem suscepit: ex tunc enim factus est Deus illi subditus, vt verus Virginis filius. Nullus quoque dies humano generi fœlicior illuxit, *quo cum inimici essemus, reconciliati sumus in Christo*, & tanto pacis fœdere Deo coniuncti, vt humana natura ad ipsum esse Diuinum, eleuata sit. Tunc omnia mala nostra optatum finem, & omnia bona fœlicissimum initium Diuina bonitate habere cœperunt. De hoc mysterio dante Domino in festiuitate Incarnationis fusius differemus.

Secundò dicitur festum expectationis partus Virginis, quod nomen Beatus Ildefonsus imposuit. & meritò: Tum quia id conuenit mysterio: sic enim Christus vocabatur ab antiquis parentibus, *expectatus, desideratus*, vt medicus, & vt vniuersalis Redemptor: Sic magnus ille Patriarcha Iacob in mortis articulo inter benedicendum filiis, spiritu Diuino afflatus in benedictione Iudæ, dixit: *Ipse erit expectatio gentium*, & iterum in benedictione Daniel. *Salutare tuum expectabo Domine*. Esai. 26. *Miserere nostri Domine, te enim expectauimus*. Locus Aggæi 2. est insignis, nam eo vsus est Diuinus Paulus ad Hebræos 12. *Adhuc modicum, & ego mouebo cælum, & terram, & veniet desideratus cunctis gentibus. Adhuc modicum*, scilicet, circiter quingenti, & quinquaginta anni; *quia mille anni tanquam dies vnus*, vt ex Psalm 89. Petrus Apostolus explicuit: *Mouebo cælum, & terram*, quia per Incarnationis mysterium facta sunt omnia noua, & omnia instaurata cœlum, & terra mota sunt admiratione plena. Omnia repleta sunt lætitia, canticisque exultationis, & gloriæ. Tres quoque soles in cœlo apparuisse, qui paulatim in vnum coierunt, in Christi natiuitate magnum terræmotum præcessisse septimo Herodis anno refert Iosephus lib. 15 antiq cap. 7. & lib. 1. de bello Iudaic. cap. 14. Hæc, & alia prodigia refert Iulius Obsequens Romanus historicus, libr. de Prodigiis, cap. 128. vt tot prodigiis mundus excitatus in spem tanti mysterij erigeretur. Præterea vniuersali Cæsaris edicto, *Vt describeretur vniuersus orbis*, terra commota est, vt veniret desideratus cunctis gentibus: & Iacob dixit, Genes. 49. *Desideriam collium æternorum*: quia quanquam

B. Ildefons. Christus vocabatur olim expectatus, desideratus.

Aggæi 2.

Hebr. 12.

2. Petri 3.

Iosephus.

solis

ſolis Iudæis fuerit repromiſſus Meſſias, cæterum, quia omnes gentes illius aduentu, & redemptione indigebant, dicitur *deſideratus cunctis gentibus*: ſicut naturæ pondere quæcunque res etiam inanimata dicitur id appetere, quo maximè indiget: ſic intelligitur locus Oſeæ 2. *Exaudiam cœlos, & ipſi exaudient terram, & terra exaudiet triticum*, quod copioſe naſci deſiderat. Eſai 42. *Legem eius inſulæ expectabunt. Nos ſumus, in quos fines ſeculorum deuenerunt* 1. Corinth 10. *Nam antiqui patres iuxta fidem defuncti ſunt*. Hebr. 11. Hæc quoque commotio cœli, & terræ, atque deſiderium, & expectatio conuenit ſingulari, & potiſſima ratione almæ Virgini: illa ſiquidem cœlum eſt, & ſedes regis, & terra benedicta, quæ corpore, & mente per Spiritum ſanctum commota eſt; cum Verbum æternum in vtero ſuſcepit, & quaſi in alteram mutata eſt, in matrem Dei eleuata, & aſſumpta. Et cum inſtabat iam dies ſacri puerperij, exultabat in vtero filius, *cuius deliciæ eſſe cum filiis hominum*: Prouerb. 8. *Oſe. 2.*

De his, qui in rebus tranſitoriis ſpem conſtituunt, ſcriptum eſt: Eccl. 24. *Vana ſpes, & mendacium viro inſenſato: Et ſomnia extollunt imprudentes, quaſi, qui apprehendit vmbram, & perſequitur ventum*. Non ſic Dauid, ſed in Domino ſpem omnem reponens, dicebat Pſalm. 130. *Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam, ſicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in animam mea*, id eſt, id mihi contingat, quod infanti ablactato, & ab vberibus matris auulſo: qui gemit, plorat: ſic Dominus ab vberibus conſolationis ſuæ me ablactet, ſi in mundo ſperaui. Speret ergo Iſaac in Domino, id eſt, quanquam ablactatus, abiectus, & afflictus ſemper te, vt matrem ablactatus filius aſpiciam, in te vno ſpem omnem meam reponam. *Speret Iſrael in Domino*. Hæc eſt *galea ſalutis*, qua caput protegere docet Paulus ad Eph. 6 Hac galea deſtitutus Abſalon capillis expanſis è quercu pendens, tribus lanceis à Ioab transfixus interiit. Væ homini, qui capillos cogitationum non protegit firma in Deum ſpe. Rectè Dauid in vno Deo ſpem collocans ait: *Deus ſpei meæ*, Pſalm. 72. Meritò Apoſtolus vocat *ſpem fortiſſimum ſolatium, & tutam, ac firmam anchoram incedētu-*

Pſal. 130. Spes omnis in Domino reponēda.

Epheſ. 6.

2. Reg 18

Heb. 6

incedentem vsque ad interiora velaminis, id est, Diuinum pectus audacter ingreditur firma spes, ipsum penetrat, & inclinat: Adeò vt Verbum incarnatum fructum spei dicere possimus, & expectationis antiquorum patrum præmium. Hinc Prouerb 10. *Expectatio iustorum lætitia.* Quod si iustorum omnium expectationem lætitia comitatur, exultatioque consequitur, quæ lingua explicare queat, quanto gaudio hisce diebus cor Virginis perfunderetur? Non enim fecit illi Dominus risum in figura; vt olim Saræ in conceptu Isaac. Nec gauisa est, vt Abraham, qui exultauit, vt diem Domini videret; sed verè vidit. Atque adeò sciens instare iam diem, quo creatorem suum, & omnium Redemptorem esset parituta, ineffabili gaudio, & cordis iubilo diem felicissimum expectans, filium intra vterum adorans, alloquebatur. *Quis mihi det te tam sugentem vbera mea, vt videam te foris, & deosculer te. O candor lucis æterna ostende mihi faciem tuam: in te enim desiderant Angeli prospicere.*

Prouer. 10. *Gen. 21.* *Expectatio Virginis plena gaudio.* *Cant. 8.*

Iam verò tertio loco dicitur festum nostræ Dominæ de la, O. Et quidem meritò, quia hæc dictio, O, interiectio est optantis, vocantis, & admirantis. Primum enim mysterio Incarnationis, O, conuenit: fuit enim ab antiquis patribus optatum, & inuocatum. Id quod Iacob Gen 49 explicuit, dicens: *Ad vitem, ô fili mi*, &c. & Dauid Rex cum dixit: *O si quis daret mihi potum de cisterna Bethlehem, quæ est in porta.* Cùm enim sibi allata est aqua, noluit bibere, quin potius Domino libauit, quia mysticam aquam optabat: quam Esa quoque desiderans, cap. 45 dicebat: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum*, &c. Et cap. 64. *Vtinam dirumperes cœlos, & descenderes.* His quoque septem antiphonis, quæ à vigilia huius solennitatis inchoantur ab, O, O, *sapientia*, *O Adonai*, &c. magnis clamoribus quotidie instauratis antiquorum patrum desiderium explicamus, & quasi moram agentem Dominum ipsorum nomine iterum, atque iterum inuocamus: deprecamurque vt & in nos nunc veniat per gratiam. Tertio loco est interiectio admirantis, quia Ecclesia nunquam satis explicat admirationem suam; sicut Augustinus non satiabatur considerare *altitudinem Cõsilij Diuini super salutem humani generis*: sic admirans

Festum de la, O, conuenit mysterio Christo, & matri. *1. Paral. 11.* *Esa. 45.*

Ecclesia

Ecclesia sæpè concinit: *O magnum mysterium, & admirabile sacramentum: O admirabile commercium.* Et ab ipsa Virgine quærit: *O Virgo Virginum quomodo fiet istud?* &c. & meritò ab ipsa Dei genitrice id quærimus; quia (vt Bernard. ait) *Tibi soli datum est nosse, cui soli datum est experiri.* Eccl. 11 dicitur: *Quomodo ignoras, quæ sit via spiritus, & qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis, sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.* Et multò minus consequi possumus hoc mysterium mysteriorum, quod Spiritus sanctus intra Virginis vterum operatus est; *dum quietum silentium contineret omnia, & sicut pluuia in vellus silenter descendit*, malleus in templi fabrica non est auditus: sic arcanum sacramentum æternis temporibus tacitum, & absconditum, silenter intra Virginis vterum operatus est Spiritus sanctus, purissimum sanguinem Virginis subtiliter, suauiterque præparans, corpusque coaptans, vt illud, cum adueniente anima verbum substantialiter indueret, sibique in personalem vnitatem indissolubili vinculo copularet. Et id quidem absque confusione proprietatum, imò saluis conditionibus vtriusque naturæ, diuinæ, & humanæ; *ita vt vnus, atque idem Dei, & Virginis filius, & ex humana mori posset, & ex diuina resurgere.* Admirabile sacramentum, quod nisi fides susciperet, humana ratio prorsus opprimeretur à gloria. *Bernard.*

Secundo loco, O, conuenit ipsi filio desiderato, inuocato, & admirabili. Sic enim prædixit Esa cap. 9. *Vocabitur nomen eius admirabilis*, &c. Deinde quia ipse de se ait Apocalip. 1. *Ego sum α, & ω, principium, & finis.* Principium, in quo creauit Deus cœlum, & terram, vt Augustinus explicuit, & Ioan 8. *Principium, qui & loquor vobis. Est quoque finis legis Christus.* Rom. 10. finis desideriorum, promissionum, & diuini Consilij, figurarum, oraculorũ, ac tandem, in quo Dauid *omnis consummationis vidit finem.* Finis denique, & cẽtrum cordis iustorum, in quem tendere oportet nostra desideria. *Esa. 9.* *Christo conuenit, O, quia principium, & finis.* *Gen. 1.* *August.* *Psal. 118.*

Tertio verò sacræ Virgini conuenit, O, multis rationibus. Primo quia mater est illius, *qui est α, & ω.* Atque adeò quia mater, & principium filij secundum humanam naturam, Maria duplex, a, habet: conuenit quoque illi O; *Mariæ conuenit, α, & o,*

illi O;

illi O, quia mulier *benedicta inter mulieres* à mundi exordio fuit prædicta, cunctis seculis fuit desiderata, & inuocata. Est quoque mirabilis super omnes mulieres: Est enim *fœmina, quæ circumdedit virum: & mirabile signum,* quod in cœlo vidit Ioannes: *Mulier amicta sole,* &c.

Hiere. 31.
Apoc 12.

Figura circularis cunctis figuris præstantior.

Ad hæc aptissimè tribuitur Virgini sacræ, O, quia mathematici inter figuras omnes circulari primas concedunt. Excellit omnes pulchritudine, & omnimoda perfectione integritatis, capacitatis, æqualitatis, & stabilitatis, estq; ad motum aptissima. Quæ omnia videbimus in alma Virgine mirabiliter reperiri. Atq; ea ratione in Scriptura sacra sæpe comparari solet rebus rotundis, & sphæricis. Illa enim circulus est à Deo positus super nares Leuiathan: sicut Christus Dominus hamus, quo illum expiscatus est: circulus enim in naribus impedit olfactũ, & quasi fræno feram cõtinet: Sic Virgo sanctissima diaboli sagacitatem, & solicitudinem, qua inuestigabat, an Christus esset Deus, cohibuit velo carnis filium induẽs: ipsa quoq; caput conterit, & sæuitiam quasi circulo, & fræno cohibet, ne contra homines sæuiat, quantum vellet. Dicitur etiam *hortus conclusus, fons signatus, cortex mali punici*: & Cantic. 7. *Aceruus tritici vallatus lilijs.* Ezech. 1. *Rota in medio rotæ.* Rota, quæ in puncto terram contingebat, quæ motum spiritus semper sequebatur: quæ Christum perfectissimam rotam sine principio, & fine intra se continebat. Rota, quæ simul mouetur motibus contrariis, sursum, & deorsum, nam simul est mater, & virgo: Vnde versus ille:

Maria circulus est, quo frenatur Leuiathan.
Iob 40.

Maria hortus conclusus, cortex mali punici, aceruus tritici, Rota, &c.
Ezech. 1.

Partus, & integritas discordes tempore longo
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Inuenimus quoq; in hac cœlesti rota motus cõtrarios dignitatis, & humilitatis, quanto enim magis à Deo exaltatur, & eleuatur, eò magis ipsa per humilitatem sese deprimit. Tandem *Sol* vocatur, & *Luna*, atq; *Stella maris*: quæ luminaria sphæricam figuram habent: sicut & cœlum dicitur apud Esa. *Cœlum mihi sedes est.*

Esa. 66.

Figura spherica pulchritudini Vir-

Duas nunc circuli perfectiones meditemur in gloriosa Virgine: nempe pulchritudinem, & aptitudinem ad motum. Primum quidem huius Virginis *pulchritudinem Sol, & Luna mirantur.* Imò & ipse sponsus Deus illius

pulchri-

pulchritudinem nūquam satis sibi laudare videtur: dum Cant. 1. 4. 6. & 7. à vertice capitis vsq; ad calceamēta pedum laudat. *Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es.* Iterum: *tota pulchra es.* Et tandem: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis.* Cant. 7. *Et quia pulchritudo sita est in debita proportione partiū, cum quadam coloris claritate.* vt ex Plato. & Dion. 4. cap. de diuin. no. docet S. Thom. 2. 2 quæst. 142 art. 2. hæc claritas aucta est, cum Verbum Diuinum intra vterum suscepit: est enim *splendor gloriæ, & candor lucis æternæ. Quod si facies Mosi splendebat, ita vt non possent filij Israel intendere in faciem propter claritatem vultus eius:* quāto magis splenderet facies Virginis? Pulchritudo Virginis fuit perfectissima, tam mentis, quam corporis, vt diximus latiùs Concione 4. de conceptione; quæ per figuram sphæricam significatur.

ginis aptatur.

S. Thom.

Hebr. 1.

Secunda perfectio figuræ circularis est, quod ad motum est aptissima, vt experimento constat, quod faciliùs mouentur maiora saxa, & pondera in figura circulari, vel rotarum adminiculo, quam minora in figura plana, vel quadrangulari. Commodissime igitur figura sphærica adaptatur obedientiæ, & humilitati sacræ Virginis, quæ ad nutum Domini, vt humilis ancilla caput inclinat, & in omnibus mouetur. Hinc est, quod *surrexit cum festinatione, vt visitaret Elisabeth, Omnibus mobilibus mobilior est Sapientia.* Sap. 7. Hæc prompta sanctissimæ Virginis obedientia, & humilitas adeò placuit Altissimo, quod (vt Augustinus ait) *Virginitate concepit, sed humilitate placuit.* Et Bernard *quod Virginitas sine humilitate non placuisset.* Hæc humilitas, & obedientia Virginis significatur per crinem, & collum sponsæ, cuius aspectu se vulneratum spōsus fatetur, & maximè vulneratum, quod geminatione vulneris explicat, Cant. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum*, id est, in vnitate amoris, & intentionis, quia in omnibus nihil aliud quàm me respicis: *& in vno crine colli tui:* in collo obedientia significatur, in crine humilitas, *superbus cucurrit contra Deum extento collo.* Iob 15. Esa. 3. *Ambulauerunt extento collo.* Obediens collum subiicit iugo, & humilis per capillum

Figura circularis aptitudo ad motum humilitati Virginis congruentissima.

August.

Bernard.

Cant. 4.

Esa. 3.

ducitur,& vt capillus vix videtur, sic humilis abscondi-tur. Hanc humilem obedientiam præstitit Virgo, cum audito Angelico nuncio, cognitaque diuina voluntate, submisso collo respondit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi,* &c. Ancilla enim (vt Albertus Magnus in ea verba ad-notauit) deriuatur ab An, quod est circum, & cileo mo-ueo, quasi circummobilis: sicut & ancille dicitur scu-tum circummobile, Angelus item quasi circumuolubi-lis, & diligens nuncius, ad nutumq; obediens. Et quam-uis Chrysost. & multi ex Græcis patribus dicant, quod Virgo concepit filium, cum Angelus dixit: *Dominus te-cum.* Cæterum multo vero similius Latini patres, quod cum consensum Virgo præstitit, dicens: *Ecce ancilla Do-mini, fiat mihi*, &c Verbum, fiat, fuit potentissimum; quo nullum potentius, siquidem illo prolato *Verbum Dei factum est caro*, & Virgo mater Dei facta est. Et quã-quam in multis est Virgo *mirabilis, sacrum prodigium, & orbis miraculum* (vt rectè illam, O, admirationis nuncu-pemus) humilitas tamen ipsius omnia miracula, & mi-rabilia excellit. Siquidem ad matris Dei dignitatem, & sublimitatem exaltata se humilem ancillam profite-tur. O stupendam, & ab Angelis semper laudandam humilitatem. Bernardus: *Non est magnum esse humi-lem in abiectione, prorsus rara virtus est humilitas hono-rata.*

Albertus Magn. in Lucam. *Chrysost.* *Bernard.*

Omnes profitemur deuotionem huius diei, & Virgi-nis, de la, O, sed nescio quam verè Bernard. *Confundor, ac erubesco considerans quam tepide eum suscipimus, quem prisci patres maximo desiderauerunt feruore.* Nullus est, qui viuat sine, O, desiderij. Sed, O, *filij hominum vsque quo graui corde* (ait psaltes Regius.) *Vt quid diligitis va-nitatem, & quæritis mendacium?* Prouerb. 21. *Anima im-pij desiderat malum.* Eccles. 2. *Quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis.* Sed videte quid Dominus dicat per Zachar. *O, O, fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus: O Sion fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis.* Ter repetit O, quia triplex *concupiscentia, carnis, oculorum, & super-bia vitæ*, vt nos Ioannes 1. cap. 2. docet: terra Aquilonis regio est frigida, regio dissimilitudinis & peccati: hæc est filia Babylonis, & confusionis, 1. Ioan. 2. *Fratres nolite diligere*

Bernard. *Desideria qualia esse oporteat.* *Prou. 21.* *Eccl. 2.* *Zachar. 2.*

diligere mundum, nec ea, quæ in mundo sunt Trina quoque geminatio periculi magnitudinem explicat: Et diuinum affectum, *quo vult omnes homines saluos fieri.* Caueamus igitur, & fugiamus carnis desideria. *Fugite desideria multa, & inutilia, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem, In hoc enim apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & secularia desideria sobrie, iuste, & pie viuamus in hoc seculo expectantes beatam spem*, ad Titum 2. Quo loco Apostolus contra desideria inutilia opponit expectationem beatæ spei: & contra triplex, O, praui desiderij opponit triplicem modum, sobrie contra, O, carnis, iuste contra, O, auaritiæ, & oculorum, pie contra, O, superbiæ. Si vis antidotum cordis contra hęc omnia, *vna pitima cordial*, audi sponsum dicentē, Cant. 8. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* Ponamus, O, obedientiæ, & humilitatis Christi, & beatissimæ matris, vt signaculum, & sigillum, quod claudat ostia cordis, & custodiat ab inutilibus desideriis: Vt signaculum, & circulum vitæ, & æternitatis, in quod vnum tendant omnes cordis nostri lineæ, & desideria, & omnia opera nostra per brachium significata: hoc beatificum, & viuificum, O, habeant semper pro obiecto. Hoc est enim, O, quod replet in bonis desiderium nostrum, replet (inquam) nunc bonis gratiæ, & in futuro bonis gloriæ.

Cant. 8.



IN EADEM SOLENNITATE expectationis partus,

CONCIO SECVNDA.

THEMA.

Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum. Luc. 1.



ERBA sunt cœlestis paranymphi Gabrielis Archangeli, quibus clementissimus Dominus nuncium Dei fortitudine roboratū instruxit, vt almam virginem salutaret, & salutis nostrę desideratum exordium fœliciter auspicaretur; quo virgo in Dei matrem electa diuinæ dispensationi consensum præberet: quo æternis temporibus tacitum, cunctisq; seculis optatum incarnationis diuinæ mysterium intra sacratum ipsius vterum perficeretur. De hoc ineffabili sacramento hodierna die dicturi ab eisdē verbis exordiamur, flexis genibus, virginem Deiparam salutantes, & dicentes: *Aue Maria.*

Inter celeberrima orbis ędificia non infimum locum tenuit templum illud ab idololatris in honorem Dianæ Ephesinæ dicatum, quod plebeius quidam, vt æternum nomen acquireret igne supposito voluit delere: Dianam verò vocabant Lunam, quam veluti Deam venerabantur; eamq; cum sagittarum manipulo depingebant, propter radiorum influentiam, quibus terram fœcundat. Iis sagittis Ephesiorum corda sic vulnerauerat, vt cum prędicante Paulo Ephesiis virtute Diuini Verbi inciperet deuotio, & veneratio Dianæ refrigescere, *Demetrius quidam argentarius* conuocatis opificibus suę artis, proposita illis sui lucri magna iactura, collapsæque antiquæ venerationis magnæ Dianæ, quam tota Asia, & orbis colebat, Ephesios concitarunt, atque seditione facta confusione pleni clamabant: *Magna Diana Ephesiorum:* sic vi- Act. 19.

ſic videtur contigiſſe, quanquam potioti, & verioti iure cum ſacra Virgine, quam cœlum, terra, & totus orbis colit. Heluidius namq; tẽpore Diui Hieronymi ſactum hoc templum intemeratæ Virginis, in quo tota Trinitas habitauit, & Verbum humanam naturam aſſumpſit, voluit impudentiſſimus hæreticus diruere, quem Diuus Hieronymus efficaciſſimis argumentis impugnauit. Eandem hæreſim iam ſepultam temporibus Beati Ildefonſi ab inferis reuocarunt Pelagius & Elladius hæretici, qui ex Gallia Gotica in Hiſpaniam venientes illam diſſeminare cœperunt, illibatam Virginitatem Dei genitricis impugnantes: Tunc temporis circa annum Domini circiter Sexageſimum ſupra ſexcenteſimum ſub Martino primo conuenerunt in Concilium Toletanum Decimum Eugenius Tertius Archiepiſcopus Toletanus, & decem & ſeptem alii Epiſcopi regnante Catholico Rege Reccisuindo, & acclamauerũt puritati, & dignitati Virginis almæ; & quaſi dicentes, Magna Virgo Maria; Et vt in ęternum maneat puritas, & integritas Marię decreuerunt, vt octauo die ante Natiuitatem Domini celebretur commemoratio Dominicę Incarnationis Id quod anno proximo, id eſt, anno nono Regis Reccisuindi Diuus Ildefonſus, (qui eo anno Eugenio in ſede Toletana ſucceſſit) vt acerrimus Virginalis honotis defenſor, cum executioni mandaret, & ad officium matutinale tantæ ſolennitatis accederet, cœleſte indumentum è manu reginæ Angelorum ſuſcepit.

Virginitas ſacra Dei genitricis Maria per D. Hieronymum & Ildefonſum conſtanter eſt defenſa.

Diximus ſermone proximo feſtum hoc tria ſortiri nomina, commemorationis Incarnationis, expectationis ſacri partus, & feſtum de la, O. Quam literam, ſiue circulum diximus ſolennitati, & Virgini conuenienter aptari propter pulchritudinem: & promptam obedientiam, atque humilitatem. Hodierna Concione addemus & alias rationes, quoniam de explicatione Euangelii, miſſus eſt in feſto Incarnationis, plures Conciones conſcribemus largiente Domino, facilè erit huc vocare.

Congruentiſſimè igitur ſolennitas hodierna nuncupatur de la, O, celebratur enim myſterium Incarnationis, quod initium eſt ſalutis noſtræ, & finis deſiderij

Incarnationis myſterium eſt α,

 anti-

& ω, principium, & finis, redemptionis nostra. antiquorum Patrum, finis est Diuini Consilij, Diuinarumque promissionum. Mysterium est illius, *qui est α, & ω, alpha, & o, principium, & finis.* Homerus ille inter Græcos poetas facile Princeps circularem catenam effinxit è manu Dei de cœlo in orbem suspensam, atque omnia creata mutuis circulis religantem, eamque fieri solis virtute, *qui omnia gyrans lustrat per circuitum:* Ecclesiast. 1 Solis enim virtutem mundi esse mentem, & viuificatricem dixit Cicero. Catenæ vero illius circularis figmentum multum consonat nostræ fidei, siquidem ipse Dominus ait, Apocal. 1 *Ego sum α, & ω, principium, & finis.* Principium est rerum omnium, & earum finis, in quem naturali quodam pondere omnia tendunt: vniuersa enim propter semetipsum operatus est Dominus:

Prouer. 15. vbi (propter) dicit causam finalem. Hoc est principium, quod in se clausit gloriosa Virgo, cum dixit: *Fiat mihi.* Vnde rectè illi dicere possumus in hoc die, cum continet in vtero Diuinum Verbum: *Tecum principium* (ô

Psal. 109. Virgo sanctissima) *in die virtutis tuæ in splendoribus*, &c. Vel, vt habet lectio septuaginta, *ex vtero auroræ ros tibi adolescentiæ tuæ.* Idem enim Dei filius ex vtero paterno ante tempora, & *à diebus æternitatis* genitus, vt dixit Michæas, cap. 5. intra vterum auroræ, id est, sacratæ Virginis rorem humanæ adolescentiæ per Spiritum sanctum suscepit: Dies Incarnationis fuit dies virtutis Virginis, in quo fidei, & virtutum omnium manifestum testimonium perhibuit, ingensque suscepit incrementum. Tum quia eo die propemodum infinita potentia illi delata est, dum per Verbum fiat, creati sunt cœli noui, & terra, omnia instaurata sunt in Christo, dum *Verbum caro factum est.* Nonne immensa virtus est creatorem suum generare, humanum esse illi concedere, *qui est, & in quo viuimus, mouemur, & sumus,* Act 17. Filium Dei habere filium sibi subditum, & per omnia obedientem.

Neque sine Diuino Consilio factum est, vt salutationem suam Archangelus à verbo Aue auspicaretur, omnes siquidem gentes in more positum habent, vt primo ingressu salutent eos, quos aggrediuntur, *Salue, benè tibi sit, sis felix*, Iudæi, *pax tibi.* Sic salutabat Christus Dominus: *Pax vobis.* Sic Gabriel, vt dignissimus nuncius,

eius, à tota Trinitate ad hoc munus electus, atque instructus noua salutatione, neque vnquam antea in terris audita Virginem affatur, dicens: *Aue, gratia plena.* Verbum est gratulantis: gaude; sicut ratio postular: vel potius diuina electio supra omnem rationem ordinat. Nouam hanc salutandi formulam de cœlis in terram inuectam nequeunt satis præ admiratione explicare sancti: adeoque salutationis nouitate turbatam Virginem existimat Ambrosius: *Soli Maria hac salutatio seruabatur, nunquam antea audita, nunquam comperta, neque enim ab hominibus est composita, sed à Deo inuenta.* Tribus siquidem literis protulit, Aue: quasi Trinitatis nuncium deferens: scilicet altitudinis, potentiæ patris: qui est α, & principium rerum omnium, vel, quia nuncium deferebat amoris paterni: *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret,* Ioan. 3. Deinde nuncius erat veritatis filij, & æternitatis Spiritus sancti: *Aue Maria.*

Aue, Verbũ est gratulantis.

D. Ambros.

Aue, tres literas habet, tribus diuinis personis cõuenientes.

Mutauit quoque his tribus literis nomen Euæ, vt cõcinit Ecclesia; & his tribus literis (vt Gregorius Nisenus ait) tria damna Euæ, videlicet doloris, tristitiæ, & subiectionis, in libertatem, lætitiam, & solatium, commutauit. Petrus quoq; Chrysologus ait, *quod non fuit simplex, vel consueta salutatio, sed admiratione digna: fuit enim venerationis delatio, oblatio muneris, & famulatus obsequij. Como fruta nueua del jardin del Cielo, & tam expectati fructus, & muneris gratulatio.*

Tria damna Eua per Aue restituta.

Gregor. Nisenus.

Chrysolog.

Iam verò meditationes alias huius solennitatis, & nominis de la, O, prosequi operæpretium fuit: diximus enim concione proxima, huic figuræ circulari inter figuras omnes a mathematicis primas dari, tũ quia ad motum est aptior, tum quia ipso aspectu est inter figuras omnes pulcherrima, atque perfectissima. Quod si circularis figuræ perfectionem exacte perpendas, videbis ex integritate, æqualitate, simplicitate, atq; stabilitate procedere. Quæ omnia inuenimus eminentissime in Gloriosa Virgine Maria Principio enim ipsius integritatem flexis genibus in symbolo semper confitemur, dicentes: *Ex Maria Virgine.* Idem clamat hodiernæ festiuitatis origo, & institutio. Hoc Ecclesia concinit: *Post partum*

Festum de la, O, dicitur propter Virginis integritatem.

G 5 Virgo

Virgo inuiolata permansisti. Hoc Virginei pudoris acerrimus defensor Ildefonsus conuictis, & expulsis ab Hispania hæreticis gloriose conscripsit: atque Virginis Leocadiæ coram Reccisuindo Rege è sepulchro surgentis cœlestem laudem promeruit, cum illi dixit: *Per te Ildefonse viuit Domina mea.* Hæc Virginis integritas in

Ezech 44. porta illa Orientali clausa, quam vidit Ezechiel, præsignata est, de qua dixit Propheta: *Porta hac clausa erit, & non aperietur; & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam. Eritque clausa Principi* Sed quid sibi vult, quod sit clausa Principi? Certè, quia (quanquam Princeps gloriæ ingressus est in vterum Virginis) sed claustra pudoris permanserunt integra: & sicut resurgens a mortuis ingressus est ad discipulos ianuis clausis, sic nascens in mundum clauso exiuit Virginis vtero. Sic explicatur figura Ezech. à D. Hieronymo lib 13. in Ezechielem, & lib.5. in Esa. c.7. Ambrosius de inst. virg. c.7. Gregor. Emiss. hom 1. de natiuitate Domini Damasc 4. de fid. orthod. c 15. & Cyprianus in symbol Apostolorum: sic Ecclesia concinit Virgini: *Fœlix cœli porta.* Et quanquam porta est integritate clausa, sed pietate omnibus patens: *Hac porta Domini iusti intrabunt per eam.* Imò & peccatores humiliter ante hanc sacram portam inueniemus ingressum, & accessum ad dilectissimum filium Iesum.

Sacra Virgo porta est Orientalis.

Hieron.

Ambrос.

Esa. 9. Eandem Virginis sacræ integritatem Propheta Euangelicus prædixit, c 9. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium:* & subditur: *Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis.* Vbi verò subditur: *multiplicabitur eius*

Lyranus. *imperium* Lyranus diligenter aduertit, quod in Hebræo habetur Lemarbe Namisra, id est, ad multiplicandum

Hieron. imperium, vel principatum: & Hieronym. in Hebræa lingua satis versatus aduertit, quod Hebræi nunquam vtuntur litera mem, in principio, vel medio dictionis, nisi ad significandum magnum mysterium clausum, & absconditum.

Exod.3. Hanc Virginis integritatem expressit rubus spinis

Cant.4. circumseptus, ardens, & incombustus: Eandem sponsus

Cant.7. collaudat, dum vocat *hortum conclusum, fontem signatum, atque aceruum tritici vallatum liliis.* Noster quoque

que Diuus Ildefonsus libr. de illibata virginitate comprobat ex visione Dani. de lapillo exciso de monte sine manibus: Christus enim ex Virgine natus comminuit omnia imperia, & creuit in montem multiplicato ipsius impetio iuxta Esaiæ vaticinium. Meritò Salomon Prouerb. 31. *viam viri in adolescentula* se prorsus ignorare confessus est: & Hierem. cap. 31. *nouum super terram* appellauit. *D. Ildefon.* *Hier. 31.*

Perfectio deinde literæ O, resultat ex æqualitate, & simplicitate: vndique enim equalis est, non erigit caput, nulla pars ab orbe deflectit. Inde procedit aptitudo ad motum. Sic nimirum adeò æqualis, & consummata Virgo sanctissima in omni virtutum genere, vt nescias quam virtutem in ipsa magis admiteris, fidem, spem, charitatem, an deuotionem, magnanimitatem, Virginitatem, an patientiam, obedientiam, & humilitatem? Sed si qua virtus excellit, humilitas est, vt Augustinus & Bernard. docent. Simplicitas verò Virginis in oculis columbarum ab sponso laudatur. Cantic. 1. & quatto. *O, litera perfectio ex æqualitate, & simplicitate.*

Capacitas quoque circulo perfectionem addit: sacræ verò Virginis capacitatem quis explicare valeat; siquidem, *quem cœli capere non poterant*, suo conclusit gremio? Vnde Angelus illam salutans *gratia plenam* vocauit. Et Hieronymus eleganter: *Cæteris gratia per partes distributa est, at in Mariam tota sese infudit gratiæ plenitudo.* In hoc sensu explicat Bernardus illud Ecclesiast. 24. *In plenitudine sanctorum detentio mea* & illud: *Ego quasi aquæductus*, &c. sicut vltimus aquæductus recipit totam aquam, & sicut cortex mali punici continet omnes granorum ordines. Vnde subditur: *Sexaginta sunt reginæ*, &c. *Vna est columba mea, perfecta mea.* Atque sicut *omnia flumina intrant mare.* Ecclesiast. 1. *& congregationes aquarum appellauit Dominus Maria*: sic omnia gratiarum flumina intrant in Mariam, accentuq; longo vocatur Maria, quia maior est ipsius plenitudo, quàm maris. Ipsa est, quæ *conclusit ostiu mare*, Iob 38. id est, abyssum Diuinę omnipotentiæ, pannisque infantiæ obuoluit. *O, respōdet immensa capacitati Virginis.* *D. Hieron.* *D. Bern.* *Eccl. 24.*

Tandem firmitas, atque stabilitas circuli perfectionem

Stabilitas & perfectio circuli comprobatur. nem literæ, O, comprobant. Primum quidem propter stabilitatem mundus in figura circulari conditus est; eaque ratione orbis nuncupatus, quia rotundus Hierem. 10. *Qui præparat orbem in sapientia sua.* Et Prouer. 3. *Stabiliuit cœlos prudentia.* Et Psal 103. *Fundauit terram super stabilitatem suam.* Sol, Luna, & stellæ circulari motu illuminant terram: *Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, gyrat per meridiem*: orbes cœlestes, & elementa suis sphæris continentur. Ars, quæ naturam imitatur, in circulari figura ædificiorum stabilitatem constituit: exercitus, & classes orbiculari, vel lunari figura communiuntur. Sic vtique diuina sapientia spiritualem orbem Ecclesiæ per Incarnationis mysterium instauratura super almæ Virginis perfectionem, atque stabilitatem fundauit: sic de ipsa explicatur locus Ecclesiastici 26. *Columnæ aureæ super bases argenteas, & pedes firmi, vel formosi super plantas stabilis mulieris.* Fuit vtique perfectissimum ædificium super bases argenteas virtutum fidei, spei, & charitatis, virginitatis, humilitatis, &c. Super has bases virtutum additæ sunt septem columnæ aureæ donorum Spiritus sancti. Vnde subditur: *Fundamēta æterna supra petram solidam,* id est, super Christum, sic mandata Dei in corde mulieris sanctæ. Ecce multiplicem perfectionem circuli, atque literæ, O, explicuimus. Et quam meritò solemnitas hodierna nuncupetur de la, O, cuius proprietatibus, atque perfectionibus varia, & multiplex sacratæ Dei genitricis perfectio congruentissime adaptata explicatur.

Eccl. 26.

O, Beatissimum Ildefonsum, qui cœlestis reginæ aspectu, suaui colloquio frui, atque de cœlestibus thesauris delato dono hoc sacro die in hac alma Ecclesia exornari meruisti! O, terque, quaterque felicem Ecclesiam, quę tot cœlestiá pignora hoc die suscipere meruisti! nempe Virginem Sanctissimam, Casulam, atque Beatum Ildefonsum præsulem. Sed proh dolor, Virgo namque in cœlum rediit, neque Ildefonsum, neque Casulam habere meremur, occulto Dei iudicio in alienis Ecclesiis seruantur. Vnus lapis tanti mysterij fidelis testis nobis relictus est; in quo sacratæ Virginis almæ pedes constiterunt. Sed lapis est super omnes gemmas pretiosior.

Olim

Olim quidem Romani petram illam Manalem, quæ erat in porta Capena summo cultu venerabantur, fortè Pōtificiæ dignitatis, & sedis Petri prognosticam. Quanto potiori iure venerabimur petram nostram, à qua tot, tantaque bona toti Hispaniæ, atque huic maximè Ecclesiæ promanarunt? De petra deserti Syn tactu virgæ Moysi fluxerunt aquæ, ab hac petra fluunt aquæ deuotionis, lachrymarum, & gratiæ: tactu enim pedum virgæ sanctissimæ consecrata est: Iacob vnxit petram, super quam reclinato capite viderat mirabilem illam scalam: appellauitque locum Bethel, id est, *domum Dei*. Super nostram petram erecta est scala cœli, per quam regina cœli descendit, & ascendit: descenderunt quoque, & ascenderunt Angeli ipsam comitantes, vt verè dicere possimus: *Hic est domus Dei, & porta cæli*. Iob quoque memor pristinæ rerum abundantiæ, qua olim ex diuino beneficio fruebatur, sic ait: *Quando secreto Deus erat in tabernaculo meo, quando erat omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei, tanta gregum copia abundabam, quod lauabam pedes meos butyro.* Id quod per exaggerationem ait, quasi dicat: Tanta erat mihi copia lactis, & butyri, quod poteram pedes lauare butyro. Subditque: *Et petra fundebat mihi riuos olei.* Vbi Sanctus Thomas, quod in locis arenosis, & petrosis oliuæ germinant plurimum, & optimum oleum: vt pluribus in locis, & maximè apud Nauarræ Regnum, vbi optimum oleum eliquatur, experimento compertum est. Qui ad hanc sacram petram cum humilitate, deuotione accedunt, verè experiuntur Dominum esse in loco isto, hîc esse domum Dei, & portam cœli, petra fundit illis riuos olei, replens charitate, & misericordia. Moysi dixit olim Dominus: *Tolle virgam, & loquere ad petram, & illa dabit aquam.* Sic plurimi prælati Sancti almæ huius Ecclesiæ virgam, & baculos per altam meditationem, doctrinam, & exemplum eleuantes sacrum hunc lapidem visitantes, & cum eo verba intima cordis, & deuotionis colloquentes, eleemosynis æterna memoria dignis pauperes recrearunt, Xenodochia instituerunt, Ecclesias, non consanguineos, exornarunt, & ditarunt: hi vtique eleuarunt gloriose virgas: loquuti sunt ad petram, & petra dedit aquam,

Pierius.
In Ecclesia Toletana in magna Generatione habetur lapis, super quem constitit Virgo sacra.
Num. 20.
Genes. 28.
Iob 29.
S. Thom.
Num. 20.

quam, imò fudit riuos olei. Accedamus & nos omnes, & petram hanc, vt cœleste pignus Virginis almæ, vnicumque solatium nobis relictum exosculemur, atq; adoremus locum, in quo *steterunt pedes eius*. Ab ipsius pedibus petra fundet nobis riuos olei, charitatis, & misericordię.
Esa. 12. Ab ipsa *hauriemus aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*, qui sunt veri, & perennes fontes gratiæ, & gloriæ.

IN EXPECTATIONE Beatæ Virginis,

CONCIO TERTIA.

THEMA.

Nunquid Sion dicet, homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus. Psalm. 86.



DE ineffabili Dominicæ Incarnationis mysterio ænigma proponit Dauid Rex, quod mirabile est cogitatu, & ineffabile dictu: atque adeò quærit, an inueniri possit dignus interpres, qui Sioni, id est, Ecclesiæ hoc ænigma enarrare queat: quod *homo natus est in ea, & ipse fundauit eam?* Et quia sine Diuina reuelatione id impossibile erat homini, soli Domino id reseruatum fatetur, dicens: *Dominus narrabit in scripturis populorum*, &c. Ipsius igitur Domini reuelationem, & Diuini Spiritus opem per almam Dei genitricem supplices deprecemur, dicentes: *Aue Maria.*

Corporis Christi sacram institutionem iocundis laudibus post paschalia festa meritò celebrat Ecclesia; tum propter maiestatem Diuini Sacramenti, tum quia dies proprius cœnæ Dominicæ lachrymis, & luctu plenus est.

eſt: *Muſica vero in luctu importuna narratio*, Eccleſ. 22. Myſterium ſimiliter Incarnationis Verbi, quod Sacramentum eſt ſacramentorum, quod Apoſtolus ad Eph. 3. *vocat Sacramentum abſconditum à ſeculis in Deo.* Eiſdem rationibus Diuino conſilio factum eſt, vt octauo hoc die ante Domini natiuitatem iterata feſtiuitate celebretur. Id, quod per Diui Ildefonſi induſtriam, & intimam in ſacratam Virginem deuotionem in Toletana Eccleſia maiora augmenta ſuſcepit, & indies ſuſcipit, vt ſuperioribus Concionibus explicuimus. Meritò quidem Auguſtinus *non ſatiabatur conſiderare altitudinem Diuini Conſilij ſuper ſalutem humani generis.* Quis enim diuinam miſericordiam non admiretur? quiſnam imaginari potuiſſet, quod pro miſerorum vermium medela, & remedio, quales ſumus homines, filius Dei fieret homo, & ad noſtrum medicamentum vitam, & ſanguinem funderet? Hoc admirabatur Iob, dicens: *Quid eſt homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* D. Auguſtinus lib. de ſubſtant. diuin. dicit filium vocari *cor Patris.* Tanti igitur Deus fecit hominem, adeoque magnificauit, vt pro ipſius ſalute cor ſuum dederit, *para pitima cordial del nueſtro.* Hinc intelligitur myſticus ſenſus illius intimi doloris Diuini, de quo Geneſ. 6. dicitur: *Quod videns Dominus quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum,* &c. Tactus dolore cordis intrinſecus, ex hoc ſummo malo ſummum bonum eduxit. Et quia completa eſt malitia, ex diuina bonitate *dimiſſa eſt iniquitas illius.* Hoc ſignificatur illo verbo: *tactus dolore cordis intrinſecus:* quia diuina dilectio erga homines tanta fuit, *vt filium ſuum vnigenitum,* qui ipſius eſt cor, *daret:* vt languores noſtros ferret, & peccatorum noſtrorum dolores cor diuinum portaret: vt Eſaias prædixit, cap. 53. Quis tam ingratus diuinæ charitati, vt petenti Domino: *Fili prabe mihi cor tuum,* denegare auſit? Qui ſic nos diligit, ſic erga nos cor appoſuit, vt pro ſeruorum ſalute tot doloribus cor ſuum expoſuerit?

Incarnati Verbi myſterium ſacramētum eſt ſacramētorum.

Auguſt.

Iob 7.

Auguſt. Filius vocatur cor patris.

Geneſ. 6.

Eſa. 40.

Hanc ergo dilectionem ſuam in humanum genus æternus Pater per filij ſui vnigeniti incarnati myſterium exhibuit. Decreuit tamen Diuina ſapientia ſingulare

hoc

hoc redemptionis nostræ beneficium, & Incarnationis mysterium sic operari, vt sine vllo sacræ genitricis detrimento, virginitatísve læsione filius Dei intra matris vterum conciperetur, atque ex ea nasceretur. Et hac ratione Spiritus sanctus tanti sacramenti author laudat sanctissimum Virginis ventrem, dicens: *Venter tuus acervus tritici vallatus lilijs.* Nulla vtique pulchrior comparatio, nec magis ad rem induci potuit: ea enim significatur vniuersale mundi gaudium, quod ex hoc mysterio mundo processit: nullo enim anni tempore agricolæ ex animo exultant, nisi cùm aceruos habent in area: toto namque anni tempore labori, & sudori, imò mille periculis subiacent, donec iam purgatum habent aceruum tritici. Id quod sub typo libertatis ab Ægyptiaca seruitute cecinit, Psal. 125. regius vates dicens: *Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione.* Et subdit: *Venientes venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Significatur quoque per aceruum tritici abundantia, & anni feracitas. Annus enim quantumcunque abundet pomis, & aliis fructibus, non dicitur fertilis, nisi cum abundat tritico. Sicut & Psalm 64. Regius psaltes de eadem fertilitate prædixit: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*, id est, coronabis, & fœcundabis annum vbertate benedictionis tuæ. *Pinguescent speciosa deserti, & valles abundabunt frumento.* Adde quod Christus Dominus *granum frumenti* seipsum vocauit, Ioann. 12. Quia mortuus multum fructum attulit. Posuit namque *pro peccato animam suam* (vt Esaias prædixit, ca 53.) *& vidit semen longæuum.* Paulus quoque ad Hebr. 2. id explicuit: *Decebat eum, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummari.* Hæc multiplex vbertas per mysterium incarnati Verbi in aream Ecclesiæ illata per aceruũ tritici pulcherrimè significatur. At ne quis cogitaret, hanc Dei genitricis vbertatem virginali integritati derogare, subiunxit: *Venter tuus aceruus tritici vallatus lilijs*: per liliorum enim candorem virginitas explicatur.

Cant. 7.

Per aceruum tritici gaudiũ vniuersale, & pomorũ abundantia significantur.

Psal. 125.

Psal. 64.

Heb. 2. cap.

Huic Virginis sanctissimæ integritati hodierna festiuitas dicata est. Eidemque mysterio congruit ænigma illud; Quod Psalm. 86. proposuit Dauid: *Nunquid Sion*

dicet

dicet homo,&c. Licet enim in titulo Psalm non explicetur author, Diuus tamen Hieronymus epistola ad Dardanum, & sermone de Assumptione affirmat, à Dauid fuisse compositum,atque propter mysterii celsitudinem filiis Core (vt ex titulo paret) tanquam selectis cantoribus, & sublimiori spiritu intelligentiæ dotatis concinendum, & interpretandum fuisse traditum. Eo igitur Psalmo Dauid præuidit in spiritu dignitatem, atque multiplicem fœlicitatem Ecclesiæ Christi. Primò enim laudat fundamentorum sanctitatem. Secundò portarum pulchritudinem. Tertiò ex gloriosis vaticiniis, quod per totum orbem erat ex variis gentibus congreganda. Quartò ex mysterio Incarnationis in ipsa complendo Quintò ex natiuitate filii Dei. Sextò ex promulgatione legis Euangelicæ. Septimò ex summa fœlicitate, & exultatione tanti mysterii. Primò namq; fundamenta Ecclesiæ sunt sacramenta, & doctrina Christi. Et hæc quidem iacta sunt *in montibus sanctis*, nam in monte Moria ædificatum est templum,vbi apparuit Angelus percutiens in area Areuna Iebusæi: 2. Reg 24. & ibi sæpe Christus prædicauit. In monte Sion, Sacramentum Eucharistię instituit,vbi Melchisedech olim obtulit panem,& vinum. Ibidem Apostolos Sacerdotes instituit, & potestatem sibi à Patre datam contulit,ibidem Spiritum sanctum receperunt,vbi & Dauid spiritum propheticum acceperat. In monte Caluariæ,vbi Abraham immolauit arietem pro Isaac, Christus est crucifixus. Ac tandem ex monte Oliueti in cœlum ascendens,benedicensque Apostolos,dixit: *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Fundamenta quoque Ecclesiæ, quæ sunt articuli fidei, iacta sunt super Montes Sanctos,id est,duodecim Apostolos,qui habuerunt altitudinem, & eminentiam sanctitatis, & gratiæ, habuerunt enim *primitias spiritus* Et ipsi sunt duodecim fundamenta ciuitatis cœlestis, vt vidit Ioannes, Apoc. 21. Secundò portarum pulchritudo est maxima. Quatuor enim portas principales habet Ecclesia: scilicet baptismum ad intrandum; pœnitentiam,vt redeat,qui exierit; ordinem ad ascendendum; extremam vnctionem ad exeundum. Portæ quoque sunt articuli fidei; harum

Hieron.

Fundamēta Ecclesia sunt Sacramenta, & doctrina Christi.

Marci vlt.

Fundamēta Ecclesia sunt articuli fidei, & 12. Apostoli.

Porta Ecclesię sunt sacramenta,

Fides clauis est portarum. portarum clauis fides est: clauiger Petrus, & ipsius successores in sede Petri. Hac claui *confortauit Dominus seras portarum, & benedixit filiis* Ecclesiæ, ne *portæ inferi* præualeant *aduersus eam: Quia diligit Dominus portas Sion* id est, Ecclesiæ sanctæ *super omnia tabernacula Iacob*: Vbi Dauid alludit ad mysticam illam benedictionem Balaam, qua Numero 24 quamquam ascenderat ad maledicendum, irruente tamen in se Diuino spiritu, & cogente dixit: *Quam pulchra tabernacula tua Iacob: & tentoria tua Israel, vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irriguos, &c.* Qua quidem benedictione impulit Balaam Diuinus spiritus, vt mysterium, progressum, prosperitatem, victoriam, atque gloriam Ecclesiæ Christi prædicaret, quæ sub typo, & figura tabernaculorum Iacob præsignata est. Hanc igitur Ecclesiam, & portas magis diligit, quam antiquam Synagogam, quæ repudianda erat.

Num. 24.

Tertia dignitas Ecclesiæ commendatur ex gloriosa prædicatione. *Gloriosa* (inquit) *dicta sunt de te.* Plena enim est Scriptura sacra prædictionibus, oraculis & figuris Ecclesiæ sanctæ: *omnia enim in figura contingebant illis* (vt Apostolus ait 1. Cor 10) adeoque ab ipso mundi exordio, etiam in ipsa orbis, atque paradisi creatione, Ecclesiæ fundatio depingi cœpit. Arcæ Noe, tabernaculi, templique fabricæ figuræ fuère Sacræ matris Ecclesiæ: Vt epistola ad Hebræos Apostolus docet. Eiusdemque Ecclesiæ multiplicatio ex omnibus populis, & nationibus tam Gentilismi, quam Iudaismi plurimis prophetarum oraculis prædicta est. Vnde subdit Dauid: *Memor ero Raab, & Babylonis: ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum hi fuerunt illic.* 70. legunt renati sunt illic, scilicet, per baptismum: similiter prædixit Esaias cap 60. *omnes isti congregati sunt: Venerunt tibi.* Sic enim Act. 2. habetur, quod prædicante Petro crediderunt, & baptizati sunt ter mille Et mox cap. 4. quinque millia.

Ecclesia multis oraculis prædicta.

Iam verò quarta dignitas est excelsa ex ineffabili mysterio Incarnationis in hac sacra ciuitate peracto: Quatuor enim mirabilia narrantur. Primum quod Deus factus sit homo, secundum, quod sit natus, Tertium, quòd

Incarnatio Verbi suprema dignitas Ecclesiæ.

quòd ipse Deus altissimus factus homo fundauerit hanc ciuitatem. Quartum mirabile est, quod aliquis homo possit enarrare hæc mirabilia, & persuadere, vt credantur. *Nunquid Sion dicet homo, &c.* August. 22. de Ciuit. cap 4 ad probandum Incarnationis mysterium contra Paganos dicit, quòd ante aduentum Christi tria videbantur impossibilia in doctrina Arist. & omnium Philosophorum. Primum, impossibile eis videbatur, quòd Deus posset fieri homo. Secundum videbatur eis impossibile quod mundus hoc crederet. Tertium videbatur magis impossibile, quòd homines rudes, simplices piscatores, & plebeij prædicarent, & persuaderent Philosophis, & mundi Principibus fidei mysteria. Tunc sic arguit Augustinus. Duo posteriora facta sunt possibilia, vt experimento compertum est, quia per prædicationem Apostolorum, hominum piscatorum, mundus credidit, ergo primum est possibile; quòd Deus sit factus homo: id quod licet sit difficile ad credendum, habito tamen per fidem mysterio, factum est credibile, quòd Spiritus sanctus ex puris sanguinibus virginis formauit illud corpus, & in eodem instanti tota Trinitas creauit animam. Tuncque diuinum verbum animam, & corpus, totamque humanitatem sibi vniuit: verusque Deus, & verus homo perfectus natus est ex Virgine Maria, quæ est quinta dignitas ciuitatis Sion: atque in eodem instanti, quo conceptus est, & incarnatus, fuit caput Ecclesiæ. Tuncque fundauit eam: Virgo enim sacra, Ioannes Baptista in vtero existens, ipsiusque parentes Elisabeth, & Zacharias membra erant Ecclesiæ. Tam abscondita mysteria difficilia quidem sunt, nec virtute naturali potuit aliquis homo hæc dicere Sion, aut persuadere: *Dominus tamen narrauit in scripturis populorum, & principum*, id est, scripturis legis, & prophetarum. Enarrauit per Euangelistas, & principes, id est, Apostolos, qui docuerunt omnes gentes, sicut Esaias cap. 2. prædixerat: *De Sion exibit lex, & Verbum Domini de Hierusalem.* Inde enim incepit promulgatio Euangelij, quæ est sexta dignitas Ecclesiæ. Septima, & vltima est communicatio huius militantis Ecclesiæ cum illa triumphante, in qua omnes ciues perpetua lætitia,

August.

Esai. 2.

& gaudio perfruuntur. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te*; sicut fons, & cogitatio: omnis enim cogitatio beatorum gaudio plena est.

Cùm verò multiplicem Ecclesiæ dignitatem ex incarnationis mysterio, tanquam ex radice deducat eo Psalm. Dauid, commodissimè totus Psalmus tribuitur sacræ Virgini. Ipsa siquidem est ciuitas, quam fundauit Altissimus, qui in ea natus est Ciuitas est sanctificata, de qua Eccles. 24 *In ciuitate sanctificata similiter requieui.* Ciuitas est refugii, ad quam iusti, & peccatores confugiunt De eadem prædixit Esa. *Vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluator ponetur in ea*, &c. Denique ciuitas est illa sancta, quam vidit Ioannes *descendentem de cœlo à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo: & audiuit vocem magnam de throno: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis.* Verè ciuitas est, id est, ciuium vnitas: habuit enim maximam vnitatem potentiarum, cogitationum, & operationum, quę omnes in vnius Dei amorem tendebant. Hoc est *vnum necessarium*, quod Maria elegit, Luc. 10 Et vnum oculorum, quo sponsus se vulneratum fatetur Habuit quoque maximam vnitatem: siquidem tota Trinitas vna, & summa Deitas in ea habitauit, & requieuit; & vnus Dei filius ex ipsa carnem assumpsit.

Maria ciuitas est sancta. *Eccl 24.* *Esa 26.* *Apoc. 21.* *Cant. 4.*

Fundamenta naturalia huius ciuitatis præclara in montibus sanctis, patriarchis sanctis, & regibus: Fundamenta verò spiritualia huius ciuitatis in sanctioribus montibus fidei, spei, charitatis, virginitatis, humilitatis, atque donorum Spiritus sancti. Humilitas Virginis mons est Altissimus, super quem constructum est præclarum hoc, & fortissimum ædificium, de quo Cantic. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum; quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium* Christus caput est Ecclesiæ, Maria collum capiti coniunctum. Per collum traducitur cibus in stomachum, & nutrimentum toti corpori communicatur: virtus quoque capitis per collum in corpus influit: sic gratia, virtutes, & omnia spiritualia bona à Christo capite per Mariam nobis communicantur. Turris fortis est, ex qua pendent *clypei, & omnis armatura virtutum*, quibus arman-

Fundamēta Virginis tam naturalia, quā supernaturalia gloriosa. *Cant 4.* *Christus caput Ecclesia, Maria collum capiti coniunctum.* *Ephes. 6.*

armantur fortes, vt possint stare contra insidias diaboli, & ipsi cœlo vim sanctam inferre.

Augustinus verò eleganter quærit, quomodo eius dicit, de qua nihil dixerat? Sed multa de illa secum silentio dixerat, *qui nunquam de illa corde tacuerat.* Affectus est maximè diligentis rem, & de illa semper cogitantis: quasi omnes id cogitent, subitò, quasi parturiens, erumpit: *Fundamenta eius: sic Magdalena: Domine si tu sustulisti eum.* Ioann. 20. Sic Regius propheta tam Ecclesiæ sanctæ, quam almæ Dei genitricis præuidens fundamẽta in altam meditationem raptus cecinit, fundamenta eius. Portæ pulcherrimæ huius ciuitatis, quas Dominus summe diligit, sunt Virginitas, & humilitas: Portam virginitatis præuidit Ezechiel in porta Orientali clausa. Porta humilitatis est illa angusta porta, de qua Christus dixit: Matth. 7. *Intrate per angustam portam* Portæ quoque sunt exterior conuersatio, & exemplaris vita sacratæ Virginis omni virtutum genere ornata: hæ sunt odoriferæ mandragorę exemplarium operum secundùm expositionem Diui Gregorii, de quibus Cant. 7 dicitur: *Mandragora dederunt odorem in portis nostris.* Portis tandem huius cœlestis ciuitatis adaptare possumus margaritarum ornamentum: quod vidit dilectus discipulus Apoc. 21. Imò & ipsa sanctissima Virgo *fælix est cæli porta*: Scala est, & porta, quam Iacob vidit. Per hanc Princeps gloriæ in mundum ingressus est: per hanc alimenta cœlestia, & omnia subsidia diuina nobis proueniunt: Ac tandem per illam *accessum habemus ad Deum*, & ad cœlestem patriam.

August. — *Porta Virginis Virginitas, & humilitas, atque exemplaria opera.* — *Ezech* 44. — *Gregor.* — *Cant.* 7. — *Apoc.* 21.

O quam gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei, & Virgo Sanctissima, quod non tantum es ciuitas, sed domus Dei, quam sapientia ædificauit sibi. Thronus est Salomonis opertus auro fuluo: Thalamus est Principis gloriæ: ferculum Salomonis, reclinatorium aureum. Ac tandem *domus pudici pectoris templum repente fit Dei*, totum auro purissimo tectum: imò ipsum altare, vbi thymiama, & suauissimus odor: altare quoque vbi arca, imò ipsa arca testamenti, vbi includuntur manna, lex, virga. Propiciatorium est ex auro mundissimo, quod duo Cherubini versis ad se vultibus semper admirantur.

Mirabilia de Virg. prædict. — 3 *Reg* 10. — *Cant.* 3. — *Exod.* 25.

Moyses velat faciem: Abacuc, timet auditum, & expauescit Ioannes Baptista indignum se fatetur soluere corrigiam calceamenti. Augustinus: *quid sacramenti haberet, Verbum caro factum est, nec suspicari poterat* Chrysost. ecstasim patitur. Cyprianus stupore, & timore tremit. Meritò igitur Dauid admirans quætit. *Nunquid Sion dicit homo, &c.* Quæ enim lingua tam admirabile sacramentum explicare poterit? Sacramentum incarnationis est, in quo sunt omnes Thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi: clauis, qua aperiuntur hi Thesauri, humilitas est. Id quod docuit Dominus Moysem, cum minans gregem ad interiora deserti veller progredi, vt videret visionem rubi iussit sistere, & soluere calceamenta pedum, vt sic discalceatus humiliter procedens intelligere mereretur mysterium, quod mundi sapientes impossibile iudicarunt. Sed stultam fecit Deus sapientiam huius mundi 1. Corint. 2. Et Diuina sapientia, potentia, bonitas, & amor in hoc mysterio paruulis reuelata sunt. Matth. 11.

Exod 3.

Sacramentum est humilitatis, in quo Deus exinaniuit semetipsum. Philip. 2. atque adeò Virgo humilis, cum dixit, ecce ancilla Domini, mater Dei effecta est. Tunc homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus Sicut Dominus narrauit in scripturis per Apostolos, & Euangelistas sacros, non voluntate humana scribentes, sed Spiritu sancto inspiratos. 2. Petri 1. Tunc incarnato Diuino Verbo fluminis impetus ciuitatem Dei lætificauit, id est, copiosissimo, & abundantissimo gratiarum, & donorum Spiritus sancti flumine Deus altissimus irriganit, & lætificauit Beatissimam Virginem: Titulus enim Psalmi super Alamot, id est, super Virginibus secretis, siue pro arcanis, vt transtulere 70 siue pro iuuentutibus, vt Hieronymus, satis indicat eum Psalmum Virgini Mariæ dicatum, quæ verè fuit virgo secreta, nam publicè mater erat. Eam igitur flumen Diuini spiritus incarnatione filij lætificauit: imò sicut lætantium omnium habitatio est in te, gaudet siquidem Pater, quia talem habet matrem filij, & quia potentia sua in Virgine glorificata est: gaudet filius, tum quia talem habet matrem, tum ex sapientiæ opere: gaudet Spiritus sanctus,

Hieron.

ſanctus, quia totum hoc opus bonitatis eſt, amoris, & gratiæ: gaudent Angeli, lætantur Archangeli, comitantes incarnatum Verbum: lætemur & nos: Erit verò perfecta iucunditas, & lætitia, ſi cum omni humilitate ſacrum incarnati Verbi myſterium meditemur, natiuitatem cum omni mentis deuotione, exultationeque expectemus, vt in nobis naſcatur per gratiam, per quam conſequamur lætitiam gloriæ. Amen.

De Euangelio miſſus eſt, vide in feſto Annunciationis.

IN FESTO BEATI THOMÆ APOSTOLI.

CONCIO PRIMA.

THEMA.

Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Ioan. 20.



HRISTVS Dominus *lux vera erat illuminans omnem hominem.* Ioan. 1. In latere ipſius lampas diuinitatis latebat, aperto latere lampas illuxit. Atque illius ſplendore Thomas illuſtratus exclamauit: DOMINVS *meus, &* DEVS *meus*, vt CHRISTI IESV vulnera intueri, glorioſamque Apoſtoli confeſſionem ad Dei, & Apoſtoli ſui gloriam, ædificationemque Eccleſiæ

 expli-

explicare valeamus, almam Virginem supplices inuocemus, dicentes: *Aue Maria.*

Apostolorū expectata. Beati Apostoli Thomæ festiuitatem hodierno die celebrat Ecclesia, qui fuit vnus ex duodecim, qui primitias spiritus acceperunt, vt eodem spiritu Ecclesiam *Rom. 8.* Christi replerent. Vnus ex duodecim viuis lapidibus, *Iosue 4.* quos Christus verus Iosue ex mediis mundi aquis eduxit, super quos fixit Ecclesiæ tabernacula. Vnus ex duodecim fundamentis, lapillis, & portis cœlestis illius Hierusalem, quam dilectus discipulus de cœlo vidit descen- *Num. 1.* dentem. Vnus ex duodecim principibus electis, vt docerent fidelem populum Christianæ militiæ arma rege- *Psal. 46.* re, atq; his benè vti: hi sunt *principes populorum, Dij for-* *Ioan. 15.* *tes terræ, & amici Dei,* quibus Christus omnia, quæ a Patre audiuit, nota fecit. Tria nobis sacrum Euangelium proponit, nempe Thomæ incredulitatem, secundò Domini charitatem, & clementiam, vt ipsum ad fidem reduceret. Tertiò præclaram Apostoli confessionem. Incredulitas Thomæ maxima fuit, siquidem testificatibus decem Apostolis, vidimus Dominum, qui vniuersum mundum ad fidem vocare potentes fuerunt: Ioannes enim vocauit Asiam, Philippus Achaiam, Bartholomæus Æthiopiam, Matthęus Indiam, Thomas tamen respondit, *nisi videro, &c. non credam.*

Principio quidem res est admiratione digna, quod cum Ecclesia, vt in plurimum proponat nobis in sanctorum festiuitatibus Euangelia, quæ illorum gloriam explicent, vt patientiam, constantiam, prudentiam, vigilantiam, negotiationem, & fidem, hodie tamen Thomę infidelitatem nobis proponit. Ratio siquidem ea est, quia Spiritus sancti oratoria multum eleuatur à præce- *Diuina gratia exaltatur, dū ex malis educit bona.* ptis humanæ Rhetoricæ: hoc enim medio magis splendent Thesauri diuinæ gratiæ, magis exaltatur Dei optimi, & Sanctorum gloria, magisque ædificatur Ecclesia. Multum enim exaltat Diuinam gratiam, & bonitatem, quod ex malis, etiam culpæ educat bona; sicut Diabolus è contrario etiam bona in malum conuertit, sicut aranea. At diuina bonitas, sicut gallina, quantumcunque noxios & venenosos cibos in bonum nutrimentum cōuertit: sic primam hominum culpam fœlicem effecit, vt Grego-

Gregorius ait) Deus homo factus, & Redemptor. Augustinus: *Tolle morbos, tolle vulnera, nulla erit causa medicina.* Neque Deum de cœlo ad terram merita nostra, sed peccata traxerunt. In hoc quoque magis exaltatur Diuina gloria, atque sapiētia, *qua suscitat à terra inopem, & de stercore erigit pauperem, vt collocet eum cum principibus.* Gloria est aurificis perfectissimos emblematum colores super vile ferrum delinire. Medici quoque laudatur peritia, cum viperæ morsu hominem in tumorem conuersum, & propemodum desperatum theriacæ antidoto à præsentaneo periculo eripit, opportunoque remedio veneno occurrit. Sic diuina gloria, & Seruatoris Christi bonitas in Apostolo Thoma maximè splenduit, dum infidelitatis veneno infectum, & periclitantem opportunè apparens curauit, atque in fide solidauit. Videmus ergo naturæ nostræ fragilitatem, gratiæ verò diuinæ virtutem: id, quod cedit in magnam Sanctorum gloriam, dum in memoriam reuocant præteritum periculum, & præsentis gloriæ fœlicem securitatem. Sicut exultat nauta post periculum naufragii: infirmus post periculosum morbum obtenta salute: victores quoque tanto magis exultant, & victoriam celebrant, quanto discrimen maius fuit, vt Augustinus eleganter docet, 8. confess. cap. 3. Nimis exultant Sancti, dum præteriti periculi memores dicunt: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me.* Sic Poeta: *Forsan & hæc olim meminisse iuuabit.* Sic exultant Paulus ex persecutore factus vas electionis: Matthæus ex Teloneario Euangelista, & Magdalena *in vas translata gloria, de vase contumeliæ.* Id etiam cedit in gloriam, & exultationem cœlestis curiæ, quia si *gaudium fit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente.* Luc. 15 quanto maius erit gaudium de Apostoli ad fidem reductione, ex cuius medela, & instructione tot populorum, & animarum salus, Ecclesiæque ædificatio, & firmitas pendebat? Vnde hæc Apostoli reformatio, maximè cedit in Ecclesiæ vtilitatē, atque ędificationem, vt in nullo statu, quantumcunque desperatis rebus amittamus confidentiam, neque desperemus de diuina misericordia: sic nos hortatur Paulus: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus*

D. Greg. *D. August.* *Psal. 112.* *Simile.* *Similia.* *August.* 1. *Tim.* 1.

H 5 Iesus

Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum, sed ideò misericordiam consequutus sum, vt in me primum ostenderet omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt in vitam æternam.

Primùm igitur in sacro Euangelio nobis proponitur radix, & origo incredulitatis Thomæ, nempe quia non erat cum discipulis, quando venit Iesus. Multum iuuat fratrum concordia, & vnio in regno, exercitu, & quacunque republica. *Frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma* Prouerb 18. *Funiculus triplex difficile rumpitur.* Eccles. 4. Ecclesia propter vnitatem dicitur *terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Eleganter Regius vates dixit: *Ecce quam bonum, & quam iocundum habitare fratres in vnum,* &c. *Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam, vsque in sæculum.* Quis explicare possit bona, quæ acceperunt discipuli congregati, cum viderunt Dominum gloriosum illo die, quo à mortuis resurrexit? Quantò solatio, & gaudio repleti sunt? Acceperunt ex ore Christi pacis donum: per flatum quoque ipsius acceperunt dona Spiritus sancti, potestatemque illam excelsam remittendi peccata: magna vtrique commoda ex iustorum societate proueniunt. Saul inter Prophetas Spiritu diuino afflatus prophetabat. Carbo niger, & frigidus ignitis carbonibus vnitus accenditur. Vnde in opprobrium Lucifero improperans Ezech. ait: *Tu Cherub extentus, & protegens in medio lapidum ignitorum ambulasti* Quid hoc prodigij, quod in medio ignis frigidus remansisti? Ecclesiast. 4. dicitur, *quod melius est duo esse simul, quam vnum, habent enim emolumentum societatis suæ, si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia si ceciderit, non habet subleuantem se: Et si duo dormierint, fouebuntur mutuo. Vnus quomodo calefiet?* Et (vt est in veteri prouerbio) *Vna aue sola, ni canta ni llora*: Vna ouis à lupo rapitur: Vnus miles facilè vincitur: Cain egressus foras occidit Abel: Genes. 4. Esau ad venationem egressus benedictionem perdidit, quam Iacob domi obtinuit, Genes. 27. Dina filia Iacob ex Lia foras egressa à Sichen rapta, & stuprata est, Genes. 34. Goliath, Diaboli figura, ad singulare certamen inuitat,

Cōcordia, & vnio laudatur.

Cant. 6.

Psal. 132.

1. Reg. 19.

Ezech. 28.

Eccl. 4.

Singularitas periculosa.

inuitat, vt vincat. Prius quam spiritus viuificaret ossa arida, inuicem vnita sunt, Ezech. 37. Spiritus sanctus descendit in Apostolos; *dum erant pariter congregati.* De his, qui societatem, & collectionem deserunt, ait Iudas Apostolus: *Hi sunt, qui segregant semetipsos animales, spiritum non habentes* Inde ergo Thomæ damnum incredulitatis, quia non erat cum eis. *Ezech. 37.* *Iudas.*

Sed, ô mira charitatis, & benignitatis Christi dignatio, quanta cura, & solicitudine, quamq; opportunè clementissimus Dominus venit octauo die ianuis clausis, cum erat Thomas cū discipulis; atq; salutatis omnibus, deinde Thomam affatur, manuum, & lateris vulnera palpanda offerens, vt in fide resurrectionis confirmet, nosq; per illum confirmemur Vt enim dicunt Gregor. hoc in loco, & Bernar. hom 2 super, missus est: *Plus nobis Thomæ dubitatio ad fidem profuit, quam aliorum Apostolorum cito credentium fides* Hanc Domini solicitudinē, atq; clementiam prædixit Esa. c 65. *Apparui non quærentibus me* Hanc misericordiā semper exaltat Paulus, qui blasphemus, & persecutor de cœlo tam opportunè vocatus est, Act 9. ad Gal. 2 *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Exaltat Thomas, quē Dominus tanta benignitate in fide confirmat. Exaltemus & nos, ad quorū ostia stat, & pulsat, dicēs: *Aperi mihi soror mea sponsa, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctiū,* id est, diuinitas plena rore gratiæ, humanitas plagis, laboribus: hos ex amore vocat guttas. Meritò cum Iacob dicit: *Die, noctuq; æstu vrgebar, & gelu.* August. elegāter: *Hei mihi quàm excelsus es in excelsis, quam profundus in profundis? & vix redimus ad te.* Nobis omnibus dicitur: *Infer digitum tuum, & affer manum tuam; Veni columba in foraminibus petræ, id est, Christi, & in cauerna maceriæ,* &c. Sicut pia mater filium frigore algentem fouet, manus attrectat, atq; in sinum mittit, vt incalescant: Et sicut paralysis, siue ariditas manus, vel brachij solet sanguine gutturis, si recēti vulneri immittatur curari: sic Christus Dominus debilem in fide Thomam in vulnera immittit: *Infer digitum, mitte manum.* *Mira Christi solicitudo circa salutem nostram.* *Gregor.* *Bernard.* *Esa. 65.* *Gal. 2.* *Cant. 5.* *Genes. 31.* *August.* *Cant 2.* *Simile.*

At verò quid in causa fuit, quod Magdalenam volentem tangere, Dominus prohibuit: *Noli me tangere.*

Thomam

Thomam vero non tantum non prohibet, imò inuitat, vt tangat? Respondetur quod ea ratio est, quia Thomas Sacerdos erat, & Apostolus: Sacerdotibus solis arcam contingere licebat: mulieribus non conceditur sacra tangere, neque maiestatis mysteria perscrutari. Apostoli quoque testes erant fidei à Deo præordinati. Act 10. Figurati fuêre in duodecim fontibus Elim, vnde totus mundus potandus erat. Impleri oportuit hos duodecim fontes, & haurire *in gaudio de fontibus Saluatoris*: Esa. 12. erant siquidem aquæductus fidei, Euangelii, atque gratiæ. Deinde Apostoli fuêre veri exploratores terræ promissionis, qui attulerunt Ecclesiæ botrum, vuæ, ficus, & malogranata, vt ad subeŭdos labores fidelem populum excitarent; sicut ait Petrus Apostolus: 2 Petri 1. *Non enim indoctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem, & præsentiam*, sed speculatores facti illius magnitudinis, &c. Sic fuêre testes *gloriæ Christi in monte Thabor, cum transfiguratus est, atque gloriæ resurrectionis*, cum ianuis clausis ad illos ingressus est. Speciali tamen ratione Thomas noster explorator fuit, qui vel vulnera tetigit, vel saltem (vt Caietanus sentit, quod ob reuerentiam non tetigit) vidit tamen prope vulnera cunctis astris, ipsoque sole fulgentiora, atque per lateris foramen Diuinitatis fulgorem agnouit, & adorauit, dicens: *Dominus meus, & Deus meus.* Sicut ad tactum Lydii lapidis aurifices auri gradus probare, examinareque solent, sic in die circumcisionis ad tactum veri lapidis Christi rupta carne gradus veræ humanitatis nobis innotuere: nunc verò resurgens à mortuis sublimen diuinitatis suæ gradum ostēso latere manifestauit: quo agnito Thomas in fide solidatus exclamat: *Dominus meus, & Deus meus.*

Num. 4. *Apostoli fuêre testes & exploratores mysteriorũ fidei.* *Exod 15.* *Num. 13.* *Caietan.* *Simile.*

Confractis lagenis militum Gedeonis lux lampadum apparuit Iudic. 7. Sic nunc rupto latere Saluatoris Thomæ oculis lux diuinæ claritatis infulsit. Impletur illud Psalmi: *Concidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.* Ibi latebat sacculus pecuniæ, quam de cœlo secum tulit ad salutis nostræ pretium. Quod videns Thomas ait: *Dominus meus, & Deus meus. Vere tu es Deus absconditus*, verum iam a me cognitus. *Te verum Deum, ac Dominum*

Vulnus lateris diuinitatis lumē ostendit. *Psal. 29.* *Prouer. 7.* *Esa. 45.*

minum toto corde, & ore profiteor. Latus Christi apertum vera schola est fidei. In hac Centurio doctus dixit: *Vere filius Dei erat iste*: Ibi Ioannes dilectus vidit gloriam Dei, didicitque arcanum illud mysterium: *Verbum caro factum est*. In eadem schola doctus Thomas in altissimam fidei confessionem euolauit. O præclaram Apostoli confessionem! Vnde ex infideli discipulo, in tam fidelem Apostolum, diuinitatisque Christi constantissimum assertorem Thomas euasit? Certe ex vulneribus Christi. Hanc Apostolicæ fidei pulchritudinem mirabili tropo laudat sponsus, dicens: *Coma capitis tui sicut purpura regis iuncta canalibus*: purpura enim antequam tingatur cocco, qui in vasis, siue canalibus continetur, sine colore est, neque purpura vocatur: at postquam flammis cocco suppositis tingitur, colorē recipit, quem perpetuo seruat: exitque purpura, qua reges induuntur. Sic vtique comæ Ecclesiæ Apostoli sunt, ornamentum capitis, scilicet, Christi, & corporis Ecclesiæ. Comæ ex capite radicem, & vitam habent, Apostoli in Christo per fidem, & charitatem radicati, vitam ab ipso participant, sicut palmites à vite. Ante Christi resurrectionem purpuræ erant sine colore, *obscuratum erat aurum, mutatus est color optimus*: post resurrectionem verò ad aspectum vulnerum in fide confirmati, charitateque inflammati, facti sunt velut *purpura regis iuncta canalibus*, id est, Christi vulneribus. Ad hos canales & nos accedamus, vt charitatis cocco tingamur. Hæc est cella vinaria, ad quam introducta spōsa charitatem ordinatam accepit. Fœlix Moses, qui positus in foramine Petræ, protectus dextera Dei donec transiret, vidit posteriora Dei: fœlicior Thomas, qui vidit foramina Petræ, vulnera (inquā) veræ Petræ, qui Christus erat, & ibi Deum intuitus, dixit: *Dominus meus, & Deus meus*. Ibi tanto animi robore, virtuteque ex alto sic confortatus est, vt pro Christo constanter mortem subierit. 1. Macchab. 6. Elephantis ostensus est sanguis vuę, & mori, vt ad prælium acuerentur: sic vtiq; Thomas viso sanguine lanceæ, ibi vidit ignē fornacis charitatis Christi, vt in fornacem iniectus, candentibusq; laminis adustus fortiter sustinuerit, laterisq; vulnere aspecto sic confortatus est, vt apud Calaminam Indię lanceis confossus dormierit,

Latus Christi apertū schola est fidei.
Ioan. 1.
Cant. 7.
Apostoli comæ sunt capitis Christi.
Thren. 4.
Cant. 2.
Exod. 33.
1 Macch. 6.

Lancea gestamen magni honoris insigne. Lanceæ gestamen apud veteres olim non inter vulgares honores habitum est, imò tātæ fuit venerationis; vt loco diadematis pro insigni regio haberetur. Sic de suo Ænea Virgilius dixit:

Bina manu lato crispans hastilia ferro.

Virgilius. *Fest. Pom.* *Plutarch.* Viros quoq; fortes hasta donari solitos author est Festus Pompeius: Eò quod hæc armorum, & Imperij esset summa. Lisippus (teste Plutarcho) in Alexandri manu lanceam posuit, vt Principis gloriosum nomen celebraret. Sic apud Hispanos lanceola insigne Ducis esse solet: & vulgò dicitur, *la Gineta* Alexander Pheræus hastam, qua Poliphranem auunculum interemerat, consecrauit additis corollis, eiq; tanquam numini rem diuinam fecit. *Cyrillus.* Imò Cyrillus ait ab origine rerum hastas Deorum simulacris adhibitas, illisque diuinos honores exhibitos: his enim inconcussa diuinę naturę firmitas significatur, quæ nec deiici, neq; labefactari possit. Quare Mars cum hasta depingi solet, hasta quoq; manus Palladis ornari solent, insigne acuminis ingenij Vnde apud Martialem:

Hasta etiam vibrans penetrabile monstrat acumen.

In aspectu vulneris lāceæ Christi intellectus Thomæ exacutus est: captiui tandem subhastari solebant, id est, sub iugo ex tribus hastis facto mitti, atq; sub hasta vendi: sic nimirum Thomas per Christum victus subhastatus, sub iugo foraminis lanceę Christi missus, vt prò ipse lanceis confossus martyrium constanter subierit, diuinosq; honores lanceæ gestamine mereatur.

Cant. 2. Ad hos sacros fontes sponsus inuitat sponsam, dicens: *Veni columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ*: *Bernard* quod de vulneribus Christi Bernardus explicuit: *Psal 83.* Quoniam hic *passer inuenit sibi domum, & turtur nidum, vbi reponat pullos suos* *Vulnera Christi dulcedine plena.* Hic sacrum habemus aluearium dulcissimorum fauorum, vbi sugamus miram dulcedinem de petra: hic intelligimus ænigmatis solutionem: *De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo* *Iudic. 14.* Quod igitur Christus Dominus Thomæ ait, *infer digitum, affer manum*, nobis dictum intelligamus; vt digitis discretionis, atque donorum Spiritus sancti, manu quoque, id est, operibus: fidei oculis, manuumque operatione vulnera redemptoris intueamur, atque veneremur

tur: ita vt cogitationes omnes, & opera, crucem, mortificationem, charitatemque Christi Iesu redoleant. In his canalibus cor, & opera omnia nostra tingamus, vt pretiosa purpura efficiamur, qua velut ornamento vestiatur in vltimo aduentu suo Princeps gloriæ: Vt Esa. cap. 49. prædixit. In hanc tandem cellam vinariam per meditationem ingrediamur, vt bibamus vinum illud, quod germinat virgines, quod lætificat cor, replet solatio, & gaudio: fidem roborat, charitatem ordinat, inebriat omnes animæ potentias ab vbertate domus, potatq; torrente voluptatis in præsenti per gratiam, & in futuro per gloriam. *Esa. 49.* *Zachar. 9.* *Psal. 35.*

IN FESTO BEATI Thomæ Apostoli,

CONCIO SECVNDA.

THEMA.

Quia vidisti me, Thoma, credidisti. Ioan. 20.

FIDES magnum Dei donum est, quod loquelam, & sermonem præstat, sicut in Psal. dixit Regius vates: *Credidi, propter quod locutus sum.* Zacharias, pater Ioannis Baptistæ, Angelico nuncio incredulus *perdidit prompta modulos loquelæ*: statim vt credidit, reformata voce in diuinas laudes erupit. Similiter videmus in hodierno Euangelio Thomæ infidelitatem per Iesum reformatam in excelsam, atq; mirabilem fidei confessionem erupisse, quæ Christi Ecclesiam mirum in modũ ædificat, dum vulnera intuitus Christum Dominũ, atq; Deũ intrepide con- *Psal. 115.*

confessus est. Vt igitur sublimem adeò Thomæ confessionem ad Dei, atque Apostoli gloriam dignè explicare valeamus, cum fide ad thronum gratię accedamus; per sacram virginem diuinum numen implorantes, ac dicentes: *Aue Maria.*

Apostolis sanctis debemus intercessionē, exemplū, & doctrinam. Meritò quidem magna veneratione, atque exultatione Apostolorum solennia sacra celebrat Ecclesia. Tria namq; potissimum ipsis debemus inter Sanctos omnes: primùm intercessionem, secundùm exemplum, tertiùm doctrinam. Primùm quidem ipsi intercessione sua apud Deum nos protegunt: sunt enim *Principes populorum cōgregati cum Deo Abraham, Dijq; fortes terræ vehementer eleuati, quibus dignus non erat mundus*, Hebr 11. Hi sunt

Psal. 46.

Apoc. 5.

Ecclesiæ Patres, & Seniores, qui *assistunt dominatori terræ*, qui mittunt *coronas suas ante thronum Dei*, & Agni *habentes cztharas, & phyalas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum* Debemus secundo illis exemplum: hi namque *sunt triumphatores, & amici Dei, qui ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati.* Act. 5. Hi sunt

Exod. 24 duodecim vituli Domino oblati. Exod. 24. illos namq; voluit Dominus pro Ecclesiæ fundatione, atque ædificatione offerri. Hi sunt Gedeonis strenui milites, qui

Iudic. 7. manu ad os aquas admouentes, *vtentes*, scilicet, *hoc mundo, tanquam non vtantur*, Madianitas, imo totum mundum vicerunt: clangentes buccinis, confringentes hydrias, ostendentes lampades accensas in manibus: sic etenim mundum vicerunt per contemptum, & mortificationem corporum, manifestationemque lucis Euangelicæ. Hic est enim thesaurus ille, de quo dixit Apostolus:

2. Cor. 4. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei.* De qua victoria Euangelicus Propheta Esai. prædixit:

Esa. 9. *Iugum oneris eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian.* Exemplo siquidem suo docuerunt hostes vincere, mundum contemnere, carnem mortificare, diaboli tela fidei scuto viriliter confringere, virtutis arduam viam suauiter amplecti, atq; ipsi regno cœlorum vim inferre, legitimiq; certaminis coronas accipere.

Debitum Potissimum verò sanctis Apostolis debemus doctrinam,

ham, quam à Christo acceperunt: *Vnigenitus siquidem Patris ipsis enarrauit*: sic enim illis dixit, Ioan.15. *Omnia quæcunque audiui à Patre meo nota feci vobis*: statimque subdit: *Posui vos, vt eatis, & fructum afferatis*. Atque iam iam ad Patrem profecturus præcepit: *Ite, docete omnes gentes*: *Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*. Ea ratione Christus Dominus vocauit illos lucem mundi, Matth. 5. vtq; luce doctrinæ mundum illuminarent, induti sunt virtute ex alto, primitiasque spiritus in linguis igneis acceperunt. Eademque ratione per Esa. nubes vocantur: *Qui sunt isti, qui vt nubes volant*? &c. Et quidem meritò, tum propter altitudinem conuersationis cœlestis, tum propter doctrinæ fœcunditatem: hæc est pluuia cœlestis, qua totum fœcundarunt orbem. Inter cæteros verò Apostolos plurimum debemus in hac parte Thomæ, qui in schola vulnerum Christi, & potissimum lateris præclaram sapiẽtiam didicit, qua Christũ Dominum, atq; Deum confessus Ecclesiam in eadẽ fidei confessione firmiter instruxit. Plenissimè namq; Christi diuinitatem confessus est, simul & resurrectionem. Dominum vocat iure redemptionis, quia redemit seruum (vt Ambros. ait in Psal 43.) Deum iure creationis: & quia non solum resurrexit, sed seipsum suscitauit. Magnæ sapientiæ Verbum, quo præclarũ lumen Ecclesiæ August. contra Faustum lib. 15. c. 35. & serm 156. gloriose triumphat: fœlicemq; dixit Thomæ ignorãtiam in sublimem adeò sapientiam commutatam. Isidorus illius *dubitationem nostram dicit instructionem* Hanc enim fidei doctrinam Parthis, Medis, Persis, Hircanis, & Bactris prædicauit: sanguinis effusione roborauit, lanceisq; confossus per martyrium gloriose clarificauit.

doctrina maximũ.

Matth vlt.

Esa. 60.

Ambros.

August.

Isidorus.

Sacer Propheta Esa c.11. promisit temporibus Christi terram implendã scientia Domini, atq; ea ratione c.62. appellauit Christum lapidem, & splendorem: Ioannes quoq; initio Euangelij lucem vocat, & lumen: lux sapiẽtum mundi, caligo erat: sapientia verò, quæ per legem habebatur visio, erat libri signati: qui legi non poterat, erat enim signatus sigillis septem, quem nullus nec in cœlo, nec in terra, dignus erat aperire, cumque multum

Esa. 11. 62. Christus Dominus scientia Domini terram repleuit. Esa. 29.

Apoc. 5. fleret Ioannes, dixit illi, *Vnus de viginti quatuor senioribus, ne fleueris, dignus est agnus, qui occisus est aperire librum, & soluere signacula eius:* Ille enim inaccessa, absconditaque mysteria hominibus reuelauit. Christus Dominus Apostolos docuit, illorumque doctrinæ sonus *in omnem terram exiuit*, sicut Dauid cecinit, Psalm. 18. Quod si rogas, quam scientiam docuit Christus, quam Apostoli? Paulus ea scientia non ab hominibus, sed à Domino Iesu per reuelationem accepta, diuinorumque mysteriorum sapientissimus interpres quæstionis huius nodum dissoluit, fatetur namque se *imperitum sermone, sed non scientia* Explicat verò, quæ sit hæc scientia. 2. ad Corinth. 2. *Me nihil scire arbitratus sum apud vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum*; nempe quia scientia Christi crucifixi rerum omnium, quæ ad bene, beateque viuendum requiruntur, exactissimam præbet cognitionem. Grandis Philosophia, supremaque sapientia clauditur in Christo crucifixo: vnde 1. Corinth. 1. Paulus vocat *Christum crucifixum Dei virtutem, & Dei sapientiam.*

2. Cor. 2.

1. Cor. 1.

Hanc verò cœlestem sapientiam, quam *Vnigenitus, qui est in sinu Patris*, in mundum inuexit, per fidem Apostolis, & Ecclesiæ tradidit. Hæc inter Diuina dona primum locum tenet, *sine fide enim* (vt Apostolus ait) *impossibile est placere Deo, fides namque substantia est sperandarum rerum*: Substantia (inquam) id est, radix, atque principium iustificationis, sicut docet Paulus ad Roman. 5. *Iustificati ex fide spem habeamus ad Deum per Iesum Christum:* substantia est, atque fundamentum totius spiritualis ædificij, quo sublato totum ruit ædificium. Hic est lapis, quem vidit Zacharias coram Iesu, & *super lapidem septem oculi sunt*, id est, septem dona Spiritus sancti: vt explicat S. Thom. Est verò fides *argumentum non apparentium*, quia fidei actus est credere, quod nō vides. Quod enim Christus Dominus dixit Thomæ: quia vidisti me, Thoma, credidisti, non asserit, quod viderit id, quod credidit; tantum enim vidit hominem, ipsiusq; vulnera, non tamen vidit esse Deum, sed neque, quod propria virtute surrexerit, omnia tamē plenè credidit. Permisit verò Dominus Thomam abesse, dubitare, &c.

Heb. 11.

Fides inter Diuina dona primum locū tenet originē.

Zach. 3.

S. Thom.

ræ, & vulnerum intuitu in fide stabiliri, vt per ipsius fidei confessionem, fides Ecclesiæ firmior cõstaret: vnde subdit Dominus: *Beati, qui non viderunt, & crediderunt:* Fides namque non ex visu, sed ex auditu est suscipienda: speculum est, per quod mysteria fidei *videmus in ænigmate:* 1 Corin 13 in speculo verò plus velle perscrutari, & inquirere, quam imaginem & similitudinem rei, stultum est, & puerile. Beati quidē in patria facie ad faciem vident Deum; status enim ille videntium est: qui oculo ad oculum videbunt, Esa. 52. *Tunc videbimus eum, sicuti est,* vt Ioannes dixit: 1 Ioan 3. Nunc verò in statu sumus paruulorum, tempus est audiendi, donec videamus, sicut audiuimus.

Cæterùm quamuis nostræ fidei mysteria in particulari per se nobis non appareant, in vniuersali tamen videntur, quod sint credibilia; & id nobis ad credendum satis esse debet: plurima namque habemus huius euidentiæ testimonia; vt Regius vates dixit: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Psalm. 92. Hanc euidentiam eleganter deducit D. Augustinus ex Christi miraculis, ex signisque sequentibus Apostolorum prædicationem, quibus Diuina maiestas (quæ nec falli, nec fallere potest) fidei veritates confirmabat. Quod si infidelis proteruus neget fuisse vera miracula, *hoc miraculo unum maximum est* (ait August.) quod homines rudes, piscatores, idiotæ, & ex fæce plebis, sine miraculis (vt asseris) mundi sapientes, philosophos, potentes, atque Principes fidei iugo subiecerint, in obsequium fidei captiuos traxerint, idololatriam penitus conuulserint. Id quod Paulus meritò Corinthiis exaggerat: *Videte vocationem vestram fratres, quoniam non multi sapientes inter vos secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed, quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes,* &c. Cõfirmatur hęc ratio, quia lex Euangelica, & illius promulgatores Apostoli non vocant ad delicias, nec diuitias, neque viam facilem viuendi aperiunt, sed difficilem, arduam, & rigidam: *Arcta enim est via, quæ ducit ad vitam.* Matth. 7. Adde quod hanc constanter aggressi sunt, non solum viri, sed & puellæ, virginesque delicatæ.

Fidei mysteria, in communi multis rationibus fit euidens, quod sint credibilia. *August.* 11. & 19. *de ciuit.*

1. *Cor.* 1.

Fidei quoq; nostræ veritas suadetur ex Prophetarum oraculis, & prædictione, vt eleganter docet Cyprianus, lib. de vocatione gentium, & Euseb. Cæsarien. lib. de demonstr. Euangelica. Concentus quoque inter vetus, & nouum Testamentum: Inter vmbras ceremoniarum, sacrificiorum, imò & gentis, & gestorum (vt docet Augustinus) *Omnia namq; in figura contingebant illis.* Idem apertè conuincit consona 72. virorum translatio, totque sacrorum Doctorum conformis Scripturæ sacræ interpretatio veritatem fidei afferunt: maiestas, dignitas, atq; suauitas doctrinæ, sententiarumque grauitas, mysteriorum profunditas authorem esse Deum manifestè acclamant. Acclamat Apostolorum, martyrum, & tenerarum Virginum constantia, atque alacritas in suppliciis, variisque patibulis, pro hac veritate toleratis. Confirmatur tandem fidei nostræ veritas, & prudens credibilitas ex maxima consonantia legis nostræ cum lege naturæ, atque ex immaculata, exemplari, omnibusque grata, etiam infidelibus sanctorum, & iustorum vita, qui hanc fidem Christi Iesu, legemque syncere profitentur. Fides hæc nostra in mirabili illa columna, quæ in terram promissam duxit, filios Israel præfigurata est. Per hanc enim Spiritus Dei bonus deducit nos in terram rectam: *Hac incedit vsque ad interiora velaminis.* Hebr. 6. Cæterum (vt rectè ait Diuus Ambrosius) *fides inexercitata cito arescit* Sicut equus in stabulo mancus, & inutilis efficitur, ferrumque desuetudine rubigine obducitur, arbor inculta arescit: vnde Ioannes Baptista dixit, Matth. 3. *Ecce securis ad radicem arboris posita est.* Ob idq; Dominus inutilem ficulneam abscindi iussit, dicens: *Vt quid terram occupat?* Hac veritatem asserit Paulus ad Rom. 1. *Reuelatur ira Dei de cælo super impietatem hominum eorum, qui veritatem Dei,* id est, fidem (cuius obiectum est prima veritas) *in iniustitia detinent.*

Cyprian. *August.* *Exod 13.* *Ambrof.* *Simile.* *Rom. 1.*

Si tamen fidem Christi Iesu pro te crucifixi viuam teneas, illa, te tuto itinere deducet, illa te de omnibus docebit. *Infer digitum* in manus Christi, ibi inuenies annulum fidei, desponsare illi in fide, Ose. 2. *Affer manum* quasi dexteram amoris, & charitatis. Affer manum in latus Christi, & cognosces teipsum, si ignoras te, cognosces

Ose. 2. *Cant. 1.*

ſces animæ tuæ valorem, & dignitatem: ſiquidem aperto latere diuinus ſanguis datus eſt in prętium tuum, ſi aurum eſt, quod aurum valet (vt vulgò dici ſolet) quod ſanguine Chriſti emptum eſt, plus valet, quam cœlum, & terra. Vnde Apoſtolus: *Empti eſtis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* Auguſtinus: *Poſtquam cognoui me pretioſo Chriſti ſanguine redemptum, nolui amplius me exhibere venalem.* O miſeri mortales imitatores Eſau; qui pro vili pulmento, & lentis edulio primogenita cœli venditis? Seneca dixit acutè: *Omnium malorum fons eſt, & origo, quod rerum pretia ignoramus, quodque valorem non ex earum natura, ſed ex vulgi iudicio metimur.* Si grauitatem peccatorum vis agnoſcere, affer manum tuam, & cognoſces ex inæſtimabili valore medicamenti, vt enim ait Petrus Apoſtolus, 1. Petri 1. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati, & incontaminati Chriſti.* Bernard. *Filius Dei iubetur occidi, vt pretioſo ſanguinis eius balſamo vulneribus meis medicina fiat.* Agnoſce grauitatem vulnerum, & debiti magnitudinem ex pretio. Agnoſce quanto odio Deus proſequatur peccatum, ſiquidem, vt illud deleret, dilectiſſimum filium cum peccato cruci affixit.

1. Cor. 6. *Auguſt.* *Vulnera Chriſti valorem animæ, peccatorum grauitatem, diuinam iuſtitiam, & charitatem prædicant.* *Geneſ. 25.* *Seneca.* *Bernard. de natiu. Domini.*

Infer digitum, affer manum; lege Domini iuſtitiam, quæ ſic peccatum Adæ vindicauit: lege miſericordiam, & charitatem illam Patris in genus humanum, qui ſic nos *dilexit, vt filium ſuum vnigenitum daret*, Ioann. 3. Mitte manum in hunc caminum ignis, vt amore ardere incipias. Hic videas ollam ſuccenſam, quam vidit Hieremias, capit. 1. Hic flamma, & caminus ignis, ſicut Apocal. cap. 1. vidit Ioannes. Vnde Thomas quaſi igne candenti exuſtus exclamauit: *Dominus meus, & Deus meus:* flammis charitatis accenſus, quaſi extra ſe raptus videtur ſibi ſoli voluiſſe Dominum vindicare, dicens: *Dominus meus*, &c. Sicut Paulus ad Galat. 2. *Tradidit ſeipſum pro me.* Et Philipp. 1. *Gratias ago Deo meo.* Sic Dauid: *Deus meus, miſericordia mea. Paruulus enim datus eſt nobis*, totus nobis datus eſt. Magdalenæ dedit pedes, Petro claues, Latroni dexteram, Ioanni pectus clauſum, Thomæ latus apertum, & cor, quare me-

Hier. ca. 1. *Gal. 2.* *Eſa. 9.*

ritò tanto dono ditissimus exclamat: *Dominus meus, & Deus meus.*

Infer igitur & tu digitum, affer manum, hic enim hortus est cœlestibus floribus, odoribusque plenus: ad
Cant. 6. hunc nos inuitat Cantic 6. *Veni in hortum meum soror mea, sponsa, messui myrrham meam, cum aromatibus meis.* Hic myrrha metitur, quæ carnem mortificat: hic aromata, quibus anima mire reficitur cõtra peccatorum
Cant. 1. putredinem, atque fœtorem O fœlices animæ, quæ his aromatibus manuum, ac lateris Christi refectæ currunt in odorem vnguentorum, atque cum Paulo dicere possunt: *Christi bonus odor sumus.* 2 Thessal 2. Ad hæc vulnera intuenda sponsus inuitat sponsam, dicens: *Veni co-*
Cant. 2. *lumba mea in fo a-minibus petra, in cauerna maceria.* Hęc
Bernard. sunt vulnera Christi (vt Bernardus ait) in his *passer inue-*
Psal. 83. *nit sibi domum, & turtur nidum, vbi reponat pullos desiderio rum.* Hic namque futurorum bonorum spes excitatur, dum in redemptore nostro visa imagine viua resur-
Philip 3. rectionis nostræ *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Hic inuenimus sacros fontes Saluatoris, de quibus hauriamus aquas in gaudio. Hæc est scientia Sanctorum, veraque sapientia,
Esa. 11. qua Esa prædixit implendam terram. hanc Christus docuit: hanc Apostolus Thomas in schola vulnerum didicit, dum plena voce confitetur: *Dominus meus, & Deus meus.* Non enim per solam intellectus illustrationem, per veram fidem id confessus est, sed toto animi affectu sese, & sua omnia Christo tradens; pro illoque constanti pectore sanguinem cum vita fundens. Ad eandem fidei doctrinam, cœlestisque sapientiæ scholam hodie Christus Dominus nos admittit, dum Thomæ dicit: *Quia vidisti me, Thoma credidisti: Beati, qui non viderũt, & crediderunt Hæc est probatio fidei nostræ multo pretio-*
1. Petri 1. *sior auro, quod per ignem probatur:* (vt ait Petrus Apostolus) *qua inuenitur in laudem, & gloriam, & honorem, in reuelationem Iesu Christi, quem cum non videritis, diligitis, in quem nunc quoque nos non videntes, credimus, credentes autem exultabimus lætitia inenarrabili, & glorificata: Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestra-*

vestrarum: quæ nunc inchoatur in via per gratiam, & in patria perficietur per gloriam.

IN EVANGELIVM BEATI Thomæ Apostoli,

Meditationes, siue fragmenta.

PRIMO Thomas, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, Didymus gemellus interpretatur, quasi ex natiuitate ipsa ad societatem, & fratrum vnionem natus: gratia naturam perficit, quare eos, qui à natiuitatis, ingenitæq; nobilitatis debito degenerant, ipsa quoq; natura redarguit.

Secundò notandum est, quantum noceat absentia, multæ amicitiæ dirimuntur: ad remedium obliuionis absentium solent inter amicos mutuo dari pignora, vel annuli memoriæ: Sic sponsus rogat sponsam, ne sui obliuiscatur, Cant. 8. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.*

Tertiò, *vidimus Dominum*, quasi dicat, vidimus omne bonum, Magistrum, socium, Pastorem, Ducem, Deum, & Dominum per excellentiam. Sic orabat Beatus Franciscus, *Deus meus, & omnia. Secundum multitudinem dolorum* ex absentia, consolatione repleti sunt Domini præsentia. Qui Dei absentiam sentit, & cum Dauid præsentem desiderans dicit: *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum*, &c. Sicut D. Hieronymus exponit: Cum Deum præsentem habet, nimio exultans gaudio ait cum sponsa: *Inueni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* De hac re vide Dominica infrà octau. Epiphaniæ de inuentione pueri Iesu. *Psal. 41. D. Hieron. Cant. 3.*

Quartò, *Nisi videro: Fides vtique ex auditu*, Rom. 10. Non ex visu, nec ex tactu. Isaac in tactu Iacob deceptus, Genes. 27.

Secundo exemplo incredulitatis discipuli docemur, vt nullus de se confidat. Meritò aduertit Paulus: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat*, 1. Corinth. 10. Sic Dauid

Psal. 19. Psal 29. *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum, auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus* Petrus, qui dixerat: *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo*; Ter negauit. Thomas verò dixerat, Ioann II. *Eamus & nos, & moriamur cum illo* Et ecce nunc quam obstinate dicat: *Nisi videro* Sic in Psal. scriptum est: *Filij Ephrem intendentes, & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli* Augustus Cæsar oblata sibi tabula, vbi depicti erant gloriosi Principes, qui se præcesserant, quibus ipse præeminebat, dixisse fertur: *Penicillũ laudo, illud tamen, quod ego præcedo, non laudo; quia reliqui, qui me præcesserunt in tuto sunt: ipse autem adhuc periculis; & fortunæ rotæ subiaceo: mutariq; poterit sors* Rectè D. Ambros. *Lauda post mortem, magnifica post consummationem*: optimè Solon Lacedæmonius in morte Cressi dixit;

Ioan. 11. *Psal. 77.* *Ambros.*

Expectanda dies homini est, dicíq; Beatus
Ante obitum nemo: extremaq; funera debet.

Quintò, *pax vobis*. De bono pacis Dominica in Albis, cum Thoma specialiter voluit pacem inire, quare in signum pacis petit manum. *Affer manum tuam.* Ad Gal. 4. *Dextras dederunt. Infer digitum tuum Affer manum tuam:* quasi dicat, recipe in digito annulum fidei; & manus tuas odoriferis chirothecis meæ carnis exorna contra fœtida mundi peccata.

Sextò, *infer digitum, affer manum*, veluti accipiter, qui auolauit, carnis signo vocatur: sic ostensione vulnerum carnis suæ vocauit Dominus Thomam.

Septimò, *infer digitum, affer manum*, ô miram Christi mansuetudinem! non exasperatur Thomæ incredulitate. Ipse enim est, de quo prædixit Esa. cap 42. *Calamum quassatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet* Imò tanta solicitudine salutem animarum quærit, vultq; omnes saluos fieri, vt si iterum vulnera pati oporteat, non refugiat. Contigit Christo Domino cum Thoma, quod bono negotiatori quærenti bonas margaritas, inuenta vna, omnia vendit, vt eam comparet: sic dicit Thomæ: Infer digitum, & affer manum, omnia tibi pro salute tua libenter offero,

Esa. 42. *1. Tim. 2.* *Matth. 13.*

Octauò, *infer digitum, affer manum*, intuere picturam hanc, & imaginem, quam nullus vnquã pictor inuenire poteris.

potuisset, nisi diuinus pinxisset amor. Hoc est signaculum ponendum super cor. Intuere manus ruptas præ liberalitate: intuere cor purum, simplex, amore plenum, *cogitationes pacis.*

Nonò, *affer manum*, quasi dicat: Non tantum oculis fidei intueri oportet vulnera Christi, sed operibus charitatis, & mortificationis, vt omnia opera nostra crucem, mortemque Christi redoleant. Manu oportet tangere, atque imitari, crucisque mortificationem portare, vtq; sint opera digna, quæ Christum tetigisse testentur, atque per illius vulnera transisse, vt ab illis saporem, valoremque accipiant, sicut aquæ ex vena, & via dulces, vel amaræ redduntur.

Decimò, *Dominus meus, & Deus meus.* Priùs tardus ad credendum, rudis, nunc eruditus, iungit litteras *α*, &, *ω*, alfa, & *o*. Principium, & finem Deum, & hominem Christum confitetur: Multum docet experientia rerum diuinarum: cùm non tantùm per intellectum, & fidem percipiuntur, sed cùm voluntas pie afficitur. Vnde Dauid *gustate, & videte*: Psal. 33. gustus namque voluntatis multum illuminat intellectum: iuxta illud. Psal. 110. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Hic gustus voluntatis est sensus, quem optauit Salomon, *optaui, & datus est mihi sensus.* Sicut enim familiares Principum, qui illorum gratiam experiuntur, multa secreta mysteria norunt, aliudque iam iudicium de regni negocijs proferunt: Regina Saba sapientiam Salomonis experta, *non habebat vltra spiritum*; & in excelsam laudem Salomonis erumpens dixit: *Verus est sermo, quem audiui in terra mea super sapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probaui, quod media pars mihi nunciata non fuerit. Maior est sapientia tua: Beati viri tui, & beati serui tui, qui stant coram te semper.* Sic 1. Reg. 10 dicitur Sauli: *Insiliet in te Spiritus Domini, & mutaberis in virum alterum*, insiluit, mutatus est, & prophetauit: ita nunc aspectu vulnerum Christi spiritus Domini insiluit in Thomam, *mutatus est in virum alterum. Ascendit super Cherubim, & volauit, volauit super pennas ventorum*; dum subito tam excelsam confessionem professus, *Dominus meus, & Deus meus*, Ecclesiam

Sap. 7.

3. Reg. 10.

clesiam Christi docet, in fide confirmat, gaudio, exultationeque replet.

IN VIGILIA NATALIS DOMINI,

CONCIO PRIMA.

In Verba Kalendæ.

THEMA.

Iesus Christus filius Dei in Bethlehem Iudæ nascitur. Matth. 2.

Genes. 49.  PTATISSIMVS dies nobis illuxit, dies (inquam) à mundo desideratus, siquidem nascitur in Bethlehem Iesus Christus *desiderium collium æternorum*: desiderium Sanctissimæ Trinitatis, Sanctorum Angelorum, qui ex charitate cœlestis ruinæ instaurationem, nostramque salutem optabant. Desiderium Sacratæ Virginis, quæ intimis cordis desiderijs Deo iam fœcunda dicebat: Cant. 8. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera: vt videam te foris.* Impletur desiderium Patriarcharum, & Prophetarum qui colles fuère excelsi. Totius denique mundi desiderium impletum noua vox, & gaudio plena nobis pronunciauit: audiuimus enim, quòd *Iesus Christus filius Dei in Bethlehem Iudæ nascitur.* Vt tanti mysterij lætitiam dignè explicare valeamus, salutemus Virginem dicentes: *Aue Maria.*

Hæc est dies, quam expectabamus (vt dicitur Thren. 2.) 4. Reg. 7. Inuenimus, vidimus Atque vt dixere leprosi 4. Reg. 7. *Hodie dies boni nuncij est, si tacuerimus, sceleris arguemur.* Cum enim Samaria obsideretur ab exercitu Regis Syriæ, tantaque fame obsessi opprimerẽtur, vt manus mulierum misericordiũ coctos comederẽt filios suos: Dixit Elisæus ad Regem Israel: *in tempore hoc cras modius similæ vno statere erit, & duo modij hordei statere vno in porta* Sama-

Samariæ: itaque euenit sequenti die, sicut Propheta prædixerat. Immisso enim mirabili sonitu equorum, curruum, & exercitus plurimi in Assyrios, nimio timore perterriti omnes fugerunt, castra, & cuncta, quæ habebant derelinquentes, animas tantùm saluare cupientes: lætissimumq; nuncium in aulam Regis per leprosos delatum est. Sed multò altius, atq; excelsius nuncium nos hodie audiuimus, nempe, quòd *Iesus Christus filius Dei, &c. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.* *Psal. 28.* Sonora hæc vox est, Iucunda, efficax, atque magnifica, quæ hostes humani generis fugauit, Ecclesiam ditauit, abundantiaque cœlestis panis repleuit. *Vox Domini confringit Cedros*, id est, superbos. Et pronunciat nobis, quòd descendit dilectus in vterum virginis, atq; in gremio illius nascitur, quemadmodum filius vnicornium, quod de Domini natura, tam eleganter, quàm breuiter in eum Psal. Basilius magnus explicuit: cornu enim ipsius principatum significat, vnicum, quia vnum habet sui Principatus principium, quia caput Christi Deus. *Basilius.* Et sicut vnicornis in sinu virginis mansuescit, à venatoribusque capitur (vt Ambrosius adnotauit) sic Dei filius magna *Ambros.* potentia patris, vt mansuetissimus agnus in gremio virginis inuenitur. Hoc est magnum nuncium, quod lætabunda voce nobis annunciatum est: Prouerb. 25. habetur: *Aqua frigida animæ sitienti, & nuncius bonus de terra longinqua.* Vox quidem suauis, sed fortis, grandis, & efficax, quę nos excitauit, à sedibus erexit, in terram prostrauit, atque spiritus ipsius nos eleuauit, iussitque stare super pedes nostros.

Antiqua quidem hæc est ceremonia, quæ cœpit cum *Antiqua ceremonia prostrationis audito nuncio incarnationis Dominicæ.* fide huius mysterij: Abraham pater fidei, cum accepit à Domino oraculum filij sibi nasciturí, *cecidit in faciem suam, & risit in corde suo.* Moyses quoq; cum Dominum vidit in rubo, *abscondit faciem suam.* Iosue mirabilia prędicens, quæ Dominus erat operaturus, *sanctificamini* (inquit) *cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.* E isdem verbis hodie nos præmunit Ecclesia, vt præparemur ad spectaculum huius sacramenti, & miraculi miraculorũ *sanctificamini hodie & estote parati, quia die crastina videbitis maiestatem Dei in vobis: Et delebitur* *Genes. 17. Exod. 3. Iosue. 3.*

inqui-

iniquitas terræ. Hoc est bonum illud nuncium ad viros
1. Reg. 11. Iabes Gala ad delatum. 1.Regum 11. (vt ibi docet Diuus
Gregor. Gregorius) *cras erit vobis salus, cum incaluerit Sol.* Regi quoque Iosaphat, & populo Iuda gloriosam victoriam prædixit Iahaziel filius Zachariæ spiritu Dei afflatus 2. Paralipome. 20 *O Iuda, & Hierusalem nolite timere, cras egredsemini, & Dominus erit vobiscum.* Tunc rex Iosaphat, & omnes habitatores Hierusalem ceciderunt proni in terram coram Domino, & adorauerunt eum. *Quæ omnia in figura contingebant illis*: & quamquam in figura vix paruam stillam sermonis audiebant, vt ait Iob cap. 26. quasi ponderi tanti mysterij succumbentes in terram proni cadebant. Eandem quoque sacram ceremoniam accepit Ecclesia à quatuor illis sanctis anima-
Ezech. 1. libus Ezechielis, quæ cum fiebat vox super firmamentum, *stabant, & submittebant alas suas.* Accepit & à viginti quatuor illis cœlicolis senioribus, qui coram agno
Apoc. 5. *ceciderunt in facies suas, & adorauerunt viuentem in secula seculorum.*

Genes. 4. Tubal, qui fuit *Pater canentium cithara* ex obstrepero sonitu malleorum fratris sui Tubalcaim, qui fuit *malleator, & faber in cuncta opera aris, & ferri*, musicæ suauem consonantiam inuenit, (vt eleganter adnotauit
Ambros. Ambrosius) sic nimirum & nos his exterioribus ceremonijs, corporisque prostrationibus, mentis ac spiritus dulci melodia respondere oportet, vt cor nostrum, & *caro nostra exultent in Deum viuum.*

Prostrati profitemur statum naturæ lapsa. Hac verò sacra prostrationis nostræ ceremonia primò quidem statum naturæ lapsæ profitemur: *cecidimus quasi folium vniuersi*, vt Esai confitetur cap. 64 *iniquitates nostra quasi ventus abstulerunt nos.* Mortuos nos per
4 Reg 4. culpam agnoscimus, iacentes cum puero viduæ Sunamitidis, & per Christum verum Elisæum bis commensuratum ad vitam restituti surgimus; ille nos maiori vi
Simile. eleuat, quàm Magnes ferrum. *Dominus enim erigit eli-*
Esai. 52. *sos*, dicitque nobis per Esai. cap 52. *Consurge, consurge, induere fortitudine tua Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ, excutere de puluere, consurge, &c.* Donec subditur, *quoniam ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.*

Secundò sacri mysterij veritatem profitemur, quo

Verbum

Verbum caro factum exinaniuit semetipsum (vt Paulus ait) *formam serui accipiens*: atque vt in symbolo profitemur, *propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis*: vtque Baruc ait, *post hac in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*. Angelus est, qui cum Iacob luctatus vinci voluit, & ad terram venire: *Iacob enim inualuit ad Angelum*, vt dicitur Ose. 12. Vt verò victoria hæc neque Iacob, neque nobis, sed lachrymis, orationibus Patrum diuinæ charitati, & misericordiæ tribuatur, subdit Propheta: *fleuit, & rogauit eum*. Euangelicus Propheta cap 9. cum infantis nostri Iesu natiuitatem prædixisset: *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis*, subdit: *Verbum misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israel*. Nos igitur prostrati conformamur imagini cadentis Principis: *nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui*: vt ad Rom 8. dixit Apostolus.

Veritatem incarnati Verbi confitemur prostrati. *Philip. 2.* *Baruc. 3.* *Genes. 32.* *Ose. 12.* *Esai. 9.*

Tertiò cadentes in terram magnitudinem mysterij confitemur, de quo Propheta Malachias cap 3. prædixit: *Quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis stabit ad videndum eum*? Est enim mirabile sacramentum, de quo Esai. c. 53. *Domine quis credidit auditui nostro, &c.* & cap. 64. *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes, à facie tua montes defluerent, sicut fluit cera à facie ignis*: Et sicut venæ auri, & argenti in montibus sulphureis fluere solent ab ignis calore, sic subditur, *aquæ arderent igni; cum feceris mirabilia, non sustinebimus*; id est, vires humanæ prorsus deficient. Sic ad maiestatem tanti mysterij cadebant antiqui patres. Abacuc totus contremiscebat: *Domine audiui auditum tuum, & timui, in medio duum animalium*; similiter & nos tanti mysterij maiestati succumbentes prosternimur.

Magnitudinis mysterij succumbimus. *Esa. 64.* *Abacu. 3.*

Quartò effectum ex Christi natiuitate subsecutum profitemur: Venit enim mundi potentes deponere, humiles verò exaltare, vt alma Virgo cecinit. Simeon quoque dixit: *ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum*; Esai. 64. *à facie tua montes defluxerunt*. Hiero *idola, reges, & mundi potentes ceciderunt*: Christus enim lapillus est de monte excisus, qui percussis pedibus statuæ omnia comminuit Dani. 2.

Luc. 2. *Hieron.* *Dan. 2.*

Tandem quintò prosternimur, velut gratias agentes pro

Prostratio gratiarum est actio. pro tam immenso beneficio nobis exhibito:&quia puer noster Iesus iacet in præsepio, vt ipsius aspectu commodius fruamur, cum humili præsepio, humiliorique Domino prostrati,& humiliati conformamur. Coram Principe nostro cadimus adorantes:coram Pontifice,& prælato nostro in veniam prosternimur, vt nos benedicat: *Matth.26.* Christus Dominus in vltima nocte, cum orauit in horto, ter procidit in terram, quasi dilectæ terræ vltimum vale amoris dicens: Nunc nos rursus Redemptori nostro nascenti, & propter nos in mundum venienti primum Aue prostrati offerimus, pedes pueri Iesu exosculamur, fœlicissimum aduentum precamur, & congratulamur. Et, vt vulgo dicitur, *Damos el parabien, y el bien venido.* *Zach.13.* Fons ille denique Domui Dauid promissus Zachar. 13. *2.Reg.23.* hodie patuit. Hodie fœlicissima cisterna Bethlehem patefacta est, ad cuius aquas Esai cap. 55. omnes sitientes *Esai.55.* inuitat. Nos igitur quasi sitibundi viatores de fonte cœlesti bibituri prosternimur, illiusque potu non tantum aqua, sed vino, & lacte refecti summa cum animi alacritate consurgimus.

Iam verò attentis animis suscipiamus spiritum huius sacri nuncij: *Iesus Christus filius Dei,&c.* quo nobis ineffabilis huius solennitatis causa explicatur. *Quòd venit* *Galat.4.* *iam plenitudo temporis, in quo misit Deus filium suum natum ex muliere: factum sub lege, vt nos redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus.* Id enim nobis inuexit noster Iesus: est enim diuinum Verbum, filius æterni Pa- *Heb.1.* tris, Patrique consubstantialis, *splendor gloriæ, figura substantiæ eius, imago bonitatis ipsius*, lux de luce, *candor lucis æternæ*; Iesus est, id est, Saluator: *ipse enim* (vt prædixit Angelus) *saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Ioseph quidem, & Iosue dicti sunt saluatores: cæterùm in typo, & figura: at Iesus verus est Saluator, *& non est in alio aliquo salus* (vt Act.4 dixit Petrus Apostolus) *non enim est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Hoc est no- *Cant.1.* men illud, quod sponsa meritò vocat *oleum effusum*: tum quia sicut oleum cæteris liquoribus supernatat: sic hoc est *nomen, quod est super omne nomen*, vt Paulus dixit ad Philippenses. 2. Tum quia omnem virtutem

Iesus Saluator est per excellentiam.

Dei com-

Dei complectitur: Cibus enim est animæ, lux, & medicina. Diuus Basilius, *Iesus idem est* (inquit) *quod medicus, à verbo Græco, iaso, quod est medeor.* Medicus est, qui languores nostros ipse tulit, id est, abstulit, vel quia in se transtulit super lignum. Esai. cap 61. Ad hoc munus promittitur *spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me, &c. vt mederer contritis corde.* Ad hoc spiritus Domini requieuit super illum: quia in cæteris non requiescit spiritus, datur enim *secundum mensuram donationis Christi; ipsi verò Iesu datus est spiritus sine mensura; fuit enim plenus gratia, & veritatis.* Hanc vnctionem connotat nomen Christus: ille enim vnctus est, vt verus rex, sacerdos, & Propheta Psalmo 44. *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Matthæi 9. Dominus medicum se fatetur: Ille enim est, *qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum* Psalmo 146 Ille verus est Samaritanus, qui appropians alligauit vulnera semiuiui, qui in latrones incidit, vino sanguinis sui lauit, oleum misericordiæ desuper infundens: Petroque supremo Ecclesiæ stabulario commisit, vt curam illius ageret. Ecce nomen Principis nostri nascentis.

Basilius. *Esai. 53.* *Esai. 61.* *Ephes. 4.* *Ioan. 1.* *Psal. 44.* *Luc. 10.*

Ipsius verò natiuitas in Bethlehem Iudæ nunciatur, vt per omnia se se magistrum humilitatis ostendat: incipit vtique facere, & docere *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde* Matthæi 11. hanc voluit esse summam doctrinæ suæ: Hanc docet opere in Bethlehem parua nascens, in præsepio reclinatus, & in cruce moriens. O fœlix Bethlehem, *nequaquam minima es in millibus Iuda* (vt prædixit Michæas cap. 5) *Ex te mihi egredietur*, qui sit Dominator in Israel, *egressus eius ab initio, à diebus æternitatis. Bethlehem Domus Panis interpretatur. Initium vitæ hominis panis, & aqua.* Ecclesiastici 9. In Bethlehem panis est; & cisterna aquæ. Christus omnia continet, Panis est: sic enim Dominus de se ait: *Ego sum panis viuus.* Ipse est verus Asser, id est, Beatus: *Panis pinguis, qui præbet delicias Regibus.* Ipse panis est diuinæ mensæ, panis est Angelorum, quem sacra Virgo *facta quasi nauis institoris* de lon

In Bethlehē nascens Dominus humilitatis magistrum se comprobare incipit. *Mich. 5.* *Bethlehem humilis, domusq; panis dicitur.* *Eccl. 9.* *Ioan. 6.* *Genes. 49.* *Prou. 30.*

Cant. 7. de longe, id eſt, de ſinu Patris nobis portauit. *Venter ipſius aceruus eſt tritici vallatus liliis*: cuius natiuitate pingueſcunt *ſpecioſa deſerti*: *Exultatione colles accinguntur, & valles abundant frumento.* Impletur vaticinium
Iohel. 2. Iohel 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locuſta*: fames
Luc. 14. Ægypti fugatur. *Beatus, qui manducabit hunc panem in regno Dei.*

Panis Chriſtus cur in præſepio? At ſi panis eſt, qui in domo panis naſcitur, cur in præſepio, & inter paleas collocatur? Meritò Propheta Abacuc, id conſiderans expauit. Reſpondetur primò, quòd
Abac. 2. quia ex eiſdem nutrimur, & ſumus: Deus igitur, qui diſponit omnia ſuauiter, prouidit cibum naturæ cuiuſque conuenientem. Cùm igitur per culpam homo comparatus ſit iumentis inſipientibus, in beſtiarum naturam
Pſal. 48. degenerans, rectè beſtiarum cibus in præſepio inter paleas collocatur, vt per hunc cibum ſaluet homines, &
Pſal. 35. iumenta. Cæterùm, quia per crucem, & mortem ſuam hominem ad propriam dignitatem reſtaurabat, ſub ſpeciebus panis, & vini, ſeipſum, in nouum cibum reliquit: Nunc verò inter fœnum, & paleas Altera ratio eſt, quia *omnis caro fœnum*, vt Eſa. cap. 40. cecinit: *Aruit fœnum, & flos eius decidit. Chriſtus flos eſt campi, & flos de radice*
Cant. 2. *Ieſſe*. Vt igitur caro noſtra arida, fœnumque refloreat, verbum Domini, quod manet in æternum, cuius ſpiritu viuificantur oſſa arida, vnitur fœno arido, vt per ipſum
Ezech. 37. fœnum carnis noſtræ refloreat.

Tranſeamus igitur cum paſtoribus *vſque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum eſt*, tranſeamus à cognitione naturali ad ſupernaturalem fidei: quia ma-
Eſai. 45. niſeſtè *magnum eſt pietatis ſacramentum*, in præſepio
Tranſire oportet Bethlehem per fidem, amorem & ſublimem myſterij meditationem. verè eſt *Deus abſconditus*. Deinde ex fide oportet ad amorem tranſire: vt amorem, qui inter nos, & propter nos naſcitur, amore rependamus. Tranſeamus ex amore terrenorum, & viſibilium ad inuiſibilium amorem: vt iuxta Pauli doctrinam, *qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur, præterit enim figura huius mundi, omniaque tranſeunt tanquam vmbra.* Oportet quoque è lecto deliciarum, atque negligentiæ cum ſponſa ſurgere, dilectũ Ieſum in Bethlehem in domo panis, & refectionis in-
1. Corin. 7. quirere, quæ eſt Eccleſia Dei. Hæc eſt domus veri panis,
Sap. 5. qui

qui satiat: oportet vigiles paululum pertransire, id est, iustos, qui non dormiunt somno negligentiæ, sed vigilant ad fores diuinæ sapientiæ: his enim per imitationē pertransitis inuenitur dilectus. Trāseamus vsq; ad Bethlehem per intimam cordis affectionem, ac mentis sublimem meditationem. Ingrediamur cum Moyse discalceati ad interiora deserti, vt videamus Regem Salomonem in diademate carnis tenerę: nunc enim quamquam in rubo humanitatis apparet, & amoris quidē flammis ardenti, nondum tamen spinea corona pungit: paleæ nunc, & fenum pro diademate caput ambiunt tenerum, quæ panem Angelorum, saluatorem, atq; medicum nostrum nunc nobis in præsepio iacentem ostendunt, vt ante illud tanquam verum thronum gratiæ proni cadamus, & adoremus, vt a Iesu Saluatore nostro salutem, à vero pane refectionem gratiæ obtineamus, vt ipsius visione, & gustu, reficiamur in mensa pane gloriæ. *Prouer. 8.* *Cant. 3.* *Exod. 3.* *Cant. 3.*

IN EADEM VIGILIA natalis Domini.

CONCIO SECVNDA.

De Euangelio.

THEMA.

Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Matth. 1.



TOTVM hoc mysterium plenum est Spiritu sancto, ipse enim diuinus amor, author fuit redemptionis nostræ, Incarnationis Verbi, & natiuitatis: in sacro Virginis vtero veluti operatorio sacello, summo cum silentio: lapis enim fuit excisus de monte sine manibus, neq; in fabrica templi auditus est malleus, summo (inquam) silentio, ac dum *Dan. 2.* *3. Reg. 6.* *Sap. 18.*

quietum *silentium contineret omnia*, Spiritus sanctus ineffabile hoc mysterium operatus est, quod vt pro dignitate explicemus, ipsius Diuini spiritus numen per almã Virginem inuocemus dicentes: *Aue Maria.*

O fœlicissimum Ioseph, cui ante omnes mortales per angelum mysterium hoc reuelatum est, dataque de cœlo iurisdictio quasi paterna in puerum Iesum, & authoritas imponendi illi nomen Iesus. D. August. *Ioseph ipse legisti apud Esai. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium? Legisti Dauid dicentem: Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Dic ergo exultans cum Dauid: sicut audiuimus, sic vidimus: Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Natum dicit, antequam nascatur, tum quia diuinus hic fœtus ab æterno nascitur ex patre: sicut Psal. 109. dicitur: *ex vtero ante Luciferum genui te:* & Ioan. 1. *In principio erat Verbum:* Deinde dicitur natus, antequam nascatur, quia ab instanti conceptionis Dominus Iesus fuit vir perfectus iuxta Hierem. vaticinium: *Fœmina circundabit virum.* In symbolo quoque confitemur: perfectus Deus, perfectus homo: subito enim facta est formatio corporis per Spiritum sanctum, secundo creatio animæ, tertio, vnio animæ cum corpore, & assumptio vtriusque ad esse diuinum, datusque est animæ integer, & perfectus rationis vsus secundum Augustinum: *infusa plenitudo scientiæ, gratiæ, atque beatitudinis.*

August. ser 18. de tempore de natiuit. Domini ser. 15.
Psal. 47.
Natus dicitur Christus antequam nascatur.
Psal. 109.
Ioan. 1.
Hiere. 31.
August.

Quod igitur in Virgine *natum est, de Spiritu sancto est.* Primò quia Spiritus sanctus author fuit huius generationis, sine virili semine, atque adeo fuit mirabilis, & diuinus partus, sine vlla corruptione, quia sicut diuina virtute corpus primi Adami terreni de limo terrę formatum est absq; vllo principio actiuo naturali: Et sicut terra produxit vltro herbam virentem, plantas, & lignum pomiferum absq; vlla hominis cultura: ita Virgo immaculata absq; vllo principio naturali actiuo genuit corpus Christi, ac veluti sydus profert radium sine sui corruptione *pari forma profert Virgo filium: neq; sydus radio, neq; mater filio fit corrupta.*

De Spiritu sancto est mysterium natiuitat.
S. Thom 3. p. q. 28. a. 1.

Hæc autem integritas, & incorruptio Dei genitricis in partu cõgruit tum dignitati filij nascentis, tũ effectui, & fini

Integritas Virginis

& fini Incarnationis. Primò quidem Diuinam maiestatem talis decebat partus, sicut canit Ecclesia: Vt enim Verbum mentis absq; vllo detrimento intellectus concipitur, & exprimitur, imò intellectus actuatur; & perficitur: ita sacer hic fœtus Diuini Verbi absq; vlla corruptione conceptus est, & in lucem editus. Vnde in quodã sermone Concilij Ephesini dicitur: *neq; Verbum nostrũ, cum partitur, corrumpit mentem, neq; Deus Verbum substantiale partum eligens peremit Virginitatem*. Secundò congruit incorruptio effectui, & fini Incarnationis; vnus enim effectus, & finis intentus à Deo fuit ablatio, & destructio peccati, & corruptionis nostræ. Aug. *Fas non erat, vt per eius aduentum violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta*. Deinde tertio indecentissimum foret, vt qui parentes præceperat honorare, matris honorem sua natiuitate minueret. Seruatus est ergo honor, & flos virginitatis cum dignitate, & fructu maternitatis iuxta verbum Eccles. 24 *flores mei fructus honoris, & honestatis*. In alijs quidem plantis incompatibilis est, vt in plurimum, fructus cum flore, cum enim fructus aduenit, cadit flos, at in alma Dei genitrice flos permansit cum fructu. Cõprobatur hæc veritas fidei ex illo Esai. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet, &c.* & cap. 11. *Egredietur virga de radice Iese, & flos de radice eius ascendet*. In alijs arboribus, & plantis flos ex folijs ascendit, non ex radice; folia fructus protegunt vmbra; at vero flos iste diuinus non ex folijs, sed ex radice ascendit: simul enim est flos, atque germen, sicut dicitur Esai. 53. *Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti*, id est, de Virgine sine virili semine, sicut explicuit Concil. VI. Constantin. Quod verò nos legimus *sicut virgultum*, Hebr. legit, *puer lactens faciei eius*. Nomen verò virgultum, siue germen significat productionem: non vtcunque, sed sponte, & vltrò: sicut Esai. 4. *Erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis*, vbi duplex natura insinuatur, diuina, dum dicitur germen Domini, humana, dum dicitur fructus terræ. Terra enim benedicta virginalis vteri dedit fructum suum. Similiter Esai. 45. dicitur, *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem*.

matris decebat situm. *Conc. Ephes.* *Integritas Virginis congruit fini.* *D. August.* *Eccl. 24.* *Esa. 7.* *Esa. 11.* *Esa. 53.* *Concil. VI. Constantinop.* *Esa 4.* *Psal. 84.* *Esa. 45.*

Christus Dominus secundum animam, & corpus plenus fuit Spiritu sancto. Secundò dicitur esse de Spiritu sancto, quia Spiritus sanctus repleuit non tãtum animam, sed & corpus Christi, ita vt omnes actiones, & passiones illius viderentur potius spiritus, quã carnis, in cibo, potu, ieiunio, somno, sic se gerebat, ac si non haberet corpus: in passione tam constans, tam patiens, ac si non haberet carnem: *Esa. 11.* Esai 11. *Requiescet super illum Spiritus Domini* Alijs communicatus est spiritus, super Christũ verò requieuit. Id quod dixit Apostolus *1. Cor. 15.* 1 Cor. 15. *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis.* Et ad Colos. 2. *in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.*

Genes. 1. Tertiò, in prima hominis formatione tota Trinitas operata est: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, sed factus est homo ad imaginem Dei,* id est, Diuini Verbi. Si enim (vt Paulus ait Heb 11.) *fide* *Sap. 7.* *intelligimus aptata esse secula Verbo Dei*: multo magis homo, qui ad imaginem Dei creatus est, cum Verbum Dei sit *imago bonitatis illius*, coaptatus est Verbo, imaginem Dei à Verbo accipiens. Deinde per Spiritum sanctũ *Spiritus sanctus vitam inspirat.* viuificatus est homo, id enim significat, *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, non tantum naturalis, sed supernaturalis. Spiraculum illud vitæ fuit veluti scintilla, & radius Spiritus sancti: sic nunc in reformatione hominis per generationem secundi Adam cœlestis, imago Dei, (quæ per culpam fuerat deformata ex inordinato appetitu scientiæ, *eritis sicut Dij scientes bonum, & malũ*) *Genes 3.* per idem verbum, quod est imago Dei, reformatur. Spiritus verò ille viuificus per Spiritum Dei inspiratus, qui per venenosum spiritum serpentis, sibilumque lethiferum, extinctus fuerat, per eundem spiritum oportebat, vt viuificaretur. Quare filius Dei de Spiritu sancto natus spiritum nostrum viuificauit, quia *spiritus oris nostri, Christus Dominus*: vt dicitur Thren. 4.

Genes. 1. Quartò, quia Spiritui sancto tribuitur fœcunditas. In prima siquidem orbis creatione *spiritus Domini ferebatur super aquas.* *Hieron.* Hieron. legit, incubabat, id est, fouebat, sicut oua calore auis incubãtis fouentur, & viuificantur: *Spiritus sanctus fœcundus, & prolificus.* Spiritus sanctus prolificus est, & fœcũdus: id enim significatũ est, dũ super baptizatum Christũ apparuit in specie columbæ, quæ fœcunda est, & prolifica. Meritò ergo Christi

Christi generatio tribuitur Spiritui sancto: sicut & Virgini prænunciauit Angelus, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, id est vmbra humani corporis splendorem suum diuinum in te operiet. *Luc. 3.* *Luc. 1.*

Quintò, quia totum hoc mysterium gratia, pietate, & amore plenum est, vt ad Tit. 2 ait Paulus: *apparuit gratia Saluatoris nostri Dei.* Ecce gratia. De pietate 1. ad Timot. 3. *manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne.* De amore dixit Christus Dominus Ioan 3. *sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* At Spiritus sanctus amor est, author est gratiæ, spiritus pietatis, & dator munerum. *Tit. 2.* *1. Tim. 3.* *Ioan 3.*

Sextò, oportuit de Spiritu sancto nasci eum, qui Spiritum sanctum nobis daturus est, non tantum in quantũ Deus, vt principalis mittens, & authoritatiuè: verum etiam in quantum homo instrumentaliter, & meritoriè, in quantum actiones sanctissimæ humanitatis Christi erant pro nobis infinitè satisfactoriæ, & salutiferæ ratione vnionis hypostaticæ, & diuini suppositi, vt docet Angelicus Doctor Tho 3. p. q 8. art. 1. ad 1. & Paulus ad Galat. 3. ait: *Qui tribuit vobis spiritum.* Id quod Christus ipse nos docuit, dum, postquam surrexit à mortuis, insufflauit Apostolis dicens: *Accipite Spiritum sanctum, &c.* Imò & adhuc passibilis dixerat discipulis: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre.* *Christus dupliciter dedit nobis Spiritum sanctum.* *S Thom.* *Galat. 3.* *Ioan 2.* *Ioan. 14.*

Septimò, quia huius natiuitatis effectus est natiuitas nostra, & spiritualis regeneratio, tam prima per baptismum, quam secunda per pœnitentiam. De prima dicitur Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt.* Et ad Galat. 4. *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum natum ex muliere, factum sub lege, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Per primam generationem baptismi nascimur in filios Dei: per secundam vero iterum parturimur, vt reformetur Christus in nobis. Per vtramque *concipimus, & quasi parturimus spiritum salutis*, vt dixit Esai. cap. 26. Ibi, Gemitus pœnitentium, & dolores, vt parturientis, vt dixit Propheta: & Paulus: *Nos ipsi primitias spiritus habentes intra nos gemimus:* Quem locum S. Thom. explicat de partu resurrectionis, & glorificationis sanctorum, cum *Natiuitas Christi operatur regenerationem nostram.* *Ioan. 1.* *Galat. 4.* *Psal. 67.* *Rom. 8.* *S. Thom.*

omnis *creatura liberabitur à seruitute corruptionis*, & renouabitur, iuxta verbum Esai. *Ecce ego creo cœlos nouos, &c.* Poteſt tamen ſatis commode explicari de partu iuſtificationis per pœnitentiam. Sicut enim temporalis natiuitas Chriſti fuit partus totius creaturæ, quia omnis creatura in Chriſto homine exaltata eſt ad eſſe diuinum: ita quòd Chriſtus renaſcatur in nobis per gratiam, optat naturali quodam appetitu omnis creatura, cœlum, terra, & elementa, tum propter voluntatem Creatoris, cui ad nutum obediunt omnia: *Quia hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra.* Tum propter communicationem, quam omnis creatura habet cum homine. Vnde ſicut per Chriſti natiuitatem eleuantur omnia ad eſſe diuinum, ita in homine iuſto, in quo reformatur Chriſtus. Et qui ſpiritualiter concipit, & generat Chriſtum, eleuatur ad dignitatem diuinæ generationis.

Eſai. 62. *1. Theſſ. 4.*

Hæc eſt deſiderabilis natiuitas, & ſpiritualis generatio, qua Chriſtus optat à nobis gigni, de qua Matth. 12. ait: *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Magna Dei dignatio, quòd natus ſit ex puriſſima Virgine: maxima, quod naſci velit ex ſpurciſſima anima, ſed per Spiritum ſanctum purificata. Hanc ſublimem dignitatem ſpiritualis maternitatis nobis communicare optat alma Dei genitrix, cum ait: *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini.* Non dicit à generatione mea implemini, quia hęc Verbi generatio ineffabilis eſt, & incommunicabilis, ſed a generationibus, quia ante temporalem Verbi generationem diuinis generationibus ſpiritualiter repleta fuerat mens Virginis, quæ prius Deum conceperat *mente, quam ventre.* Sic & nos debemus filium Dei per fidem, & charitatem concipere, iuxta verbum Chriſti: *quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Audiunt, id eſt, credunt, quia *fides ex auditu*: & cuſtodiunt per charitatem. Hæc verò *charitas*, per quam generamus Chriſtum *diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum.* De quo Diuino conceptu, ſpiritualique generatione intelligo illud Pauli ad Gal. 4. *Quoniam autem eſtis filij, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem, Abba Pater*, vt non tãtum vos

Matth. 12 *Mens iuſti ſpiritualiter concipit, & generat Chriſtum* *Eccl. 24.* *Rom. 8.* *Galat. 4.*

rum vos geniti in filios Dei clametis, Abba Pater. Sed vt consideretis filium Dei intra mentem per charitatem conceptum, vt tenellum filium ad animam, tãquam dilectã genitricẽ dulciter alloquẽntem, & velut ad Patrem clamatẽ: *Abba Pater.* Hæ nãq; sunt ipsius Verbi deliciæ.

Vt igitur in te nascatur Christus, opus est, vt ad sacrã Dei genitricem transeas, si illam concupiscis, *vt à generationibus illius implearis*, vt sponsum habeas Ioseph, id est virilem animum induas per mentis firmitatem, atq; constantiam in obseruantia diuinæ legis: *ne simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* Quin potius in disciplina perseuerate, vt Paulus ad Heb. 12. exhortatur. Et 1. ad Cor. 15. *Stabiles estote, & immobiles abundantes in omni opere Domini semper: scientes quod labor vester non est inanis in Domino* Vt dicamus cum Dauid: *Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.* Et cum Paulo: *cursum consummaui, fidem seruaui Qui enim perseuerauerit vsque in finem, saluus erit.* Ioseph prætereà augmentum significat, opus est, vt mens Deo dicata ad profectum, & augmentum tendat: *quia in via Dei non progredi, regredi est.* Ad Abraham dixit Dominus: *Ambula coram me, & esto perfectus.* Ezechiel. 1. *Vnumquodque animal coram facie sua ambulabat; vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur coram facie sua.* Ambulabat, id est, cognitionem sui præ oculis habebat. Non alienam faciem, sed suam. Ne deferamus manticam nostram à tergo, vt Persius dixit eleganter:

Vt nemo in se se tentat descendere nemo.
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

Per Regium vatem ait Dominus Psal. 49. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Coram facie igitur propriæ conscientiæ, & cognitionis sui ipsius oportet semper progredi. Sic de via iustorum dicitur Prou 4. *Iustorũ semita, quasi lux splendens: procedit, & crescit vsque ad perfectam diem.* Ad Loth dictum est. *noli respicere retro.* Vxor illius respiciens versa est in statuam salis: non lapidis, vel marmoris, sed salis, vt memoria diuinæ vltionis tanquã diuino sale conscientias nostras condiamus, atq; ab omni corruptione seruemus. Cũ Luc. 17. dixisset Dominus: *Qui in agro est, non redeat retrò*, quia nempe nemo

Virili constantia opus est, ad diuinam generationem.
Ephes. 4.
1. Cor. 15.
2. Tim 4.
Matth. 10.
Ioseph augmentum dicit, spiritualemq; profectum.
Ezech. 1.
Persius.
Psal. 49.
Ex cognitione sui progre[illegible]

mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò aptus est regno Dei, subdit: *Memores estote Vxoris Loth.* Ac si dicat; Quisquis culturæ agri propriæ conscientiæ sese dicauit, cœpitque spinarum radices extirpare, vitia resecare, terrenosque affectus, velut noxia gramina conuellere, ne respiciat retro, sed procedat semper, & crescat: *grandis enim restat Via.* Ezechiel. 46. præcepit Dominus; vt
Ezech. 46. qui templum ingrederetur per vnum ostium, non egrederetur per idem ostium, sed per oppositum. Quid hoc? Atqui lex fuit vrbanitatis Diuinæ maiestati debitæ, ne quis templum ingrediens terga verteret Domino, sed semper vltra procederet. Id quod Paulus exemplo suo
Philip. 3. mirabiliter nos edocet dicens: *Quæ retro sunt obliuiscens ad ea, quæ sunt priora extendens me ipsum, &c.* De hoc iustorum progressu, spiritualique augmento di-
Psal. 125. xit vates Regius: *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua*, vbi geminatio illa, euntes ibant. mysterium spiritualis progressus insinuat: sicut iterum Psalm. 83.
Psal. 83. explicuit: *Ibunt de Virtute in Virtutem: Videbitur Deus Deorum in Sion*, oportet ire ex cognitione naturali ad supernaturalem: & ex cognitione intellectus progredi ad dilectionem: de virtute in virtutem tendere, progredi semper per spiritum gratiæ, qui deducet nos, vt videamus nascentem Dei filium de sinu Patris in gloria.



IN

IN EADEM VIGILIA natiuitatis Domini,

CONCIO TERTIA.

THEMA.

Egredimi filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis suæ, & in d. e lætitiæ cordis illius. Cant. 3.

GRANDIS, atque gloriosa est hodierna festiuitas, & alta mentis deuotione celebranda. Nemo ab huius alacritatis participatione secernitur; quia vna cunctis singularis lætitiæ communis est ratio. Natalitia Principum apud omnes ciues regni, maximè verò apud domesticos aulæ regiæ ingenti gaudio, & animi corporisque tripudio celebrari solent. Quisquis hodiernæ lætitiæ expers est, domesticum se negat, neque ad Christi regnum ius habere dignoscitur Ea de causa prudens, ac amoris Christi igne feruida sponsa filias Sion, id est, Ecclesiæ sanctæ, in fidei specula constitutas inuitat, vt egrediantur ad tanti mysterii sublimem speculationem, vt igitur Regem nostrũ Salomonem in diademate carnis nostræ videre possimus, Diuini spiritus ignem, qui cor mundet, lumenque, quod mentis aciem illustret per almam Virginem petamus, dicentes: *Aue Maria.*

Cùm olim Diuina maiestas amicos beneficiis singularibus beare volebat, vel mysterium aliquod reuelare, à populi frequentia, communique habitatione egredi præcipiebat. Huius veritatis testem habemus Abrahamum, cui Dominus benedicere disponens, & facere in gentem magnam Gene. 12 ait: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui*, &c. Testes habemus *Egredi præcipit Dominus amicis, vt amicitiæ pignoribus ditet. Gene. 12.*

mus filios Israel, quos inducere volēs in terram Promissionis pinguem, & vberrimam, lacte, & melle manante, iussit egredi ab Ægypto. Moysen montem Sina legem
Exod. 19. daturus ascendere, eidemq; volens ostendere omne bo-
Exod. 33. num in loco apud se designato supra petrā stare præce-
3. *Reg* 19. pit. Eliæ similiter in sibilo auræ tenuis maiestatem suam ostensurus præcepit: *Egredere, & sta in monte coram Domino.* Id quod Regius vates intelligens, dicebat: *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, & volabo, & requiescam:*
Psal. 54. *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Illuc Domi-
Ose. 2. nus animam ducit, vt loquatur ad cor: *ibi sedebit solita-*
Thren 3. *rius, & tacebit, & leuabit se super se.* Sponsi ergo desideriū agnoscens sponsa filias Sion, quæ in arce Ecclesiæ per fidem constitutæ sunt, alloquitur: *Egredimini filiæ Sion,* quasi dicat, exite à seculi curis, à tumultuosis negotiis, à carnis illecebris, voluptatibus, deliciis, à diuitiarum cupiditate, honorum ambitione, à peccatorum onere, periculosis amicis, vt diuinum infantem puris oculis intueri possitis. *Egredimini de medio Babylonis,* vt diuinis possitis vacare mysteriis: quod enim sponsa ait, egredimini, Regius vates Psal. 45. dixit: *Vacate, & videte,* id est, dimittite omnia secularia, placido, & vacuo à tumultibus animo vacate, attendite: & Psal. 45. *Audi filia, & vide,* &c. *obliuiscere populum tuum.* &c.

Egredi oportet à secularibus curis.

Hier. 50.

Psal. 45.

Deinde egredimini ab amore proprio ad amorem Dei: ex cognitione vestri ad cognitionem, & charitatem ipsius. Simili quoque tropo sponsus Cantic. 1. sponsam alloquitur: *Si ignoras te (ò pulcherrima mulierum) egredere, & abi post vestigia gregum tuorum:* quod de sui cognitione, quæ ducit in cognitionem Dei ferè omnes sancti explicant: Origen. Athanas. Gregorius Nissenus, Theodoretus, Augustinus epist 48 & in Psalm. 64 Ambros. in Psalm. 118 Diuus Gregorius, Anselmus, Bernardus, & sanctus Thomas. Egredere a terminis amoris proprii, & agnosce, quod sis puluis, & cinis: hæc enim humilis sui cognitio ad cognitionem Dei viam munit. Prouerbior. 11. *Vbi humilitas, ibi sapientia* Matth. 11. *Abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis.* Verùm ne ex consideratione propriæ fragilitatis animum despondeas; agnosce sponsa dignitatem tuam,

Athanas. *Gregor.* *August.*

Egressus ab amore proprio.

Prou. 11.

Matth 11.

quod

quod creata es ad Dei imaginem, quod vt illam in te de-
letam restitueret Deus, pro te homo factus est. Id quod
te docebunt Pastores, qui huius mysterij facti sunt Eu-
angelistæ: pasce hœdos tuos, & cordis meditationes, &
affectus iuxta tabernacula pastorum. Pastores quoque *1. Corin. 2.*
Doctores sunt Ecclesiæ, qui vtrumque nos docent:
quam humiles ex nobis, quam sublimes ex Deo: ad hoc
enim ille homo factus est, vt nos ad diuinum esse exal-
taret. Ad hoc *pauper natus, vt illius inopia nos diuites es-
semus.* Cum Principes primò regnum, ciuitatesque re-
gni ingrediuntur. Solent ciues egredi, vt magna popu-
lorum frequentia, communique omnium lætitia Prin-
cipes suos excipiant. Dauid victori, cum reuerteretur *1. Reg. 18.*
percusso Philistæo, & ferret caput eius, egressæ sunt mu-
lieres in occursum cantantes, chorosque ducentes. Ec-
ce nunc ingreditur mundum Rex noster Christus, verus-
que Dauid: Goliath, diabolum (inquam) iam iam iugu-
laturus: egredimini ergo, & ouanter, quasi victori Prin-
cipi occurrite.

Altiorem quoq; alium egressum sub his verbis spon-
sæ insinuari intelligo, vt scilicet, in hac grandi natiuita-
tis Domini solennitate tanta deuotione mentis exulte- *Egressus*
mus, vt charitatis, & diuini amoris calore concepto sic *deuotionis.*
feruęamus, vt quasi olla feruens effundamur, & egredi-
amur. Fœlices animæ, quæ à Rege in cellam vinariam
diuinę dilectionis introducuntur, in illis ordinatur cha- *Cant. 2.*
ritas, & ex fœlici amoris ingressu, succedit deuotionis e-
gressus.

Per hos fœlices egressus purificatur visus mentis, vt *Egressus a-*
diuinæ maiestatis mysteria perspicacius intueri valeat, *nima puri-*
sicut Christus Dominus ait: *Beati mundo corde, quoniam* *ficat mētis*
ipsi Deum videbunt. Vnde ait sponsa: *Egredimini filiæ* *oculum ad*
Sion, & videte: sicut & Dauid dixit Psalm 45. *Vacate*, *cognitionē*
& videte: atque iterum: *gustate, & videte, quoniam sua-* *diuinæ bo-*
uis est Dominus; quia egressum mentis semper comita- *nitatis.*
tur gustus, & gustum visio, sublimisque cognitio diui- *Matth 5.*
næ bonitatis; atque suauitatis. Videte ergo Regem Sa- *Psal. 33.*
lomonem Christum, qui plusquam Salomon est, ipse est
sapientia Patris. Salomon pacificus interpretatur;
Christus Dominus est *pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* *Ephes 2.*

Zach 9. De quo prædixit Zachar. cap 9. *Loquetur pacem gentibus.* Pacificus Rex est, Pacificus ingressus illius. Ad im-
1. Reg. 16. molandum Domino venit. Sed si quæras cum Isaac, vbi
Genes. 22. est victima fili Dei? O bone Iesu, Rex æternæ gloriæ, *si pacificus est ingressus tuus*, atque ad immolandum Domino venis, *vbinam est victima immolanda?* Ecce ipse Rex pacificus, & puer innocens victima est holocausti.
Genes. 22. Aries est visus ab Abraham inter vepres, Deus verus amore ardens in rubo: Puer pro nobis natus: super ipsum
Exod. 3. imminet iam Patris gladius, *quia disciplina pacis nostræ*
Esa. 53. *super eum.* Videre ergo Regem Salomonem pacificum, qui vt nobis pacem redderet, *in se reconcilians ima summis*, gladium super se tulit: languores, doloresq; nostros teneris humeris sustinere incipit.

Egredimini fœlices animæ, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua, videte, non corporis, sed mentis oculis fidei luce illustra-
Luc 10. tis, *quod multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre, & non*
Diadema Christi capo est sanctissima. *viderunt.* Beati oculi, quibus datur videre Regem Christum, in carnis diademate, quod caput nostrum cingit. *Caput autem Christi, Deus*, ait Paulus. Hoc est gloriosum, & adorandum diadema, quo Virgo sanctissima,
Col. 2. mater immaculata, atque inter omnes benedicta coronauit filium. Non corruptibilis auri, vel argenti diadema est, sed carnis purissimæ, non gemmis ornatum, sed diuinitatis splendore coruscans. Floridum est diadema, quod apud Nazareth floridam Spiritus sancti manu fabricatum est, omnium florum, & odorum diademata
Rupertus. superans. De hoc diademate carnis Christi Rupertus
Genes. 49. lib. 9. in Genes. cap 37. & lib. 1 in Nume. cap 12. explicat illam benedictionem Ioseph, Genes. 49. *Fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos.* Nazaræus reuera Dominus noster Iesus inter fratres suos est, *Sanctus Sanctorum*, cuius in vertice vniuersæ complentur benedictiones Patris sui. Ab illo deriuatur omnis benedictio vberum, & vuluæ Ecclesiæ, cuius vterus semper fœcundus est, filios benedictionis semper pariens. De hoc capite nostro Christo diademate coronato prædixit Propheta: *Præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis,*
Psal. 20. *posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* O gloriosum

ſum diadema, ô præclaram, diuinamque coronam, quæ ipſum Deum incomprehenſibilem cingit. Ab hoc diademate omnes coronæ, & diademata cœlicolarum deriuantur. Id quod Euangeliſtæ Ioanni Apocal. 19. oſtenſum eſt, cum vidit Principem noſtrum ſuper equum album humanitatis puriſſimæ, *& in capite eius diademata multa, & nomen eius vocabatur Verbum Dei.* Hoc Regis noſtri diadema totum corpus ipſius myſticum exornat, cunctiſq; fidelibus ius ad regnum æternum tribuit. Sine corona carnis Chriſti nullus quantumcunq; perfectus ad regnum gloriæ ius habet: per hoc verò diadema Paulo repoſita eſt *corona iuſtitiæ,* neq; ſolum ipſi, *ſed & omnibus his, qui diligunt aduentum eius.*

Diadema Christi ſanctos omnes coronat. Apoc. 19.

1. Tim. 4.

Hoc vtique diademate *coronauit eum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Dies incarnationis fuit dies deſponſationis Verbi cum humana natura. Tunc in thalamo virginalis vteri Verbum Patris carnis diadema ex virgine matre ſuſcepit. Æthiopiſſa quidem erat ſponſa, ſed adamauit eam Moyſes verus Princeps gloriæ: & ſponſus ſanguinũ factus eſt, vt ſponſam dealbaret, pulchramque, & glorioſam ſibi exhiberet. Vnde Cant. 1. ait: *Nigra ſum, ſed formoſa.* Dies verò natiuitatis dies eſt *lætitiæ cordis eius: Deliciæ enim ipſius eſſe cum filiis hominum.* Hæ ſunt veræ deliciæ, & lætitia non ficta, ſed vera, ex corde proficiſcens: hodie cœlum exultatione, & lætitia repletur; exultat ſanctiſſima Trinitas, lætantur Angeli, gloriamque in altiſſimis concinunt: Paſtoribus magnum gaudium annunciant. Quæ verò lingua lætitiam cordis tui explicare valeat beatiſſima virgo mater? Quis gaudium cordis tui æſtimare poſſit, cum te matrem creatoris tui conſpicis: mundi, imò Dei Dominam, Angelorum Reginam? Meritò ſanè Spiritu ſancto plena concinis: *Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, quia fecit mihi magna, qui potens eſt:* Ad hoc glorioſum ſpectaculum, diuinumq; prodigium inuitat nos ſponſa: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem* in fetuo, Deum in puero, æternum in tenero, Leonem in agno, Gigantem in paruulo: videte Dei potentiam in fragilitate concluſam, fortitudinem frigore algentem, ac trepidantem. Videte omnipotentem pannis inuolutum,

Dies deſponſationis dies incarnationis, dies natiuitatis, dies lætitiæ cordis Dei. Exod. 4. Epheſ. 5. Cant. 1. Prouer. 8.

Luc. 2.

tum, fasciis ligatum, Deum ab vbere pendentem, cibum esurientem, solem algentem bestiarum anhelitu confoueri.

Egredimini rationis humanę metas, lynceisque fidei oculis videte singulare spectaculum, intuemini *magnum hoc diuinæ pietatis Sacramētum*; Dei nostri dignationem semper animo voluite. Venite Principes, accedite Reges, & iudices finium terræ: accedite potentes, qui ostro, & gemmis fulgetis, qui mollibus vestimini, qui pretiosis stratis recumbitis, qui delicatis cibis corpus breui periturum pascitis, qui vermium citò futuram escam tanta

Amos 6. cura impinguatis: Qui (vt per Amos Dominus ait) *dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis super stratis vestris*: videte Regem Regum, quo residet solio. Attentis animis illum in præsepio intuemini, in summa egestate. Audite, & discite primam æternæ sapientiæ practicam lectio-

Matth. 11. nem: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*. Discite humilem paupertatem, vt illius inopia nos diuites si-

2. Corin. 8. mus. Intuemini sacrum præsepium veræ sapientiæ cathedram: Vbi vagiens Dei sapientia, & omnia spernens docet nunc opere, quidquid postea verbis docturus est: scilicet, delicias, diuitias, & honores spernere. Quisquis ergo Christiano nomine gaudes, agnosce te Christi Principis militiæ ascriptum: Egredere, & vide Regem tuum, milita cum illo bonam militiam, agnosce Christum humilem caput tuum, noli per superbiam membrum fieri difforme, sed capiti tuo coaptare, Regem tuum sequere, & imitare.

Auxilio Dei opus est ad egrediendum. *Egredimini filiæ Sion*. At dices, non adeò facilis est egressus. Fateor: *Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*: quare Regius Propheta petit: *educ de carce-*

Sap. 9. *re animam meam*. Sed ad quid? *ad confitendum nomini*

Psal. 141. *tuo Domine*. Id quod Psalm. 105 explicuit: *Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, vt lauderis cum hæreditate tua*, id est, vt mereamur admitti ad communionem, participationemque electorum tuorum, qui in simplicitate, & bonitate cordis admittuntur ad videnda diuina mysteria, vtque cum illis admittamur ad participationem spiritualis lætitiæ, atque

atque laudis tuæ. Sponsa quoque ad tam eximium, dignumq; egressum virium suarum imbecillitati timens, dilectissimi sponsi auxilium requirit, & quasi manum petit. Cantic. 7. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum*, quasi dicat, si tu mihi adsis à dextris, si te comitem, ac ducem habeam, egredi audebo à peccatis, à seculi curis, à Babylone, ab amore proprio, transibo ad amorem tuum, & ad agrum amœnissimum florum, atque fructuum cœlestium: *etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Vita contemplatiua ager est, secundum doctrinam Augustini, quæst 13. in Euangelia, & Gregor. in 1 Reg. 6. 11. Christus quoque Dominus ager est rore cœlesti plenus. Sed & Bethlehemiticum stabulum ager factus est amœnissimus, vbi nascitur *flos campi, & lilium conuallium.* In hunc agrum egrediamur, carpamusque cœlestes flores, atque fasciculos, qui inter vbera meditationis nostræ commorentur. Primum florem campi Christum omnibus patentem, omnibus datum odoremur, & adoremus. Quod si peccator es, teque peccati conditio iumentis similem effecit, inter iumenta ad stabulum, ac præsepe accede: *Nam homines, & iumenta saluabis Domine:* boui, & asino te coniunge: *cognouit enim bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui.* Accede & tu, solemq; nube tectum, & laterna carnis inclusum cœli lumen adora. Psal. 138. D. August. D. Gregor. Cant 2. Cant. 1. Psal. 84. Psal 35. Esa. 1.

Vide iam & alium pulcherrimum florem, rosatum, & florum omnium pulchritudinem, atque fragrantiam vincentem, Mariam Virginem, & matrem, lactantem, & adorantem. O mirum partum doloris, & corruptionis nescium. Quis audiuit vnquam tale? Quis vidit huic simile? Intuere Ioseph, infantem in præsepio, & in virginis vlnis adorantem, ac stupentem. Intuere pastores rusticos ab Angelo edoctos lætantes, & adoratum properãtes: Angelorum innumerabiles cuneos super puerum Iesum, ascendentes, & descendentes: ac velut apum examina circumvolitantes, cœlũ laudibus implẽtes. Egredimini mentis excessu, & adorate sacrum illud saxum, in quo puer Iesus reclinatus est. O fœlicissimam Paulam, cui (teste D. Hieronymo) apud Bethlehemiticum præsepe datum est videre nascentem Dominum, gratulantem Hieron.

Virgi-

Paula, & Bernardo datum est videre Iesum nascẽtem.

Esa. 11.

Virginem, ouantes Angelos. Bernardus quoque deuotus Virginis famulus hac nocte hora natiuitatis infantem Iesum nascentem videre meruit, & gratulatus est. Id tamen rarum quoddam donum Dei est, paucisque concessum. Nos tamen puerum Iesum inuocemus, vt nos ducat: de illo enim scriptum est, Esa 11. *Puer paruulus minabit eos.* Inuocemus & Virginem matrem, vt nobis filium, fructumque ventris ostendat: vt lætemur in lætitia iustorum, & laudemus cum hæreditate sanctorum, vt sic videamus nunc Regem Salomonem pacificè in nobis per gratiam regnantem, vt ipsum Regem videre mereamur in decore suo, & throno gloriæ fulgentem. Amen.

IN SOLENNITATE NATALIS DOMINI NOSTRI IESV Christi Concio habita in sacello regio ad Philippum Secundum Hispaniarum Regem, Anno Domini 1591.

CONCIO PRIMA.

THEMA.

Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Luc. 2.



RIMA verba sunt primi Euangelij sacræ noctis natalis Domini, quod in missa Galli cantus decantatur: in quo explicantur circumstantiæ temporis, quo natus est Saluator mundi, *Angelusq; magni Consilij*, atque adeò conuenientissimum fuit, vt primus prædicator huius mysterij esset

esset Angelus, qui pastoribus magnum gaudium nati Saluatoris annunciauit. Quod si linguæ Angelorum tanti mysterii celsitudinem vix pro dignitate explicare valent, quanto minus humana lingua inuenietur idonea? Infans tamen noster potens est ex hominibus Angelos efficere, infantium linguas disertas facere, *ipse est enim, qui dat os, & sapientiam*, Luc. 21. Coram ipso, vt vero Rege, & Principe nostro humiliter prostrati dicamus: *Veni Redemptor gentium, ostende partum Virginis.* Exaudiet nos vtique, dabitque Spiritum suum, si ipsius Genitricis nobis adsit patrocinium, dicentibus: *Aue Maria.*

Iucundissimam illam, fulgentissimamque noctem, quę sicut dies illuminata est, qua Saluator noster ex Virgine Maria apud Bethlehem natus est, celebramus: Primum diem colimus natiuitatis, ac ætatis illius, *qui nec principium nec finem habet:* primum (inquam) diem omni gaudio plenum, diei, atq; totius lucis initium; diem, qui laboriosæ nocti finem, bonisq; diebus dedit initium.

Hoc est opus Dei ineffabile, quod meritò Propheta Esaias vocauit *opus suum:* quia opus misericordia, & amore plenum: in quo innouata sunt signa, immutata mirabilia. Ecclesiast. 36. Moyses in fiscella scirpea aquis exponitur, Christus in præsepio aquas pœnarum, & dolorum experiri incipit: Virga Aaron floret; denique creatio mundi, & omnia diuina opera ante hoc fuere veluti ludi, iuxta illud Prouerb. 8. *Delectabar per singulos dies ludens coram eo, & ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* Hoc est opus dignum diuino brachio, & fortitudine, sicut admirans dixit Esaias, cap 53. *Brachium Domini cui reuelatum est?* Et alma Virgo cecinit: *Fecit potentiam in brachio suo* Luc. 1. Quare in confessione huius mysterii meritò procidit Ecclesia, & quasi ecstasim passa vocem extenuat, atq; humiliter deprimit, dicens: *Homo factus est.*

Esa. 28. *Opus natiuitatis per excellētiam est opus Dei.* *Exod 2* *Prou. 8.* *Esa 53.*

Huius diuini operis seriem, præcipuasque loci, temporis, & principis circumstantias ad maiorem Rei gestæ veritatem comprobandam refert Luc. Euangelista, dicens: *Exijt edictum à Cæsare Augusto, Vt describeretur vniuersus orbis.* Imperabat tunc temporis Octauianus

Augustus Romanorum, ac totius orbis Imperator, qui cum Iulio Cæsari auunculo successisset post celebrem illam victoriam naualem apud Actium obtentam contra Antonium, & Cleopatram, Ægypto in ditionem sui imperij subacta, dum apud Tarraconem Citerioris Hispaniæ vrbem ageret; ab Indis, ac Scythis, & ab omni ferè orbe legatos habuit; ipsius ditioni cuncta regna subdentes; sicut olim Alexandro contigerat. Tunc Cæsar cernens pacem cunctis orbis Prouincijs redditã, edicto præcepit describi vniuersum orbem, certumque æs sibi ab omnibus subditis persolui: cuius edicti occasione multi populi apud Galliam, & Germaniam rebellarunt, quare illius executio per viginti sex annos est suspensa. Tandem illis debellatis anno quadragesimo secundo Imperij sui, rebus omnibus compositis, atque pacatis Romam rediens Octauianus Cæsar decreto Senatus Pater patriæ dictus est, Augustique cognomen accepit, octauo Kalend. Ianuarij, id est, eodem die, quo Christus natus est: sic dictus ab aucto Imperio: Mensis quoque Sextilis ab ipso dictus est Augustus, quasi mensis fertilitatis, & abundantiæ: sicut Quintilis dictus Iulius ab auunculo Iulio Cæsare. Tunc fores templi Iani; vbi arma custodiebantur in signum pacis, claudi præcepit: simulque edictum apud Tarraconem constitutum de certo ære, vel didragmate persoluendo executioni mandari cœpit: à quo ære antiqua illa consuetudo Romanorum computandi annos per æras ortum habuit, quæ per triginta octo annos Christi natiuitatem præcessit teste Isido libr. etymolog. capite 36. Illud verò æs super capita singuli portabant, vt Imperio Romano sese subiacere profiterentur, atque describerentur. *Hæc descriptio prima facta est sub præside Syriæ Cyrino*; viro consulari, qui veluti Prorex Syriam moderabatur. Descriptionis huius, ærisque persoluendi necessitate coactus Ioseph ascendit à Ciuitate Galilææ Nazareth, in Iudæam in Ciuitatem Dauid nomine Bethlehem; *eò quod esset de domo, & familia Dauid, cum Maria desponsata sibi vxore prægnante*: ibique impletis diebus partus *peperit filium suum primogenitum*, &c.

Octauianus Cæsar dictus pater patriæ & Augustus eo die, quo Christus Dominus natus est.

Æra ab indicto ære dicta.

Isidorus.

Exijt edictum. Paruulus, qui datus est nobis, Rex Regum est, & Princeps pacis; vt capite 9. dixit Esaias: Commodissimè igitur eo tempore natus est, quo pax, quies, & silentium omnia continebant. Secundò scopus, finisque natiuitatis ipsius fuit augmentum Regni cœlestis, id quod nobis insinuatur, dum tempore Augusti nasci voluit. Porrò ad augmentum diuinæ gloriæ, Regnique cœlestis non est vsus potentia, non armis, sed humilitate, atque obedientia: ideò primum opus, quod natus exercet, primusque lapis, quem ponit in sublimi ædificio Regni paterni, quod est Ecclesia, est opus obedientiæ, quo Cæsari persoluit tributum. Christus Redemptor noster verus Rex est, & Monarcha, secundùm vtramque naturam. Secundùm diuinam naturam Daniel. 7. *Potestas eius potestas æterna.* Et Psalm. 144. *Regnum tuum Regnum omnium seculorum.* Secundùm humanam verò naturam Regnum illi deberi titulo crucis super scripto asseruit Pilatus: Vidit & Ioannes in fæmore scriptum, id est, secundùm humanam naturam, *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Illius tamen Regnum spirituale erat, & cœleste, sicut Regius Propheta prædixit, Psalmo 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem Sanctum eius*, id est, super Ecclesiam. Hoc Principis nostri Regnum prædixere Prophetæ: Esa. 33. *Regnabit Rex in iustitia.* Hierem 23. *Regnabit Rex, & sapiens erit.* Zacharias 9. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* Magnus quoque ille Patriarcha Iacob iam iam moriturus, Regnum Christi agnouit spiritu Diuino afflatus, *dum conuersus ad caput lectuli adorauit fastigium virgæ Iosephi*, id est, sceptri, quòd tanquam Princeps Ægypti manu gerebat: sicut & Paulus ad Hebr. 11 dixit: vbi Angelicus Doctor lectione 5. docet, quod ibi Iacob agnouit, & adorauit imperium Christi. Angelus quoque Gabriel id Virgini prædixerat, Luc 1. *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis*; quia militanti Ecclesiæ succedet triumphans.

Christus verus Rex. *Esa. 9* *Sap. 18.* *Dan. 7.* *Apoc. 19.* *Esa. 33.* *Zach. 9.* *Genes. 47.* *Hebr 11.* *S. Thom.*

Cæterùm, si filius nobis datus verus Rex est; vbi nam sunt Regalia insignia, vbi Regalis aula? *Ecce non erat ei*

locus in diuersorio, & in stabulo nascitur. Vbi ferculum Sethinum, vel eburneum? reclinatorium aureum? vbi serica aulæa? vbi diadema? vbi satellitum custodia? vbi Regni magnates? Imò video puerum reclinatum in præsepio, vilibus pannis inuolutum, paleas habere pro diademate, duo animalia Regem custodiunt. *Verè tu es Deus, & Rex absconditus.* Rectè Dominus: Ioann. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Regnum ipsius spirituale est, & cœleste: quia caput cœleste, finis, media, leges, Sacramenta, omnia sunt cœlestia: omnia regna mundi excellit: adeò quod omnes Reges terræ ab ipso potestatem accipiunt. Prouerb. 18. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Et quanquam venit Rex sub paupertate, & humilitate absconditus, Angelorum cœlestis melodia illum Regem cœlorum in altissimis regnantem testatur. Matris quoque Virginis integritas Principem gloriæ per portam clausam ingressum annunciat. Pastores Iudææ, qui per Angelum admoniti in Bethlehemitico præsepio puerum adorant, Reges quoque, qui ductu Stellæ ab Oriente venientes, & procidentes, muneraque offerentes, adorant; Regem cœli manifestè profitentur.

Esa. 55. *Ioan. 18.* *Regnum Christi spirituale est, & cæleste.* *Ezech 44.*

Stabilitas regni Principis nostri Christi tutissima est, & æterna, quia à cœlo deriuata. Hæc est ciuitas illa Sancta Hierusalem habens claritatem Dei, quam Ioannes vidit descendentem de cœlo: ibi habet fundamenta.

Stabilitas regni Christi de cœlo deriuatur. *Apoc. 21.*

In somnio quoque illo celebri Nabuchodonosor Regis Babylonis hanc firmitatem Regni Christi præuidit Daniel, cap. 2. Per quatuor enim metalla statuæ ostensa sunt quatuor Regna, videlicet, Chaldæorum per aurum, Medorum, & Persarum per argentum splendidum, quia vacabant Philosophiæ: Et quia fuere duo Regna Persarum, & Medorum, quæ in Cyro coniuncta sunt, significantur per duo brachia in vno pectore coniuncta. Tertium Regnum Græcorum Philippi, scilicet, & Alexandri Magni, quod Regnum propter sonoram eloquentiam æri comparatur. Quartum verò Romanorum propter potentiam ferro comparatur: sicut

Daniel. 2.

sicut enim ferrum omnia comminuit, ita Romanorum potentia cuncta regna subiecit. Duæ verò tibiæ ferreæ dicuntur, quia diuisum fuit imperium in Orientale, & Occidentale: & inter ipsos Principes, vt inter Cæsarem, & Pompeium, Octauianum, & Antonium, Diocletianum, & Maximianum: inde Aquila biceps insigne fuit imperij: sed quia per bella ciuilia inter ipsos exorta debilitatum est imperium, habebat pedes partim ferreos, partim testeos. Tunc subdit: *Videbam donec abscissus est lapis de monte sine manibus*, &c. Explicationemque subdit: *In diebus Regnorum illorum suscitabit Deus cæli Regnum, quod in æternum non dissipabitur, comminuet autem, & consumet omnia Regna hac, & ipsum stabit in æternum.* Sicut Angelus Virgini dixit: *Regni eius non erit finis.* Lapis Christus est, de quo Esaias, cap. 28 *Ecce ponam in fundamentis Sion lapidem.* Ipse est vnus lapis, super quem Zacharias, cap. 3. vidit septem oculos, id est, septem dona Spiritus sancti: Lapis, super quem Iacob dormiuit, & vnxit. Hic lapis initio paruus tetigit pedes luteos, id est, Apostolos humiles, ex se fragiles, & per eos comminuit statuam, id est, mundi potentiam in fauillam redegit, & creuit in montem magnum, de quo Esaias, cap. 2. *Venite, ascendamus ad montem Domini, & docebit nos vias suas.* Mons, qui docet, Christus est: cuius Regni initium, progressus, augmentum, atque celsitudo ostensa sunt. Temporalia omnia regna statua sunt, & somnium, non sunt solida, neque tuta. Quis hoc audeat dicere, quod regna, & coronæ, quod maiestas, aurum, argentum, mundique potentia, & fortitudo sint somnia, & statua? Spiritus sanctus id reuelauit Danieli: *Tu Rex es caput aureum*, sed in fauillam conuertendum: statua, & somnium est sæculi gloria, & opum affluentia, Iob 20. *Velut somnium auolans non inuenietur. Transibit sicut visio nocturna.* Psalm. 72. *Quomodo facti sunt in desolationem? subitò defecerunt, veluti somnium surgentium Domine, imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Ecclesiast. 38. *Somnia extollunt imprudentes*, id est, mundi gloria, quæ velut somnium transit, stultos extollit. Paulus quoque 1. ad Corinth. 7. id docuit: *Præterit figura*

Aquila biceps diuisi imperij insigne.

Esa. 28.

Zachar. 3.

Genes. 27.

Christus lapis statuam comminuēs, & crescens in montem.

Esa. 2.

Temporalia regna somnium, & statua sunt.

Iob 20.

Psal. 72.

Eccl. 38.

1. Cor. 7.

huius mundi. Fragilitatem quoque regnorum temporalium comprobat non tantum omnium, & statua, sed infirmum fundamentum: pedes namque statuæ fictiles erant, qui in fauillas redacti sunt, quæ à vento rapiuntur: sicut fluctus feri, qui in littore mortis euanescunt. Regnum verò Ecclesiæ solidum, & æternum, quia fundatur super firmam petram Christum. Qui venit in mundum, vt sit verus Augustus, qui augeat, & dilatet regnum paternum: iuxta verbum Esa. capite 9. *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: super solium Dauid, & super Regnum eius sedebit, vt corroboret, & confirmet illud in iudicio, & in iustitia amodo, & vsque in sempiternum.*

Esa 9.

Christus verè Princeps Augustus, qui auxit Diuinum imperium per obedientiam.

Hoc est secundum punctum à nobis propositum, quam verè Christus Princeps semper Augustus dici possit, qui Regnum cœleste omninò, & vndique auxit, erat siquidem imminutum per ruinam Angelorum, per peccatum verò primorum parentum regnum Ecclesiæ corruit ex inobedientia, quare venit Christus Dominus instaurare omnia per inobedientiam, vt impleatur vaticinium, Amos cap. 9. *Ea, quæ corruerant, instaurabo.* Vnde Paulus ad Ephes. 1. *In dispensatione plenitudinis temporum instaurauit omnia in Christo.* Deinde auxit, & dilatauit Imperium Diuinum, *quia olim notus erat in Iudæa Deus*, per Christum verò dilatatus est ad gentes, iuxta Esai vaticinium, cùm enim capite 53. de Christi passione prædixisset: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum:* statim capite 54. quasi oculis iam cernens vberrimum fructum, multiplicatumque semen grani frumenti subiungit: *Lauda sterilis, quæ non paris*, id est, gentilitas, quæ olim sterilis eras, *decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas: dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, & clauos tuos consolida: ad dexteram enim, & ad læuam penetrabis.* Et capite 60 alloquitur Dominus Ecclesiam, dicens: *Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Tunc videbis, & affluies, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum. Aperientur portæ tuæ iugiter, die, ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te for-*

Amos 9.
Ephes. 1.
Psal. 75.

Esa. 54.

Esa 60.

te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur. Venient ad te curui filij eorum, qui te humiliauerunt, & adorabunt vestigia pedum tuorum. Suges lac gentium, & mammilla Regum lactaberis. Imò adhuc infans ab ipso Bethlehemitico præsepio incipit augere cœleste Regnum suum. Impletur illud Esai. capite 8. *Antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci*, &c. Nam ecce ex præsepio vocat reges, & gentium fortitudinem ab Oriente. Hoc est, quod prædixit Dauid, Psalmo 59. *In Idumaam extendam calceamentum meum*, ita vt veniant omnes proni adorantes pedes, & calceamentum Christi, & ipsius Vicarij Summi Pontificis. Vel calceamentum Christi vocauit speciosos pedes Apostolorum, & prædicatorum, per quos Idumæi, & gentiles ad fidem erant vocandi. Et illud Psalmo 71. *Dominabitur à mari vsque ad mare:* quia iuxta mare Galilææ ambulans cœpit vocare Apostolos, Regnumque Patris amplificare. Vnde ad Patrem dixit: *Pater ego te clarificaui super terram.* Et subdit: *Manifestaui nomen tuum hominibus.* Vnde meritò vocare possumus infantem nostrum semper Augustum, atque totum tempus Ecclesiæ vocare mensem Augusti, siquidem impletum videmus Esai. vaticinium capite 9. *Latabuntur coram te, sicut qui latantur in messe.* Augustus tempus est messis, sic tempus gratiæ tempus est Augusti, & messis: nunc enim morientibus statim datum præmium, nisi peccata impediant. Christus aceruus est tritici in Bethlehem domo panis natus. Tempus quoque nunc est spargendi, & mittendi semina, *vt venientes* veniamus *cum exultatione portantes manipulos nostros.*

Esa. 8.
Psal. 59.
Esa 52.
Psal. 71.
Ioan. 17.
Tempus gratia tempus est Augusti, & messis.
Esa. 9.
Cant. 7.
Psal. 125.

Iam verò tertio loco expendamus media, quibus inuictissimus Princeps noster Iesus auxit paternum Imperium. Non vtique armis, non potentia, non tyrannide, neque alieni sanguinis effusione, sicut solent terreni Principes, sed humilitate, obedientia, legum obseruantia, & iustitia, propriique sanguinis effusione: sicut Paulus ad Philippenses, capite 2. nos edocet: *Semetipsum exinaniuit factus obediens vsque ad mortem,*

Philipp. 2.
Regnum

Christi auctum obedientia, & iustitia. *mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. Id quod in somnio illo à Daniele iam explicato veluti in imagine videmus. Nam lapillus ille paruus, qui creuit in montem magnum, figura fuit Christi, & ipsius Regni: quod si consideres quomodo lapis paruus creuit in montem magnum; videbis, quod tangendo pedes statuæ, id est, per humilitatem, & obedientiam, factusque sub lege, vt Paulus ait ad Galatas, cap 4. Ecce vix natus describitur subditus Cæsari, quia (vt Diuus Gregorius ait) *Veniebat in carne, vt electos suos describeret in æternitate*, persoluitque Cæsari tributum. Iterum ad mare soluit didragma. Matthæi capit. 17. In passione sub Principibus sacerdotum, & præsidibus. Omnis firmitas, atque stabilitas regni Ecclesiæ, ipsiusque dilatationis, & amplitudinis innititur obedientiæ Christi. Id quod eleganter cecinit Esaias, capite 9. Cùm enim dixisset: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* Subiunxit: *& factus est principatus super humerum eius.* Magnum herclè pondus regni, & Principatus, cui & fortes humeri subcumbunt. Iob 26. *Ecce Gigantes gemunt sub aquis*, id est, sub pondere populorum. *Aquæ multæ, populi multi*, sensit vtique pondus Imperij Carolus Quintus Cæsar inuictissimus pater tuus, cum cessit Imperio, pondusque Regnorum Hispaniæ super humeros tuos imposuit, atque in monasterium Diui Iusti sese recepit, cœleste Regnum in solitudine conquisiturus. Non caruit mysterio, quod titulus regiæ dignitatis Christi cruci sit affixus, vt doceremur quod munus regium, sine cruce esse nequit. Per humerum verò obedientia significatur: Ecclesiastici 6. dicitur: *Subijce humerum tuum sapientiæ.* Et Soph. 3 *Tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno:* id est, vno consensu, obedientia, & fortitudine. Factus est ergo Principatus, id est, stabilitum est Regnum Christi, auctumque imperium per ipsius obedientiam Patri exhibitam vsque ad crucem, quam super humerum detulit. Vbi Verbum factus, non dicit inchoationem Principatus, sed augmentum, secundum phrasim Hebræam, & Scripturæ sacræ.

Dan. 2. *Galat. 4.* *D. Gregor.* *Esa. 9.* *Iob 26.* *Carolus Quintus Imperio, & Regnis viuens cessit.* *Humerus in scriptura pro obedientia accipitur.* *Eccl. 6.* *Soph 3.* *Verbum factus, vel fieri significant augmentum.*

Sanctus

Sanctus Thomas prima parte quæst. 67. art. 4. ad secundum, sic explicat verbum illud operis quarti diei: *fiant luminaria in firmamento cæli*: non enim intelligimus luminaria quarto die fuisse producta, sed quod acceperunt eo die perfectionem aliquam, & virtutem ad peculiares effectus, vt illuminent terram, *& sint in signa, & tempora, & menses, & annos*: sicut & Hispano sermone, cum quis auxilio magnatis ad gratiam Principis, vel ad aliquam magnam dignitatem ascendit, dici solet, *es hechura suya*. Et à summo Pontifice dicuntur creari cardinales, quod non intelligimus in rigore vocis, quòd fiant ex nihilo, sed quia eleuantur ad sublimem dignitatem. *Sic factus est Principatus super humerum eius*, id est auctus: sicut paulò inferius subditur: *multiplicabitur eius Imperium*, id est augebitur. Christus enim Dominus Princeps natus est iuxta illud Psalmi, *Ego autem constitutus sum Rex, ab eo*; & Matthæi 2. *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum.* Regnum illi datum est à Patre, non meruit illud, sicut neque gratiam vnionis. Augmentum tamen Principatus meruit per obediẽtiam, quia per obedientiam in crucem exaltatus gentes, & omnia traxit ad seipsum. *S. Thom.* *Psal. 2.*

Deinde quia quamuis hæc gentium vocatio non fuisset subsecuta ex Christi obedientia, & cruce, nil adeò auxit diuinum Imperium Patris æterni, atque obedientia Christi. Maiestas enim, & dignitas Imperij non tam sita est in multitudine, quàm in magnitudine, & celsitudine subditorum: sicut fortitudo exercitus non tam in promiscua militum multitudine sita est, quàm in peritis, expertis, strenuisque ducibus, & electis militibus. Similiter Ecclesiastici. 16. dicitur: *Ab Vno sensato inhabitabitur patria, & à tribus imperiis deseretur.* Sic considerans Propheta Michæas Bethlehem ciuitatem paruam natiuitate Christi Iesu exornandam, & magnificandam dixit: *Nequaquam minima es, &c. Ex te enim exiet dux, &c.* Similiter imperij diuini potentiam, & maiestatem maximè declarant cœli, cœlestiaque luminaria, vt dicitur Psalm. 18. & Sapient. 13. Sed multò magis obedientia iustorum: Ecclesiastici. 3. *filij sapientiæ Ecclesia iustorum, & natio illorum obedientia, & dilectio.* Inter iustos Virgo san- *Obediẽtia Christi auxit diuinũ Imperium.* *Mich. 5.* *Eccl. 3.*

Luc. 1. sanctissima maximè excellit, vnde verè Luc. 1. dixit: ***Magnificat anima mea Dominum*** Christus autem Dominus verus Deus, & homo dum se minorem Patre confitetur, *Psal. 115.* imò se seruum plana, atq; geminata confessione in Psal. 115 confitetur: *O Domine, quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ*; mirum in modum auxit, atque exaltauit Patris imperium.

Prima lectio Christi obedientia. Hęc est prima lectio, quam paruulus noster ex cathedra præsepij Bethlehemitici nos edocet, nempe obedientiæ, & iustitiæ: hanc viuens docuit: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* Luc. cap. decimo. Eandem docuit pro nobis moriens, factus pro nobis iustitia, & obediens Patri vsque ad mortem, imò vsque ad emissionem spiritus (vt ingeniose, ac deuote adnotauit *Bernard.* Beatus pater Bernardus) dum *inclinato capite tradidit spiritum*, potius eligens vitam deserere, quam obedientiam: *Didicit enim ex his, quæ passus est, obedientiam*: vt ad *Hebr. 5.* Hebræos, capite 5. docet Beatus Paulus. Quorsum tam cita obedientia, ô bone Iesu, & infans gloriæ? Sanè, vt doceat Principes terræ medium potissimum, quo augeantur imperia, esse obedientiam, per obseruantiam diuinarum legum, exhibitionemque iustitiæ, vt reddatur vnicuique quod suum est. Per hanc augetur Regnum *Nissenus.* cœleste: sic explicat Gregorius Nissenus illud orationis *Matth 6.* Dominicæ: *Adueniat Regnum tuum*, id est, communicetur nobis obedientia illa cœlestis, qua spiritus Angelici, & beati ad nutum tibi obediunt. Vt regnes in nobis, sicut in cœlestibus regnas, id quod explicatur, dum subditur: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* Per eandem obedientiam augentur imperia terrena. Dum *Genes. 3.* Adamus diuino pręcepto obediens fuit, creaturę omnes ad nutum illi obediebant: statim verò vt ab obedientia ***Per obedientiam augentur imperia.*** discessit, creaturæ omnes obedientiam ei denegarunt; imò & in ipso homine caro rebellauit contra spiritum. Propter inobedientiam Saul displicuit Domino, & Re*1 Reg. 15.*gnum translatum est ad Dauid. Noe obediens ab aquis *Gen. 6.* diluuij ereptus restaurati orbis principatum tenuit. Abraham propter obedientiam in sacrificio filij pater fidei constitutus est, factus in gentem magnam, atque in semine suo gentium benedictionem promeruit. Red-

que Dominus rationem, *quia obedisti voci meæ*. Ad Iosue obedientis vocem Sol stetit, *obediente Domino voci hominis* Solon Salaminus; *Tunc* (inquit) *rege, cùm didiceris regi*; Socrates, ignorantiam dicebat velle aliis imperare eum, qui obedire nescit. Augustinus 5 de ciuita cap. 12. & sanctus Thomas opusculo 20 de regim. Princ. libr. 3. cap. 20. asserunt Romanorum Imperium propter obedientiam, & iustitiam fuisse auctum; Idque multis aliis præclaris exemplis comprobatur. Vnde Prouerb 21. habetur: *Vir obediens loquetur victorias*. Per obedientiam Christus Dominus à Patre exaltatus est: sicut ad Philip. 2. docet Paulus, *& exiuit vincens, vt vinceret*: Illumque comitantur victores in beatitudine cum palmis in manibus Apoc. 7 sic per obedientiam diuinæ legis vincenti promittit cibum de ligno vitæ, quod est in Paradiso, & manna absconditum Hodie plantatur arbor vitæ in præsepio Bethlehemitico: ibi latet fructus vitæ gratiæ, & inter paleas, vilesque pannos absconditum est manna gloriæ Quod vtinam nobis degustandum concedatur. Amen.

Genes. 22. *Iosue 10.* *August.* *S. Thom.* *Prouer. 21.* *Apoc. 6.* *Apoc. 2.*



IN

IN NATIVITATE DOMINI,

CONCIO SECVNDA.

De gaudio in natiuitate Saluatoris.

THEMA.

Nolite timere: ecce Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Luc. 2.



ERBA sunt Angeli ad pastores, quibus natiuitatis Christi mysterium lætabundus annunciat. *In medio plateæ* Ecclesiæ vidit Ioannes *plantatum lignum vitæ afferens fructus duodecim per singulos menses:* ecce Christus Dominus verum lignum vitæ per cœlestem agricolam in medio Ecclesiæ plantatum vbertimos fructus afferre incipit Paulus ad Galat. 5. inter duodecim fructus Spiritus sancti gaudium enumerat, quod nobis Angelus annunciat, vt igitur tanti gaudij participes efficiamur, ipsius authoris Spiritus sancti verum gaudium gratiæ per Virginem petamus dicentes: *Aue Maria.*

Apoc. 22.

Galat. 5.

Euangelicus Propheta Esaias c. 51. fœlicissima nati filij Dei in terris tempora spiritu Diuino præuidens dixit: *Gaudium: & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis* Ante Christum enim omnia fuêre tristitia, & mœrore plena, continebantur enim homines *tenebrarum, & longa noctis vinculis compediti*, nil enim aliud audiebant, quam diuinæ vltionis rigidam manum, quã in diluuio experti sunt: in incendio Pentapolis, alijsque innumeris flagellis, quibus nihil aliud audiebatur nisi vox gladij, ignis, afflictionis captiuitatis, pestis, seruitutis, &

Esa. 51.

Sap. 17.

Magnum gaudium, in natiuitate Christi prædictum, & impletum.

tis,& miseriæ. Quare ingresso Angelo ad Tobiam,& dicenti:*gaudium tibi sit*:Respondit, *quale gaudium mihi erit,qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video ?* Quod quidem responsum naturæ humanæ lapsæ,& ante Christum in tenebris iacenti commodissimè adaptatur. Si quando enim aliquod bonum nuncium antiquis patribus insonabat, in promissione erat, & in spe. Nam (vt Paulus ait Heb 11.) *iuxta fidem defuncti sunt,non acceptis repromissionibus,sed à longe eas aspicientes,& salutantes,& confitentes,quia peregrini, & hospites sunt super terram* Nunc verò non annunciatur nobis gaudium promissionum , neque futuris temporibus implendum,sed gaudium magnum , illudque præsens Angelus annunciat , cuius causam explicat , *quia natus est vobis hodie Saluator. Gaudium enim delectatio est rationalis creaturæ proueniens ex adoptione desiderij*, vt docet S Thom. 1.2.q. 31.art 3. Et magno desiderio magnum gaudium respondet : Ecce impletur *desiderium collium æternorum*,quod Iacob optabat Gen. 49. venit enim *desideratus cunctis gentibus*:vt Aggæus cap 2 prædixit,& Luc. 10. dixit Christus: *Multi Prophetæ,& Reges voluerunt videre,quæ vos videtis, & non viderunt*. Ecce impletum est desiderium,& sitis Dauid,qua potū aquæ peroptauit de cisterna Bethlehem:*Quia natus est Saluator in Bethlehem ciuitate Dauid*. Nam(vt Prou 25 scriptum est) *Aqua frigida sitienti animæ,& nuncius bonus de terra longinqua*. Gaudij nostri nuncius est de cœlo adueniens. In natiuitate filij Isaac dixit mater Sara : *Risum fecit mihi Deus, & qui audierit,corridebit mihi*. Gaudium quidem fuit,sed singulare.Vnde ait mihi: Quatenus verò fuit typus natiuitatis Christi, vniuersalis gaudij præsagium fuit risus Saræ: *Abraham etiam tunc exultauit, vt videret diem Christi*,vt dixit Christus Ioan 8.*Vidit, & gauisus est*. Quod si in spe huius diuini muneris antiqui patres exultabant,quantò potiùs in vera illius exhibitione nos exultare debemus, qui dicere possumus : *Hæc est dies , quam expectabamus, inuenimus,vidimus*.Thren 4 Rectè Petrus Chrysologus. *Dulcis epistola,sed dulcior præsentia , necessarium chirographum,sed vsque ad debiti solutionem,grati flores,sed vsque dum veniant fructus*. Quòd si antiqui Patres promissis chiro-

Tob.5.
S. Thom.
Genes.49.
2.Reg.23.
Prouer.25.
Gen.21.
Ioan. 8.
Thren. 4.
Chrysol.

chirographis, & floribus gaudebant, quantò potiùs nos fructus diuini præsentia delectabimur? *Ecce enim*, Angelus ait, *annuncio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Saluator.*

Ioan.16. De communi hominum natiuitate dixit Christus Dominus: *Mulier cum parit, tristitiam habet, sed cum pepererit filium, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundo.* At gloriosus hic partus totus fuit gaudio plenus, nulla ibi tristitia admixta fuit, nulla pressura, neque dolor: quia partus fuit diuinus ab omni corruptione, dolore, tristitiaque alienus. De natiuitate Ioannis Baptistæ dixit Angelus: *Multi in natiuitate eius gaudebunt*: Elisabeth tamen mater non caruit dolore naturali in partu. At in hac gloriosa Christi natiuitate nullus fuit, nec esse potuit dolor, nulla tristitia. Sicut enim ex costa Adami absq; vllo dolore educta est Eua, imò summo cum gaudio: multò maiori gaudio repleta est alma Virgo: nec ipsa tãtùm gaudio perfusa est, sed fuit vniuersale gaudium, sic enim ait Angelus: *Annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* De hoc vniuersali gaudio prædixerat Hier cap.33. *Audietur vox gaudij, & vox lætitiæ, vox sponsi, & vox sponsæ.* Exultant enim Maria, & Ioseph; & subdit: *in ciuitatibus etiam habitaculum pastorum accubantium gregum.* Et infrà: *In diebus illis, & in tempore illo germinare faciam Dauid germen iustitiæ.* Quæ omnia in natiuitate Christi completa sunt. Ipse enim germen est iustitiæ, de quo Esa.4. *Erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis.* In illius ortu exultant cœlum, & terra, in altissimis gloria concinitur: aer, & montes replentur Angelis, pastores cœlesti lumine circumfusi Christum prædicant, Bethlehem parua; ciuitas fit regia, stabulum, aula cœlestis: præsepe, Thronus gloriæ: omnia terrena eleuantur, exaltantur, & gaudio magno exultant. Sophonias quoque Propheta, cap. 3. similiter vaticinatus est: *Noli timere Sion, non dissoluantur manus tuæ, Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse saluabit; gaudebit super te in lætitia.*

Luc. 1. *Genes.2.* *Gaudium nati Saluatoris magnum, & vniuersale est, & per Prophetas prædictum.* *Hierem 33.* *Esa. 4.* *Sophon.3.*

Esa. 9. Euangelicus Propheta, cap.9. magnum hoc gaudium comparauit gaudio messorum tempore messis, cùm in

atream messes cum exultatione inferunt: & gaudio victorum *capta præda, cum diuidunt spolia: lætabuntur coram te, sicut, qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia:* subiicit causam: *paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis.* Paruulus homo; sed filius Dei datus est nobis. Datus liberalissimè sine meritis, sine spe retributionis, sed ex mera gratia, & amore: *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Hæc diuina dilectio, & liberalitas explicatur per illam geminationem, *natus nobis, datus nobis.* Qua similiter vsus est Angelus. *Euangelizo vobis, quia natus est vobis.* Eodem spiritu afflatus Zacharias Propheta, capite 9 simili geminatione vsus est: *Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi.* Rex tuus, Saluator, Redemptor, pater, amicus, pastor, dux, Rex, sol, lux, sapientia, solatium, & omne bonum: venit tibi, quasi dicat, tibi omnia factus: Si enim Paulus spiritu charitatis tactus audet dicere: *Omnibus omnia factus sum*, quantò potius Christus Dominus datus nobis à Patre, vt fiat nobis omnia? sic enim ait Paulus, 1 Corinth. 1. *Christus factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio.* Augustinus in illud Psalm. 58. *Deus meus, misericordia mea, ad tollendam omnem miseriam meam.* Angelicus Doctor Thomas elegantissimè hoc cecinit, dicens: *Nobis datus, nobis natus ex intacta Virgine.* Atque iterum; *Se nascens dedit socium, conuescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium.* Nobis igitur natus Saluator, annunciatur per Angelum, vt nos renascamur in filios Dei, nobis pannis inuoluitur, vt ipsum induamus: nobis in præsepio reclinatur; vt humiliemur, nobis in Cruce suspenditur, vt nos redimat, vtque cum illo configamur, peccatisque moriamur. Quare sacer Propheta, cùm dixisset, *paruulus natus est nobis,* causam, atque radicem tanti beneficij subiecit, dicens: *Zelus Domini exercituum faciet hoc.* Zelus (inquam) amoris, quod Paulus ad Roman capite 8. exaggerans dixit; *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non omnia nobis cum illo donabit? Non sic Principes, & Iudices terræ,* qui cùm in bonum commune Reipublicæ potestatem

[Margin notes: Ioan. 3. — Zachar. 9. — 1. Cor 9. — 1. Cor. 1. — D. August. — S. Thom. — Rom. 8.]

acceperint, nil minus curãt: quinimo priuatis suis commodis incessanter inhiant; quos Michæas Propheta c. 3 sic affatur: *Audite Principes Iacob, & duces domus Israel, qui odio habetis bonum, & diligitis malum; qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum. Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt.* At Christus Dominus totus nobis natus est.

Micha. 3. Legatur Rupertus ibi.

De hoc ineffabili gaudio prædixit iterum Euangelicus Propheta cap. 35. *lætabitur deserta, & inuia, & florebit solitudo, & florebit quasi lilium: germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans:* Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron: ac si dicat, vniuersale erit gaudium, quod ad omnes mundi plagas, quantumcunque remotas, desertas, atque solitarias perueniet. Illud verò, *gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron,* videtur impletum in adoratione pastorum; qui venerunt festinantes ad adorandum puerum IESVM. Gloria Libani, decor Carmeli, *Lagala de los Pastores, y Zagales de las montannas de Iudea. Hodie per totum mundum melliflui facti sunt cæli, Hodie exultant Angeli, lætantur Archangeli:* Exultat tota Trinitas in opere suo. Hoc enim opus plenum potentia, sapientia, amore, & gratia, totius Trinitatis opus est. Potissimum verò est opus filij: de quo dicitur Esai cap. 61. *opus illius coram illo,* & cap. 28. *Vt faciat opus suum. Hic est dies lætitiæ cordis illius, quo exultauit vt Gigas ad currendam viam: deliciæ enim illius esse cum filiis hominum.* Quæ verò lingua gaudium illud ineffabile explicare inueniatur idonea, quo mens Virginis sanctissimæ hodie perfusa est? Vnde Leo Papa: *Nemo ab huius diei alacritate secernitur. Gaudeat peccator, quia inuitatur ad veniam, exultet sanctus, quia appropinquat ad palmam; animetur gentilis, quia vocatur ad vitam.* Natus est enim vobis hodie Saluator. O fœlicissimum, hodie, cuius fœlicitas, & gaudium per infinita secculorum secula permanebit: omne enim tempus gratiæ cogitare debemus, quasi vnum diem. Sic enim Paulus ad Rom. 13. de tempore gratiæ ait: *nox præcessit, dies autem appropinquauit.* Et 1. ad Thessalo. 5. fideles vocat filios lucis, & diei. Imò & Christus Dominus Ioan. 9. *me oportet*

Esa. 35. Esai. 61. Leo Papa. Rom. 13. 1. Thessa. 5.

oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: vnde Apostolus ad Hebr. 3 ait: *Adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec, hodie cognominatur.* Hebr. 3.

Iam verò audiamus quale gaudium Angelus nobis annunciat, magnum vtiq; : causamque addit *quia natus est vobis hodie Saluator*: Iesus siquidem verus est Saluator. Ioseph enim in figura Christi dictus est Saluator mundi: Othoniel quoque frater Caleb dictus est Saluator, Iudic. 3. At Christus Dominus Deus meus, & Saluator meus Psal. 61. quem petebat Esai c. 45. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Vnde Paul. ad Tit. 2. *apparuit gratia Dei Saluatoris nostri.* Et ad Phil. 3 *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum.* Idem confirmat Petrus Apostolus Act. 4. *Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Hoc igitur verum gaudium est quod* (vt Augustinus ait) *non de creatura, sed de creatore suscipitur.* Gaudium est affectus animæ, effectus enim est amoris ex præsentia rei amatæ. Quare nullius rei creatæ præsentia potest verum, & tutum gaudium afferre, sed breue, & temporale. Iob 20 *Gaudium hypocritæ ad instar puncti*, & cap. 21 *tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Et Prouerb 14 *Extrema gaudij luctus occupat*: vt exemplis plena est scriptura sacra, experientiaque quotidie docet. Gaudia hæc vana ventris, & voluptatis, caro, & sanguis inuexit, Esai. 5. *cithara, & lyra, & tympanum, & vinum in conuiuijs vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis*, id est, opus redemptionis.

Iesus solus verus Saluator. *Genes. 41.* *Iudic. 3.* *Esa. 45.* *Ad Tit. 2.* *Ad Phil. 3.* *Act. 4.* *August.* *Iob 20.* *Verū gaudium solū est, quod de Creatore suscipitur.* *Esa. 5.*

Ex alta meditatione huius mysterij, nempe natiuitatis Saluatoris verum gaudium consurgit. Hic est fructus Spiritus sancti (vt Paulus docet ad Galat. 5.) qui ex charitatis arbore procedit. Dicitur autem fructus iuxta doctrinam D. Thomæ 1. 2. quæst. 70. art 3. quasi vltimum productum suaue, ac desiderabile, quod procedit ex diuinis seminibus charitatis, & gratiæ; quæ diuina bonitas nobis inseruit. Hinc pullulant duodecim illi fructus, de quibus Apocal. 22. Ex charitate, qui est primus fructus,

Galat. 5. *S. Thom.* *Apoc. 22.*

fructus, quo homo interius perficitur in ordine ad Deum, oritur gaudium, quod procedit ex præsentia rei amatæ, quod si hæc sit sufficiens satiare appetitum, & desiderium amantis, oritur pax Vnde statim, vt Angelus dixit pastoribus: *Annuncio vobis gaudium.* Angelici cantores concinunt: *In terra pax* Paulus ad Hebr 12. *Pacem sequimini cum omnibus, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat* Per radicem enim amaram impeditur dulcedo fructus pacis Prouerb. 15. *Secura mens quasi iuge conuiuium:* & in Psalm 41. *In voce exultationis, & confessionis sonus epulantis* Cum verò hic fructus gaudij ex charitate procedat, sicut charitas non patitur fucum, neque fingi potest (vt Chrysostomus ait) sicut finguntur opera obedientiæ, pœnitentiæ, & aliarum virtutum, ita neque gaudium Spiritus sancti, vt enim dicitur Sapient. 1. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Sicut enim flores quantumcunque per artem confingantur, semper tamen deficiet perfectus odor, vel alia naturalis perfectio, & virtus: *sic in gaudio Spiritus sancti non miscebitur extraneus*, vt dicitur Prouerb 14. Temporalia namque gaudia, & solatia rationalis appetitus desiderium satiare nequeunt. Vnde meritò Dauid Psalmo 76 ait: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum Nolite ergo contristare* (ait Paulus) *spiritum Dei, in quo signati estis in die redemptionis.* Dies hic natalitius Saluatoris dies est Redemptionis nouæ: hodie signamur gaudio Spiritus sancti: Nolite ergo contristare gaudium Spiritus sancti. Per peccata sanè contristatur Spiritus sanctus, & illius gaudium fugatur ab anima Sicut Esaias 24 dicitur: *Luxit, & defluxit terra, & terra infecta est ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutauerunt ius. dissipauerunt fœdus sempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram: cessauit gaudium Tympanorum, quieuit sonitus lætantium, conticuit dulcedo cithara, translatum est gaudium terræ* Hieremias quoque propter peccata deflet defecisse gaudium. Thren 5. *Defecit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster: Cecidit corona capitis nostri, væ nobis, quia peccauimus* Ose. 2. *Cessare faciam omne gaudiũ eius, solennitatem eius, neomœniam eius, sabbathum eius* Iohel quoque

Hebr. 12.
Prou. 15.
Psal 41.
Chrysost.
Sap 1.
Simile.
Prou. 14.
Psal. 76.
Ephes. 4.
Esa. 24.
Thren. 5.
Ose 2.
Iohel 1.

quoque plangens peccata populi ait: *Confusum est gaudium à filijs hominum.*

Cùm igitur verum, & magnum gaudium ex sola Dei præsentia habeatur, meritò Angelus ex ipsius natiuitate magnum gaudium pastoribus, & nobis omnibus annunciat: *Quia natus est vobis hodie Saluator.* Vtinam nobis nascatur: Impij enim dicent in tremendo illo iudicij die: *Errauimus à via veritatis, iustitia lumen non illuxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Sap. 5. Illi oritur sol iustitiæ, illi nascitur Christus, qui illum per charitatem secum præsentem habere, semper studet. *Illis nascitur Christus, qui illum per charitatē semper præsentem habent.* Hinc sponsa sponsi dilecti amoris impatiens non quiescit, in lecto quærens, atque è lecto consurgens, ipsum solicitè quærit. Cant. 3. *Num, quem diligit anima mea, vidistis? Paululum, cum pertransissem, vigiles, inueni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam, donec introducam in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ*, id est, intra mentem, vbi per fidem, & charitatem in filios Dei generamur. Cant 3. Nobis siquidem nascitur Christus: paupertas, & nuditas ipsius, nostrum patrimonium est: infirmitas, fortitudo, humilitas, & abiectio, nostra gloria, vagitus, & lachrymę, nostrum solatium, tristitia ipsius, nostra lætitia, illius inopia, nostræ diuitiæ sunt, ac tandem ipsius infantia, & contemptus, nostra sapientia, & exaltatio. Quæramus solicitè, inueniemus enim in præsepio, & in vlnis, & gremio Virginis almæ; ibi enim iacet *dilectus, quemadmodum filius Vnicornium*: illum teneamus, neque dimittamus, vt gaudium nostrum sit plenum nunc per gratiam, & in futuro per gloriam. Amen.



IN NATIVITATE DOMINI,

CONCIO TERTIA.

De signis nati Saluatoris.

THEMA.

Hoc vobis signum inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Luc. 2.



Erba sunt Angeli pastoribus signa promētis, quibus infantem nostrum Iesum dignoscant. *Hæc est enim vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Quia verò venit Deus absconditus, ne fortè in ipsius inuentione, & cognitione falli contingat, signa certissima illis exhibet Angelus, vt & nos Saluatorem nostrum dignoscamus, cognitumq; (vt par est) diligamus: Spiritus sancti ductum, signorumque intelligentiam per sacram Dei genitricem petamus, dicentes: *Aue Maria.*

Esa. 45.

Cùm olim Dominus filiis Israel liberationem promisit ab Ægyptiaca seruitute per manum Moysi, quem suæ gentis ducem elegit, multa; atque ea mirabilia signa, & prodigia ostendit. Gedeoni signum roris, Achaz etiam non petenti signum datum est: Esa. 7. Ezechiæ quoq; in Sole signum datum est. Cùm igitur nunc Salus æterna nobis de cœlo communicetur, Deiq, filius cunctis gentibus adeò desideratus de sinu Patris ad nos descēderit, cur tā vilibus signis ab hominibus dignosci voluit? Meritò id considerans Abacuc Propheta admiratione, pauoreq; plenus, & totus contremiscens ait: *Domine audiui auditionem tuam, & timui, Domine opus tuum in medio annorum cognosceris* Vbi 70. legunt *in medio duorum animalium cognosceris.* Quod de hoc mysterio explicant Prosper, & Greg Nazian. in illud Esa. 1. *Cognouit bos possessorem suum.* Idq; indicant verba Prophetæ statim subiuncta:

Exod 4
Iudic. 6.
Esa 38.
Signa semper à Domino data patribus.
Abacuc 3.
Prosper.
Nazian.

iuncta: *Deus ab Austro veniet*, id est, de Bethlehem: secũdum Irenæum, Tertull. Cyrillum, & Euthymium, quia Hierosolymis Bethlehem est ad austrum. Meritò quidẽ Dominum Maiestatis inter duo animalia in præsepio iacentem Propheta admiratur; sed multo mirabilius est, quod per Angelum suum ea signa dari voluit, vt dignoscatur; signa enim oporteret signato proportionari. Nonne infans hic Princeps est gloriæ, creator mundi, filius æterni Patris? quid illi cum pannis, atq; vili præsepio? Terreni vtique Principes pro signo habent ostrum, aurum, gemmas, regium diadema, sceptrum, torquem auream cum pendenti agno, cortinam, thronum, ensem coram se nudatum. Quorsum ergo tam vilibus, tamque abiectis signis pannorum, & præsepis dignosci vult Princeps noster? S. Salomon consummato templo ditissimo, maximisque expensis fabricato, meritò dixit: *Si cælum, & cæli cælorum te capere non possunt, quantò magis domus hæc, quam ædificaui?* Quid dixisset sapientissimus Rex, si vidisset eundem Dominum non iam in figura, sed in veritate iacentem in præsepio inter bestias? Quæ vnquam tam vilis ancilla, tamque abiecta, vt editum filium in præsepio collocauerit? Quod si temporis, & loci angustias mentis oculis collustremus, magis admirabimur, videbimus enim vndique confluxisse homines persoluendi tributi gratia, omnia plena tumultu, varioque hominum, & bestiarum strepitu. Inter hæc considera Virginem nobilissimam, modestissimam, quietis amicam, iuxta præsepe sedentem, fabro sponso dumtaxat comitatam, sed Angelis circumdatam, Dei filium parientem, & in præsepio reclinantem, inter iumenta puerum vagientem, sanctissimam Dei genitricem ei vbera porrigentem, *qui portat omnia verbo virtutis suæ*. Conditor mundi est, Patris potentia, quę cuncta creauit, ipsius sapientia est, quę cuncta gubernat, qui Solem, & Lunam lumine replet, *amictus lumine, sicut vestimento*, qui astrorum cursus moderatur, *cui cælum sedes est, & sedet super Cherubim:* quæ igitur causa te in hanc miseriam deiecit, ô formose puer, & Deus immense? Quid enim Deo sublimius, quid præsepio vilius? cur pannis, & fasciis ligaris, qui cœlum palmo ponderas, & concludis? Dum

Irenæus. *Cyrillus.* *3 Reg. 8.* *Hebr. 1.*

IN NATIVITATE DOMINI,

CONCIO TERTIA.

De signis nati Saluatoris.

THEMA.

Hoc vobis signum inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Luc. 2.



ERBA sunt Angeli pastoribus signa promẽtis, quibus infantem nostrum Iesum dignoscant. *Hæc est enim vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Quia verò venit Deus absc͠oditus, ne fortè in ipsius
Esa. 45. inuentione, & cognitione falli contingat, signa certissima illis exhibet Angelus, vt & nos Saluatorem nostrum dignoscamus, cognitumq́; (vt par est) diligamus: Spiritus sancti ductum, signorumque intelligentiam per sacram Dei genitricem petamus, dicentes: *Aue Maria.*

Cùm olim Dominus filiis Israel liberationem promisit ab Ægyptiaca seruitute per manum Moysi, quem suæ gentis ducem elegit, multa, atque ea mirabilia signa, & prodigia ostendit. Gedeoni signum roris, Achaz etiam
Exod 4 non petenti signum datum est: Esa. 7. Ezechiæ quoq; in
Iudic. 6. Sole signum datum est. Cùm igitur nunc Salus æterna
Esa 38. nobis de cœlo communicetur, Deiq́; filius cunctis gen-
Signa semper à Domino data patribus. tibus adeò desideratus de sinu Patris ad nos desc͠ederit, cur tã vilibus signis ab hominibus dignosci voluit? Meritò id considerans Abacuc Propheta admiratione, pauoreq́; plenus, & totus contremiscens ait: *Domine audiui auditionem tuam, & timui, Domine opus tuum in me-*
Abacuc 3. *dio annorum cognosceris.* Vbi 70. legunt *in medio duorum animalium cognosceris.* Quod de hoc mysterio explicant
Prosper. Prosper, & Greg Nazian. in illud Esa. 1. *Cognouit bos pos-*
Nazian. *sessorem suum.* Idq; indicant verba Prophetæ statim subiuncta:

iuncta: *Deus ab Austro veniet*, id est, de Bethlehem: secũdum Irenæum, Tertull. Cyrillum, & Euthymium, quia Hierosolymis Bethlehem est ad austrum. Meritò quidẽ Dominum Maiestatis inter duo animalia in præsepio iacentem Propheta admiratur; sed multo mirabilius est, quod per Angelum suum ea signa dari voluit, vt dignoscatur; signa enim oporteret signato proportionari. Nonne infans hic Princeps est gloriæ, creator mundi, filius æterni Patris? quid illi cum pannis, atq; vili præsepio? Terreni vtique Principes pro signo habent ostrum, aurum, gemmas, regium diadema, sceptrum, torquem auream cum pendenti agno, cortinam, thronum, ensem coram se nudatum. Quorsum ergo tam vilibus, tamque abiectis signis pannorum, & præsepis dignosci vult Princeps noster? Si Salomon consummato templo ditissimo, maximisque expensis fabricato, meritò dixit: *Si cælum, & cæli cælorum te capere non possunt, quantò magis domus hæc, quam ædificaui?* Quid dixisset sapientissimus Rex, si vidisset eundem Dominum non iam in figura, sed in veritate iacentem in præsepio inter bestias? Quæ vnquam tam vilis ancilla, tamque abiecta, vt editum filium in præsepio collocauerit? Quod si temporis, & loci angustias mentis oculis collustremus, magis admirabimur, videbimus enim vndique confluxisse homines persoluendi tributi gratia, omnia plena tumultu, varioque hominum, & bestiarum strepitu. Inter hæc considera Virginem nobilissimam, modestissimam, quietis amicam, iuxta præsepe sedentem, fabro sponso dumtaxat comitatam, sed Angelis circumdatam, Dei filium parientem, & in præsepio reclinantem, inter iumenta puerum vagientem, sanctissimam Dei genitricem ei vbera porrigentem, *qui portat omnia verbo virtutis suæ*. Conditor mundi est, Patris potentia, quę cuncta creauit, ipsius sapientia est, quę cuncta gubernat, qui Solem, & Lunam lumine replet, *amictus lumine, sicut vestimento*, qui astrorum cursus moderatur, *cui cælum sedes est, & sedet super Cherubim:* quæ igitur causa te in hanc miseriam deiecit, ô formose puer, & Deus immense? Quid enim Deo sublimius, quid præsepio vilius? cur pannis, & fasciis ligaris, qui cœlum palmo ponderas, & concludis? Dum

Irenæus. *Cyrillus.* *3. Reg. 8.* *Hebr. 1.*

M 3 hic

hic video mirabilia, quæ ipsos quoque Angelos propiciatorij mutuò sese aspicientes adeò suspensos, ac trementes tenent, vt quid sit mirabilius difficile iudicare queant. Primùm, quod Dominus Maiestatis vilibus pannis, atque fasciis inuolui, vilioríque præsepio reclinari elegerit; alterum, quod his signis dignosci voluerit.

Christus humilitatis magister pannos, & præsepe elegit. Respondetur igitur ad primum, quod Princeps noster *propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis*: & quia ex superbia morbus noster processerat, humilitatis antidota ab ipso natiuitatis exordio medicus cœlestis præparare incipit, vt mundi superbiam, fastumque damnet, exinaniuit semetipsum, humilem matrem, viles pannos, humileq; præsepe eligit. Ex præsepio humilitatis incipit esse magister, mundum contemnere, *potentes de sede deponere* (vt alma Virgo cecinit) *& exaltare humiles*. Omnia, quæ discipuli vident in magistris, vel subditi in principibus solent illis esse gratissima. *Exempla maiorum minoribus grata.* Gibbus Aristotelis discipulis placebat. Nasus aduncus Cyri Persarum Regis suis erat gratissimus. Alexandri exemplum, qui dum Persidem debellaret, per niuem pedester incessit, Principes, Duces, ac milites imitati sunt. Ionathan filium Saul per præruptos scopulos ad stationẽ Philistinorum ascendentem non minus audacter, quam fœliciter insecutus est armiger ipsius. Armiger quoque Saulis videns Regem in mõte Gelboe super gladium suum corruisse, simili temeritate super gladium suũ irruit, & mortuus est Ecce Christus Princeps, Dominus, & magister noster non per præruptos scopulos, sed per humilitatem, non ad mortem, sed ad vitam nos ducit, munitissimamq; arcem superbiæ mundi expugnat: cur illum non sequemur?

1. Reg 14.

1. Reg. 31.

Deinde Dominus Maiestatis voluit sub vilibus diuinam Maiestatem abscondere, quia amor facit ecstasim, & quia *non bene conueniunt, nec in vna sede morantur maiestas, & amor.* Solet Princeps Regiam dignitatem indigniori habitu celare, vt desiderato aspectu sponsæ, vel dilectæ amasiæ liberius fruatur, imò Pastoris indumento libenter regia operit ornamenta. Sic vtiq; cœlestis Princeps ex amore humanæ naturæ *habitu inuentus*

vt homo,

Vt homo, sub vilibus diuinam, regiamq; Maiestatem abscondit: quia ipsius *delicia esse cum filiis hominum*; illis sese coaptare occultata Maiestate, vt ille nobiscum conuersari, & nos ipso liberius frui possimus: Maiestas enim, & comitatus frequētia delectationem amoris impediunt, quæ ex affabilitate, & amoris facili insinuatione, cordisque apertione percipitur. Atque ea fuit vna ex præcipuis rationibus, quare Dominus Iesus voluit nobiscum manere, non in propria specie, sed sub accidentium panis, & vini velamine occultatus: quod fuit summæ dilectionis argumentum. Hanc verò amoris causam Euangelicus Propheta nos docuit. Cùm enim natiuitatis mysterium explicuisset, dicens: *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis*, quasi rationem reddens, cur sic in paruuli figura natus sit: Subdit: *Zelus Domini faciet hoc*: ac si dicat, amoris est inuentio. *El amor es gran inuentor de dufraces.* Vnde Maximus ait: *Si cernis Vilia, crede mirifica: sub Vilitate enim latet Maiestas. Debaxo del sayal, ay al.*

Amor Diuinus sub Vilibus occultare Voluit Maiestatem.

Esa. 9.

Maximus.

Tertio solent magni thesauri sub terra abscondi, & occultari, signoque vili signari, aliquando carbone, cinere, vel lapide, vt suo tempore per indicium signi inueniantur. Sic & qui ab Indis aurum, & gemmas deferunt, solent sub nauis occultare saburra, quæ ab Hispanis dicitur *lastre*. Pretiosa quoque sub vilioribus tutius occultantur. Sic pretium redemptionis nostræ, quod omni auro, & argento inæstimabiliter est pretiosius, oportuit occultari, vt diabolo celaretur: Sic enim ait Paulus, 1. ad Corinth cap. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos, quam nemo Principum huius seculi cognouit*: quod non tantum de Principibus terrenis explicat Angelicus Doctor, verum etiam de Dæmonibus. Sic Iob dixit capite 28. *Volucres quoque cæli latet.* Quanquam enim habuerunt coniecturas, quod esset filius Dei, nunquam tamen id perfectè cognouerunt. Vnde subdit Apostolus: *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Hic est circulus positus à Domino in naribus Leuiathan Iob capite 40. vt explicuit Diuus Gregorius libro 33. Moral. capite 14. dum odoratus illius, & sagacitas frustrata est. Hoc est, quod Ecclesia canit: *Hoc opus nostræ*

Ea, quæ pretiosa sunt, sub Vilibus occultantur: sic pretium redemptionis nostræ.

1. Cor. 2.

S. Thom.

Iob 28.

Iob 40.

Gregor.

 salutis

salutis ordo depoposcerat, multiformis proditoris ars, vt artē falleret Sub his igitur vilibus signis, & mysterium redemptionis nostræ cōmodissimè Diabolo celatum est, & thesaurus fidei nostræ tutior manet: tum, quia fides
Hebr. 11. est argumentum non apparentium: tum, quia hæc mysteria abscondita, & non visa, per lumen fidei reuelat diuina bonitas credentibus, & humilibus: sicut Christus
Matth. 11. Dominus ait, Math. cap. 11. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea*
1. Cor. 1. *paruulis.* Et hoc est, quod Paulus ait 1 ad Corinth. cap. 1. *Quoniam per Dei sapientiam non cognouit mundus Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.* Id est, quoniam mundus non cognouit Deum per opera illustria facta per ipsius sapientiam, vt per Solem, & Lunam, & cœli luminaria, quæ cum in veri Dei cognitionem, & gloriam deberent homines ducere; ipsi horum splendore decepti, vt Deos adorauerunt: *adeò placuit Deo per stultitiam prædicationis,* id est, per hæc humilia, & vilia signa, quæ mundus stulta iudicat, *saluos facere credentes.*

Ad secundam verò quæstionem, quare diuina Maiestas non tantùm hæc vilia signa elegerit, sed per hæc voluerit a nobis dignosci, dicente Angelo pastoribus: *hoc vobis signum,* &c.

Respondetur primò, quod ea omnia signa magna, quæ initio concionis diximus olim præcessisse, & plura alia hoc mysterium in figura indicarunt: signa enim data Gedeoni, Achaz, Ezechiæ, atque Moysi, nunc completa sunt: imò Moyses ipse in fiscella scirpea in carecto ripæ fluminis inuentus, & à filia Pharaonis adoptatus typum gessit Saluatoris nostri in præsepio: qui inter aquas, & mundi procellas iactatus est: vix enim illo nato insurrexit procella persecutionis Herodis; in præsepio inter paleas inuenitur, & à Magis Gentilismi proceribus adoptatur, & adoratur. Impleturque illud

Moyses in fiscella scirpea typus Christi in præsepio.

Esa. 60. Esaiæ cap. 60 *Suges lac gentium, & mammilla Regum lactaberis.* Illa quidem maiestatem venturi Domini prædicabant, in celsitudinis ipsius desiderium portenta illa, & cœlestia signa mentes antiquorum patrum excitabant, atque desiderium accendebant. Nunc verò

nato

nato iam, & viso in terris Saluatore terrena, & humilia signa terrigenis congruunt. Vilitateque signorum voluit Dominus natus antiquis mundi querimoniis satisfacere. Quatuor namque de Deo mundus conquerebatur. Primum, quod ipsum non inueniebant: *Domine in cælo misericordia tua.* Hinc iterum Dauid, Psalmo 41. conquerebatur: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi, Vbi est Deus tuus?* Secundò, quod manus habebat graues. Vnde Iob, cap. 13. *Manum tuam longè fac à me.* Tertiò, quod aspera, & rigida voce loquebatur. Adam in Paradiso statim, vt peccauit, *Audiui* (inquit) *Vocem tuam, & abscondi me.* Filij quoque Israel dixerunt Moysi: *Loquere tu nobis, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Quartò timebant thronum Maiestatis, sicut vidit Esaias, cap. 6. & Ezech. cap. 1. optabantque, vt sine Maiestate manifestaretur. Sic in Psalm. petebat Dauid: *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin, & Manasse*, id est, coram populo tuo Israel, parte pro toto accepta. Ecce igitur Angelus è cœlo dilapsus gaudium magnum nunciat, quo cunctæ querimoniæ conticescant: Patrumque desideria optatum finem habeant. Primum enim iam non in cœlo latet, sed in terris inuenietis: quod si vox Domini terrebat, infantem inuenietis, & sine voce; si manus graues timebatis, ecce inuenietis pannis inuolutum, fasciis ligatum. Si thronus Maiestatis deterrebat, ecce in humili præsepio collocatus. Vnde canit Ecclesia: *Vagit infans inter arcta conditus præsepia, Membra pannis inuoluta Virgo mater alligat: Manus, pedes, atque crura stricta cingit fascia.*

Signa humilia, & terrena terrigenis cōgruunt. *Psal. 35.* *Psal. 41.* *Iob 13.* *Genes. 3.* *Exod 20.* *Psalm. 79.*

Adde, quod signa hæc ab Angelo pastoribus data, quanquam vilia, mysteriis tamen plena sunt. Primum enim infans est, & sine voce, ne Adam vereatur accedere: Neque filij Israel vocem Domini timeant. Ecce verus Ioseph ait fratribus: *Nolite timere, ego sum Ioseph, frater Vester.* Infans est, sic promissus per Esaiam: *Delectabitur infans ab Vbere super foramina aspidum*: Et c. 53. vbi vulgata lectio habet: *Ascendet sicut Virgultum coram eo.* 70. legunt: *Sicut puer lactens, Vel Vagiens coram eo.* Totus pulcher, dulcis, *speciosus forma præ filiis hominum*; *Totus* desiderium

Infans Christus, ne Vox terreat. *Genes. 46.* *Esa. 11.* *Esa. 53.* *Psal. 44.*

Cant 5. *desiderabilis.* Vilis in pannis, dulcis in paleis, suauis in præsepio, suauissimus in cœlo. *Breuis in volatilibus apis,*
Eccl. 11. *& initium dulcoris habet fructus illius.* Apis breuis, Christus paruulus infans, qui mellificat in animabus sanctis. Pascitur floribus, & *inter lilia*: totus dulcis, & totus dulcedinis initium: vtque vndique esset dulcissimus, de illo
Esa. 7. prædixit Esaias: *Butyrum, & mel comedet*, &c. Butyrum ex oue, mel ex flore. Virgo sacra ouis est, quæ mellitum fauum ex Spiritus sancti rore, & ex virginali flore concepit.

Infans quoq; apparet, vt plurima damna linguæ restauret. Atq; vt infantilem simplicitatem nos doceat (vt
1 Petri 2. Petrus Apostolus ait) *quasi modo geniti infantes rationa-*
Sap 11. *biles sine dolo lac concupiscite.* Ipse est tandem, *qui linguas infantium disertas facit.*

Secundum signum est vilium pannorum. Inuenietis
Iudic. 16 infantem pannis inuolutum. Ecce Sampson ille fortissimus in gremio Virginis ligatus. Quis te (ô fortissime
Amor Christum verũ Sampsonẽ fasciis ligauit. Sampson) infirmũ, atq; vinculis ligabilem effecit? Amor vtiq; Dalilæ. Et quid pulchrum in Dalila vidisti? *Placuit* (inquit) *in oculis meis: Amare, & sapere* (dixit quidã Philosophus) *vix Deo conceditur.* Sic diuina hæc opera in oculis mundi stultitia apparent (vt Paulus dixit 1. Cor. 1.) amor vtique humanæ naturæ, quæ verè Dalila erat, & pauper, sic enim interpretatur, filium Dei exinaniuit, & in gremium sacræ Virginis pannis, & fasciis ligandum
Iob 38. adduxit. Impleturillud Iob 38. *Quis conclusit ostijs mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens; cùm ponerem vestimentum eius, & caligine illud, quasi pannis infantiæ*
Filius Dei mare. *obuoluerem*? Verbum diuinum mare magnum, cuius tumentes fluctus timebat Iob. Mare propter immensitatem & profunditatem Abyssi: (mare, à quo flumina gra-
Eccl. 1. tiarum exeunt, & in quod reuertuntur) intra claustrum virginalis vteri, velut intra ostium conclusum, ibi caro factum vestitum est nube carnis, nũc ex vtero egressum pannis infantiæ obuoluitur: sapientia, & potẽtia magna patris, qui Angelos vestit gloria, Seraphinos splendore, qui vestit lilia agri, qui campos induit floribus, qui *operit cælum nubibus*, auesq; cœli variis plumis exornat, pannis inuoluitur.

Iam

Iam noli timere, nè abscondaris Adam, quia nudus es, ecce pannis incipit velare nuditatem tuam: aderit, aderit dies, quo, vt peccatum tuum lauet *lauacro aquæ in Verbo Vitæ*, ponet vestimenta sua. Vt in discipulorum lotione totum lauet humanum genus: & quanquam tunc resumet vestimenta sua, postero tamen die, cùm in crucem exaltabitur, exuetur vestimentis, vt nos induamur. Olim quidem, dum primos parentes tunicis pelliceis Dominus induit è paradiso eiiciens: mortem nostram ipsius morte destruendam, & in vitam commutandam, nostramq; spiritualem nuditatem ipsius nuditate operiendam mirabili illa pellium figura præsignauit, & quasi pignore dato sese deuinxit. Sicut per Ezech. cap 16 ad peccatricem animam ait Dominus: *Transiens per te, vidi te conculcatam in sanguine tuo, & dixi tibi, viue: dixi (inquam) tibi, viue: & eras nuda, & confusione plena, & laui te aqua, vnxi te oleo, vestiui te discoloribus, indui te subtilibus.* Ecce nunc pannis inuoluitur, & in cruce exuitur, vt nos *exuamus veterem hominem, & induamus nouum hominem* Iesum Christum Doctrina exemplum, & humilitas Christi pretiosi panni sunt, quibus induamur. Charitas vestis est Christi nuptialis, quæ non debet diuidi, sicut alia vestimenta, & virtutes, sed sors mittenda est, cuius sit. O fœlicissimum, terque, quaterque beatum, quem charitatis Christi sors, & vestis induerit! Qui nunc humilitatis pannis obuolui cœperit, sortem quoque vestis charitatis à Domino, qui sortes in sinum missas temperat, expectare poterit.

Pannis Christus inuolui, vt nos induere incipiat. *Ioan. 13.* *Gen. 3.* *Ezech. 16.* *Col. 3.* *Ioan. 19.* *Prou. 16.*

Tertium iam, atque vltimum signum ab Angelo pastoribus exhibitum meditemur. *Positum* (inquit) *in præsepio* Primum quidem non possum non mirari Virgo sanctissima, materque tanti filij, quid est, quod te mouet, vt filium dulcissimum, atque dilectissimum, vel per momentum à pectore tuo dimoueas? Nonne hic est, de quo meritò dicis: *Dilectus meus mihi, & ego illi*? nonne hic est, *in quem desiderant Angeli prospicere?* Quis ineffabilem hanc virginis in nos charitatem cogitare, nedum eloqui valeat? sicut enim æternus Pater *sic mundum dilexit, vt filium suum vnigenitum daret:* sic vtique mater misericordiæ paternam charitatem imitari videtur,

Cant. 2. *1. Petri 1.* *Ioan. 3.* *Charitas Virginis in humanum genus*

charitatẽ aeterni Patris imitatur videtur, dum filium à se tantisper separat, vt nobis illum tradat. Dum enim in præsepio inter bestias collocat, nobis apertè exhibet, qui per culpam in bestiarum conditionem translati sumus; vt Dauid in Psalm. dixit: *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis* *Psalm. 48.* *insipientibus Sed homines, & iumenta saluabis Domine: Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.* *Psal. 35.* Atqui iam incipit infans misericordiam suam multiplicare, dum ab vbere iumenta quærit: *Qui dat iumentis escam ipsorum.* *Psalm. 145.* Ecce iam bestias fouere incipit, positus in præsepio Et propter bestias relinquit patrem, & matrem, & humanæ naturæ, tanquam vxori adhærere incipiat.

Deinde Samaritanus est puer noster, qui miserum hominem à latronibus vulneratum ducit in stabulum, vt vulneribus medelam adhibeat. Venit quoque, vt boni Pastoris munus exequatur, quare à teneris labori assuescit, & obdurari incipit; vt dicat *ex his, quæ passus est obedientiam*, vt Paulus ait ad Hebr 5 Esa. quoq; c. 40. dixit: *Hebr. 5.* *Omnis caro fænum: Verè fænum est populus.* Dum ergo *Esa 40.* *Verbum caro factum est*, rectè natus infans inter fœnum carnis nostræ collocatur in præsepio. Verùm (vt Propheta subdit) *aruit fænum, & flos eius decidit.* Ecce Christus flos campi fœno superponitur, vt refloreat caro nostra: & impleatur Esa. vaticiniũ, cap. 35. *Solitudo florebit quasi lilium, orietur viror calami, & iunci.* *Christus flos fænum carnis nostræ reflorere fecit.* *Esa. 35.*

Præsepe vas est, quo pabulum exponitur iumentis. Peccator fœno vescitur, dum terrenorum affectu pascitur. Sic Psalm. 101. *Percussus sum vt fænum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* *Psal. 101.* Venit Christus à terrenorũ affectu ad cœlestium amorem reuocare, ad hoc cœlestem nobis cibum in præsepio proponit: cibus enim noster Christus est, & panis Angelorũ, *panis* noster factus est, *qui cor hominum confirmet.* *Psal. 103.* Tandem Christus Dominus fructus est ille dulcissimus, quẽ sponsa Ecclesia sub vmbra sedens, cum degustasset, dulcem gutturi reperit Quantò dulciorem sine vmbra nunc experimur? atq; vtinam nos experiamur. *Cant. 2.*

Solent verò multi fructus in salutem, vel delicias inter paleas diu seruari, vt maturescant, vtque dum minus

spe a..s

ſperatis fruimur, maiorem dulcedinem ſentiamus. Sic Virgo ſanctiſſima filium ſuum dilectiſſimum fructum cœleſtis Paradiſi inter fœnum, & paleas collocat, vt maturescat: vt illum quæramus, & deſideremus. *Quærite ergo Deum, & viuet anima veſtra* Pſal. 68. *Quoniam, qui inuenit illum, inueniet vitam.* Ecce in præſepio inuenitur à paſtoribus: *ibi cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.* Vt Eſaias dixit, cap 1. *Iſrael autem non cognouit.* Ibi apud præſepe Domini Beatus Hieronymus commoratus per decem annos in Domino fœliciter obdormiuit ætatis ſuæ anno nonageſimo quinto. Inde poſtea Romam ſimul cum præſepio translatus à Pio Secundo, ſeptimo Idus Maij, die Beato Gregorio Nazianzeno, Diui Hieronymi Magiſtro ſacro *Quærite ergo Dominum, dum inueniri poteſt: in ſimplicitate cordis quærite illum, quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum, apparet autem eis, qui fidem habent in illum.* Sapient 1. cap. Hoc enim eſt tempus illud optatum, de quo Oſe. cap. 10. *Tempus requirendi Dominum, cum venerit, qui docebit nos iuſtitiam.* Ecce dantur nobis ab Angelo ſigna, quibus illum dignoſcamus, quibus limina, & oſtia cordis ſignemus. Hæc ſuper cor, & brachium ponamus: vt omnes cogitationes, locutiones, & opera noſtra ſapiant Saluatoris humilitatem, ſimplicitatem, & eximiam charitatem. Tunc coram ſacra Virgine, & præſepio humiliter procidentes petamus, vt Ieſum dulciſſimum fructum ventris ſui nobis oſtendat; qui nunc in via ſaporem habet gratiæ, & in patria beatis communicat dulcedinem gloriæ.

Chriſtus pretioſus fructus reſtè inter paleas, & fœnū collocatur.

Eſa. 1.

Eſa. 1.

Exod 12.

Cant. 8.



IN NATIVITATE DOmini nostri Iesu Christi,

CONCIO QVARTA.

De hymno Angelorum.

THEMA.

Gloria in altissimis Deo. Luc. 2.



VERBA sunt multitudinis cœlestis militiæ vna cum Angelo, qui pastoribus gaudium magnum natiuitatis Christi nunciauit, collætantium, & concinentium gloriam in altissimis Deo, & in terra pacem bonæ voluntatis hominibus nunciantium. Olim quidem soli Angeli in cœlo gloriam Deo concinebant, nunc verò postquam per Christi natiuitatem Angelicis choris inserta est humana natura, duplici voce, Angelica scilicet & humana gloria in altissimis Deo concinitur. Vnde psaltes Regius sępè nos exhortatur, dicens: *Date gloriam Deo nostro* Eccl. quoq; 43. dicitur: *Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis, superualebit adhuc. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis, maior est enim omni laude. Exaltantes eum replemini virtute.* Vt igitur cum choris Angelicis gloriam in altissimis infanti nostro Christo concinamus, exaltemus, & glorificemus virtutem diuini Spiritus per Deiparæ Virginis intercessionẽ ex alto petamus, dicentes: *Aue Maria.*

Eccl. 43.

Quanquam cantica omnia, & ea potissimum, quæ in Euangeliis conscripta sunt, magna deuotione celebrat Ecclesia, vtpote, quæ Spiritu sancto inspirante ordinata sunt: hoc tamen Angelorum canticum maiori quadam veneratione, atque dulcedine plenum video, quod Angeli sancti, qui diuinis laudibus decantandis summa cum iucunditate semper incumbunt, æternamq; diuini

Verbi

Verbi generationem ex Patre trementes collaudant, ad celebrandam eiusdem Verbi temporalem generationē ex Virgine matre nouum hoc canticum, ac cœleste melos à sacratissima Triade susceptum, atque in cœlesti choro prius probatum in Ecclesię chorum hoc sacro die decantandum inuexere. Hodie impletur veritas visionis illius, qua Iacob Patriarcha *in somnis vidit mirabilem illam scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* Gene*s.* 28. Ecce hodie per puerum IESVM in præsepio iacentem scala nobis in cœlum erigitur, per quam ascendere possimus: per illam Angeli ascendunt, & descendunt gloriam in altissimis Deo summo cum gaudio concinentes. Et quanquam in montanis Iudææ Angelica vox, hymnusque cœlestis primùm insonuit, adeò tamen dulciter, ac suauiter sonat in auribus Ecclesiæ, quod ex tempore Thelesphori noni Pontificis a Petro anno à Christo nato circiter centesimo trigesimo quarto alma mater Ecclesiæ hoc canticum exultanter suscepit Ille enim Pontifex Petri claues tenens ob deuotionem atque dulcedinem tanti mysterij nati Saluatoris instituit, vt eo die missæ sacrificium ter celebretur, atque Angelorum hymnus decantetur *Hymnus Angelorū à tempore Thelesphori Pontif. Ecclesiæ cōcinitur.*

Vt ergo canticum hoc cœleste explicemus, primum aduertere oportet, quod quanquam diuinum Verbum naturam Angelicam non assumpsit, sed humanam: & (vt Paul. ait ad Heb. 2) *non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit*; nihilominus tamen in Christi natiuitate lætātur, hymnumq; gloriæ concinunt multis de causis. Primò quidem, quia per hoc mysterium Angelorū ruina reparata est: sicut Christus Dominus dixit Matth. 22. *Erunt homines, sicut Angeli Dei* Deinde, quia ex hac reparatione, & hominū salute fœlicitas Angelorum accidētaliter est aucta: Tum ex conformitate cum diuina voluntate: Tum ex charitate, qua homines prosequūtur. Præterea, quia diuina gloria per hoc mysteriū fuit dilatata: Gloria (inquā) non essentialis, quā habet diuina Maiestas ex sui cognitione, & fruitione: sed gloriā accidentalis, quia per Christi natiuitatem exaltati sunt homines ad consortiū Angelo- *Hebr. 2. In Christi natiuitate multis de causis exultant Angeli. Matth. 22. Diuina gloria per Christi natiuitatē fuit aucta.*

Angelorum, ex quo diuina gloria fuit aucta extensiuè, quia pluribus communicata. Tum quia ante aduentum Christi soli Angeli dabant gloriam Deo in cœlesti beatitudine, postea tamen cœlesti ostio per Christum hominibus patefacto ab Angelis, & hominibus simul glorificatur Deus. Augetur ad hæc diuina gloria per hoc mysterium, quia ante illud ad Deum trinum, & vnum terminabatur Dei gloria, & adoratio. At nunc postquam *Verbum caro factum est*, non tantùm Deum trinum, & vnum adoramus, sed humanitatem quoque à Verbo assumptam, illique coexistentem: vt Paulus ad Hebr. 1. docet, dicens: *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ:* dicit: *Et adorent eum omnes Angeli Dei* Vnde sensus Angelici cantici est: gloria in altissimis Deo; nunc dabitur gloria Deo non tantùm in seipsô, sed etiam in altissimis, id est, in humanitate altissima Christi, & per vnionem Verbi super omnem creaturam exaltatâ.

Hebr. 1.

Iam verò, vt Angelici huius cantici verba proposita radicitùs explicemus, illud primò sese mihi offert, quod per Hieremiam Prophetam, cap. 2. dilecto populo suo duplicem stultitiam, atque inurbanitatem vehementer Dominus improperat, dicens: *Obstupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas: cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas* Christus fons est aquæ viuæ, à quo vita, & omnia bona deriuantur: sic enim dixit ipse, Ioan. 7. *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: hoc autem dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum* Et Ioan. 4. promisit Samaritanæ *aquam, quam, qui biberit, non sitiet in æternum: sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* Vnde sancta Ecclesia meritò dicitur *puteus aquarum viuentium*, Cant 4 habet enim Sacramenta; in quibus ad animarum sitim extinguendam haurimus *aquas de fontibus Saluatoris*, per Esaiam Prophetam, cap. 12 promissas. Bona verò temporalia cisternæ sunt, & quidem dissipatæ. Peccator igitur, dum contra legem Diuinam delinquit, duo mala agit (vt eleganter docet Angelicus Doctor, 1. 2. quæst. 87. art. 4)

Hierem. 2. *Christus verus fons aquæ viuæ.* *Ioan. 7.* *Ioan. 4.* *Cant. 4.* *In peccato duo mala inuoluuntur.*

Primò

Primò enim auertitur à Deo, incommutabili bono, fonteque aquæ viuæ. Secundò conuertitur ad commutabile bonum creaturarum, quæ verè cisternæ siccæ sunt, & dissipatæ. O stupendam impiorum hominum stultitiam! O deplorandam insaniam! Recessit filius iunior à paterna domo; vbi etiam mercenarij abundant panibus, vt porcos multo labore pasceret, & fame periret, vt Luc. 15. habetur; Ecce duo mala peccati ad viuum depicta: peccator enim à Deo recedit, illique gloriam denegat, deinde ad creaturas conuertitur. Ex misera conuersione in latrones incidit, atque in omnibus potentiis grauiter vulneratur: vt docet S. Thom. 1. 2. quæst. 85. art. 3. Hinc per culpam gloria Deo denegatur, multiplexq; bellum contra hominem insurgit: sicut per Esa. cap. 48 *Non est pax impijs, dicit Dominus.* Hæc ergo duo mala per peccatum illata, per Saluatoris nostri gloriosam natiuitatem restaurantur: *redditur enim gloria Deo in altissimis, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Id quod apertè videtur prædixisse Esa. cap. 40. *Consolamini, consolamini popule meus: dicit Deus vester. Loquimini ad cor Hierusalem, & aduocate eam, quoniam completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius, suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* O mirum Dei nostri misericordiam! Quid consequentiæ habet, vt pro duplici peccati damno, duplicia misericordiæ dona suscipiat? Atqui consequentia est diuini amoris, cuius vinculis de sinu Patris attractus est Dei filius in sinum Virginis matris. Vnde subdit Propheta: *Quia reuelabitur gloria Domini; & videbit omnis caro, quod os Domini loquutum est:* id est, Verbum in carne, ex cuius sanè natiuitate hæc duplicia dona suscepimus: nam, vt Paulus ait ad Roman. cap. 5. *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Ecce reuelata est gloria Domini; atque hominibus pax restituta: sicut Angeli Pastoribus concinunt.

tur, auersionis à Deo, & conuersionis ad creaturam. S. Thom. Luc. 15. S. Thom. Esa. 48. Esa 40. *Per Christi natiuitatē pro duplici malitia duplicia dona suscepimus.* Rom. 5.

Hæc est celebris illa benedictio, quam Iacob pellibus à matre Rebecca protectus à patre Isaac obtinuit: Vt enim vestimentorum illius fragrantiam sensit pater, dixit: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus: Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ* Gen. 27.

N terrâ

terra abundantiam, &c., Ecce verus Iacob Christus Dominus noster humanitatis pelle à Virgine matre protectus, benedictionem nobis obtinuit. Benedictionem (inquam) roris cœli, dum gloriam Patri reddidit: Et pinguedinis terræ, dum pacem terris inuexit. Hoc

Psal. 61. est, quod Dauid Psalm. 61. prædixerat: *Semel loquutus est Deus, duo hæc audiui: quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.* Per Verbum enim incarnatum diuinam omnipotentiam, simul & misericordiam cognouimus,

Ioan. 17. sicut Christus Dominus Ioan. 17. ait: *Pater ego te clarificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam: manifestaui nomen tuum hominibus.* Per opus siquidem passionis suæ, & redemptionis nostræ reconciliauit nos Patri, pacemque nobis reddidit, quod fuit opus summæ misericordiæ, & dum diuinæ iustitiæ per peccatum læsæ pretio sui sanguinis satisfecit, honorem, & gloriam diuinæ omnipotentiæ restituit: & hæc est claritas, de qua dicit: *Ego te clarificaui super terram, manifestaui nomen tuum* Gloria enim nihil aliud est, quam

Ambros. *S. Thom.* *clara notitia cum laude*: vt ex Diuo Ambrosio docet S. Thom. 1. 2. q. 2. art. 3. & 2. 2. q. 103 art. 1. ad 3. Ex hoc, quod

Gloria est clara notitia cum laude. testificamur de bonitate alicuius, clarificatur bonitas eius. Hinc beatitudo dicitur gloria; quia (vt Christus ait Ioann. 17.) *hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum*

Ioan. 17. *Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Vnde fit, vt gloria Dei optimi substantialis sit, quia per claram sui cognitionem seipsum comprehendit Angeli verò, & reliqui beati ciues participatiuè possident gloriam, id est, claram Dei notitiam, cuius bonitatem semper laudant:

Psal. 83. iuxta illud Psal 83 *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.*

Intellectus humanus per culpam obscuratus est, circa diuinorum cognitionem: Et quanquam per legem, aliquam sui cognitionem Deus hominibus impertierit,

Psal. 75. erat tamen *notus in Iudæa Deus* (vt dicitur Psalm 75.) *& in Israel magnum nomen eius* Et adhuc non apparebat illis clarè gloria Domini, sed obscurè, & in nube. Sic

1. Cor. 10. enim ait Paulus 1 ad Corinth. 10. *Patres nostri omnes sub nube fuerunt* Liber diuinæ gloriæ clausus erat, & signa-

Esa. 29. tus: sicut Esa. cap. 29. dixit: *Erit vobis visio omnium, sicut*

verba

verba libri signati. Vnde Apocal 5. flebat multum Ioannes, quoniam nemo dignus inuētus est aperire librum, nec videre eum; donec vidit agnum stantem tanquam occisum in medio throni, qui accepit de dextera sedentis in throno librū, & cum illum aperuisset, viginti quatuor seniores, & millia millium Angelorum, & omnis creatura dederunt honorem, & gloriam, & benedictionem sedenti in throno, & agno. Ipse est, qui in libro illo grandi (quem vidit Esa cap. 8.) scripsit diuinam gloriam stylo hominis, id est, manifesto, & claro, vt omnes possint legere, & intelligere: nunc enim intus legimus Dei omnipotentiam, & foris misericordiam. Verbum est manifestatiuum interioris conceptus. Vnde statim, vt Euangelista Ioannes dixit; *Verbum caro factum est*, & habitauit in nobis, subdit effectum inde consequutum: *& vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a Patre*, id est, quasi vnici hæredis omnium bonorum, & omnipotentiæ paternæ. Idemque confirmauit Euangelista testimonio Ioannis Baptistæ, dicentis: *Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Ille enim emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei syncera: vt Sap. 7. dicitur: *candor est lucis æternæ, & speculum sine macula (Dei maiestatis) & imago bonitatis illius:* quod Ioann explicuit, dicens: *Plenum gratia, & veritatis.* Et Paul ad Hebr. 1. *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Splendor primum est, quod à fulgente emittitur. Et sicut splendor manifestat lucem solis, ita Christus manifestauit gloriam Patris. Id quod in transfigurationis mysterio ostēsum est, Matth. 17. *dum splenduit facies eius sicut sol.* Vnde meritò canit Ecclesia: *Per incarnati Verbi mysterium noua mentis nostræ oculis lux tua claritatis infulsit.* Nam (vt docet Angelicus Doctor 3. p. q. 1. art. 1. ex Damasc lib 3 orthod. fidei cap. 1.) per incarnationis mysteriū monstratur simul bonitas, & sapiētia, & iustitia, & potentia Dei, vel virtus. Bonitas quidem, quoniā non despexit proprij plasmatis infirmitatē: quinimò vt summe bonus ineffabiliter sese diffudit, adeoq; amorem in humanū genus manifestauit, vt filium suum vnigenitum dederit. Sapientia verò manifestata est, tum in reformatione suæ imaginis, tum

Apoc. 5. *Esa. 8.* *Ioan 1.* *Sap. 7.* *Hebr 1.* *Christus splēdor est gloriæ Patris, quia manifestat ipsius gloriam.* *Matth. 17.* *S. Thom.* *Damasc.* *Per incarnationis mysterium manifestatis*

est bonitas diuina, sapientia, iustitia, & omnipotentia. quoniam inuenit difficillimi pretij decentissimam solutionem: Tum tertiò, dum carnis fragilitate Diuinam maiestatem, atque beatæ animæ gloriam abscondit, vt delusum Leuiathan hamo suæ diuinitatis extraheret: Impleretúrque ænigma illud, quod Dominus proposuit *Iob 40.* Iob c. 40 Iustitia quoq; innotuit, dum filius Dei *factus est nobis iustitia* (vt Paulus ait 1 ad Cor. 1.) Satisfecit enim *1. Cor. 1.* Patri de rigore iustitiæ: Quoniam homine victo non alio, quam homine fecit vinci tyrannum: neq; vi eripuit ex morte hominem, sed integrè persoluto pretio: ita vt *secundum mensuram delicti esset & plagarum modus*, vt *Deut. 25.* habetur Deut. 25.

Cæterùm diuina omnipotentia potius videtur occultata in Verbi carne, quam manifestata. Sic enim ait A- *Abacuc 3.* bacuc c 3 *Ibi abscondita est fortitudo eius* Verùm quan- *Diuina omnipotētia quāquam abscondita in carne Christi, nullo tamē medio potuit cōmodius manifestari.* quam sub velo carnis latuit diuina fortitudo, nullo tamē medio potuit commodius nobis diuina omnipotentia manifestari. Nunc enim pro statu viæ Diuina Maiestas nobis est inuisibilis: vt enim dixit ad Moysen, Exod. 33. *Exod. 33.* *Non videbit me homo, & viuet.* Verùm vnigenitus Patris homo factus nobis enarrauit Primò ipso incarnationis opere, quia nihil est maius, quam Deum fieri hominem. Secundò ostendit diuinam omnipotētiam in hoc, quod Beatissima Virgo in partu filij mãsit Virgo simul, & mater: sicut ei Angelus prædixerat, Luc 1. *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum* Tertiò, quia *dedit eis potestatem filios Dei fieri* (vt dicitur Ioan 1.) Quod diuinæ *Ioan. 1.* omnipotentiæ manifestum est testimoniũ Quartò clarificata est diuina omnipotentia in miraculorum operatione, quæ Dominus Iesus operabatur, tanquam potestatem habens: *Data est enim illi omnis potestas in cælo,* *Matth. 28.* *& in terra*, vt ipse dixit Matth 28. Discipulis quoq; *dedit potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarēt*, *Marci 6.* vt dicitur Marc 6 Eandem quoq; diuinam omnipotentiam manifestauit in institutione Sacramentorũ ad hominum iustificationem: & maximè Eucharistiæ: atq; in subiectione totius orbis, & vocatione ad fidem per Euangelij prædicationem.

Quintò tandem in sacra nocte Dominicæ natiuitatis plurima diuinæ omnipotentiæ, atque gloriæ signa claruere.

fuere. Creaturæ namq; omnes in ortu conditoris sui supra modum exultarunt: cœli, & cœlestia luminaria per nouum splendorem, aer per nouam claritatem, terra per nouam fœcunditatem, aqua in oleum Romæ conuersa est, in Hispania tres soles apparuere, qui ad vnum corpus solare redacti sunt: circulus aureus in ipso sole apparuit, in Oriente stella splẽduit, quæ Magos in Bethlehem deduxit, creaturæ irrationales Dominum agnoscunt: Pastores per Angelum admoniti ex pascuis adoratum veniunt: Angeli tãdem gloriam in excelsis Deo concinentes exultant. Quod si terrenos Principes, illorumq; natiuam patriam ex aulicorum, atque militum, qui illum comitantur, idiomate cognoscimus, Italusne sit, Hispanus, an Gallus: sic nimirum cœlestis Angelorum comitatus, illorumq; idioma, gloriosusq; concentus, & melodia, dum gloriam in excelsis Deo canunt, & in terra pacem hominibus nunciant, manifestum diuinæ omnipotentiæ testimonium perhibent. Id quod Abacuc Propheta mirabili suo cantico prædixit cap. 3. *Operuit cælos gloria eius, & laudis eius plena est terra: ibi absconditus est fortitudo eius.* Vtrumq; prædixit Propheta, & absconditam fortitudinem diuinam in carne: & per Angelorum laudem gloriam, claramq; Dei notitiam terris illatam. Laudemus igitur diuinam omnipotentiam pro tam immenso beneficio, illamque glorificemus, & cum sanctis Angelis perpetuò decantemus, non tantùm voce, sed corde, & opere, vt videant vniuersi *opera nostra bona, & glorificent Patrem nostrum, qui in cælis est*: vt Christus dixit Matth. 5. *In hoc enim apparuit gratia Dei Saluatoris nostri erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi*, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorum.

Amen.

Abacuc 3.

Matth. 5.

Ad Tit. 2.



IN EADEM NATIVITATE Domini Iesu,

CONCIO QVINTA.

De pace terris reddita.

THEMA.

In terra Pax hominibus bonæ voluntatis. Luc. 2.



RVDENS ille Dux Ioab, vt Absalon filium Regis Dauid ad patris gratiam reduceret, ilique pacem obtineret, mulieris Thecuitis sapientia, efficacique interuentu vsus est: sicque voti compos euasit, & Absalonem filium patri reconciliauit, desideratamque pacem illi obtinuit. Alma Dei genitrix clauem habet in sinu suo nostræ pacis, habet enim in vlnis suis filium, qui est *Princeps pacis*. Vt igitur de hac pace terris reddita, quam Angeli concinunt, dignè loqui valeamus, per ipsius interuentum gratiam, quæ radix est pacis, petamus dicentes: *Aue Maria.*

2. Reg. 14.

Euangelicus Propheta Esaias de fœlicissimo Saluatoris aduentu, de illius salutari doctrina, deque vniuersali, & mirabili pace per ipsum populis reddenda, cap. 2. Sic prædixit: *Erit in nouissimis diebus praparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes: & ibunt populi multi, & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, &c. Quia de Sion exibit lex, & Verbum Domini de Hierusalem: & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium.* Id quod quanquam de temporali pace à Propheta prædictum sit, & per Christi natiuitatem impletum: de spirituali quoq; pace animę vaticiniũ illud

Esa. 2.

Per natiuitatem Christi v.

illud commodissimè intelligitur: de qua Psaltes Regius Psal. 84. prædixerat: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacē in plebem suam.* Vbi Spiritu diuino afflatus Regius vates spiritualem pacem per Christum reddendam prædixit. Ipse enim Verbū est Patris, quod pacem loquitur: de qua Zach. prędixit, c. 9. *Loquetur pacem gentibus*, id est, recōciliationem, tranquillitatem cōscientiæ, & omnia deniq; prospera, spirituiq; fœlicissima nunciabit. Quæ Paulus ad Gal 5. fructus spiritus nuncupauit: qui ex ligno vitæ Christo Domino per Spiritum sanctum in Paradiso virginalis vteri plantato colliguntur. Inter quos pacem annumerat, charitatem, atq; gaudium in Spiritu sancto. De hac vniuersali pace per Saluatorē mundo reddenda prędixerat Regius vates Psal 71. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundātia pacis.* Esa. quoq; c 9 paruuli nostri natiuitatē prædicens inter cætera ipsius nomina dixit vocandum Principem pacis. Idem quoq; mysterium sub typo virgæ de radice Iesse c. 11. annuncians tantam pacem futuram prædixit, quod *habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit; Vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur: & puer paruulus minabit eos:* ac si dicat, omnes gentes quantumcunque variis moribus præditæ; Reges, & priuati, diuites, & pauperes, Iudęi, & Gentiles, superbi, & mites, rapaces, & iusti in vnum ouile Ecclesiæ congregabuntur: & qui prius tyranni erant, ac superbi, suscepto Euangelio mites, & humiles reddentur: sic Christus Dominus Luc. capite 10. dixit discipulis: *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* id quoque Beato Petro Apostolo in excessu mentis ostendit Dominus in illa animalium varietate, quæ magno linteo quatuor initiis de cœlo in terram submisso continebantur.

niuersalis pax, tam spiritualis, quam temporalis reddita est. *Psal 84.* *Zach. 9.* *Galat. 5.* *Psal. 71.* *Esa. 9.* *Esa. 11.* *Luc 10.* *Act. 10.*

Vt verò apertè videamus, quo pacto Princeps noster Iesus pacem de cœlo hominibus attulerit, operæpretium fuerit scire, quidnam sit pax, & quotuplex. Primùm quidem pax dicitur a pangendo, quod est coniungere, siue pactum facere, vnde pax nihil aliud est, quam quædam ordinata coniunctio aliquorum: quia verò ex tali debita, & ordinata coniunctione rerum resultat quies, & trāquillitas, ideò nomine causę effectui attributo, pax

N 4 diffini-

August. diffinitur ab Augustino, 19. de ciuit. cap. 13. ***Est tranquillitas ordinis.*** Augustinum secutus est Aquinas noster Thomas, 2. 2. quæst 29 art 1. ad secundum. ***Ordo autem est parium, dispariumq; rerum suum cuiq; locum tribuens suaui dispositio.*** Inde fit, vt vnaquæque res tamdiu pace, & tranquillitate fruatur, quamdiu disposita est, & locata in suo naturali ordine, sibi debito, & conuenienti. Per oppositum verò, quando res aliqua extra suum locum, & naturalem ordinem separata est turbatur pax, & tranquillitas. Sicut videmus in diuisione, vel disiunctione membrorum corporis naturalis, vsquequo membrum redeat in locum, & ordinem suum, dolor pacem tollit, naturalemque quietem. Idem prorsus inter elementa videmus, ex hoc enim, quod extra propriam sphæram egrediuntur, alienamque vsurpant, tempestates, terræmotus, tonitrua, & fulgura oriuntur In corpore quoque politico cuiuscumque humanæ Reipublicę, tam vrbis, quam regni, tam respectu sui, quam aliorum regnorum idem prorsus experimur Dum enim tam principes, quam subditi suum locum seruant, omnia sunt in pace: dum verò proprium locum excedentes aliena vsurpant, inde turbatur pax, & bella consurgunt. Bonum verò pacis adeò est amabile, quod ipsa etiam est finis belli; vt enim dixit Augustinus ex philosopho 10. Ethic. ***Bella gerimus, vt pacem habeamus.*** In humana similiter Republica idem prorsus inter spiritum, & carnem experimur.

Pax est tranquillitas ordinis.

S. Thom.

Pax multiplex est, naturalis, moralis, & aeterna.

Id quod, vt latius expendamus, aduertẽdum est, multiplicem esse pacem. Quædam enim est pax naturalis corporis, quæ resultat tum ex ordinata partium & mẽbrorum dispositione, tum ex temperata complexione, & conuenientia humorum. Secunda pax est moralis, scilicet, hominis ad seipsum, quæ sita est in conformitate appetitus sensitiui cum ratione. Tertia pax est politica ad alios homines, quę sita est in animorum concordia. Quarta pax est ad Deum, quam habet anima, quandiu ratio diuinæ legi per obedientiam subditur. Quinta tandem est pax illa ordinatissima, stabilis, atque ineffabilis, qua beati in suis mansionibus in cœlesti beatitudine iucundissimè perfruuntur. In statu quidem innocentiæ,

centiæ, in quo conditus est homo à Deo, quadruplici pace plenè fruebatur, post longam tandem vitam ad quintam pacem æternę beatitudinis transferendus. Cęterùm, statim vt à Deo recessit iniustus (vt dicitur Sap. 10.) per inobedientiam diuini præcepti omni pace priuatus est. Inuidia siquidem Diaboli, qui (vt Iudas Apostolus ait) *non seruauit suum principatum*, pace turbata *factum est prælium illud magnum in cælo*, de quo Apoc. 12. Inuidia(inquam) superbi, & bellicosi serpentis, illiusque suasu à diuina obedientia homo recessit, è paradisi domicilio pulsus est, omniq; pace priuatus. Inde morbi, & ægritudines corpus infestare, caro aduersus spiritum dimicare cœperunt: inde concordia fratrum, & pax ad Deum turbata est: templumq; pacis, & æternæ beatitudinis omnino clausum, illius ingressu perpetuo humano generi intercluso: sicut Gen 3. figuratum est, *dum collocauit Dominus Cherubin, & gladium versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Sap. 10. Iudas. Apoc. 12. Genes. 3.

Ad hanc igitur pacem tamdiu ab hominibus desideratam opportunè restituendam venit Iesus Princeps noster: sicut Ecclesia canit: *Pacem Deus reddidit in se reconcilians ima summis.* Id quoque docet Paulus Apostolus ad Roman. 5. *Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius.* Magno sanè pretio, nempe sanguine, & vita Christi pax nostra comparata est. Id quod Esa. eleganter, atque lugubriter prædixit, cap. 53. *Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus.* Idem quoque in arca Noe apertè figuratum est: super quam aquæ diluuij descenderunt. vt genus humanum seruaretur, vt habetur Genes. 7 idque Dominus per Esa. cap. 54. dixit: *In misericordia sempiterna misertus sum tui, dicit Redemptor tuus Dominus, sicut in diebus Noe istud mihi est, cui iuraui, ne inducerem diluuij aquas vltra super terram.* Psalm. 68. Regius Propheta quasi id explicans in persona Christi sic ait: *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam: veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Christus quoque Dominus noster, tanquam pacis instaurator, postquam à mortuis resurrexit, veluti columba, quæ in signum finitæ tempestatis, cessantisque diluuij ramum oliuæ pacis, Rom 5. Esa. 53. Genes. 7. Esa 54. Psal. 68. *Columba ramum oliuæ deferens typus*

fuit pacis per Christum delata. cis, & serenitatis insigne detulit Noe, stans in medio discipulorum suorum dixit: *pax vobis*: ac si diceret, mihi crux, tribulatio, tristitia, opprobrium, bellum, ac tandem omnis disciplina, & afflictio, vobis verò pax, salus,
Ioan 20. vita, & omne bonum. Id quoque in minimo filio Iacob binomio figuratum est, qui à matre Rachel Benoni dictus est, filius doloris, à Patre verò Iacob Beniamin
Genes. 35. appellatus: vt habetur Genes. 35. Dominus enim Iesus in passione sua verus Benoni, id est, filius doloris fuit: siquidem *languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*: vt Esa. c. 53. vaticinatus est: *& disciplina pacis no-*
Esai 53. *stra super eum.* In resurrectione verò verus Beniamin, id est filius dextræ ostensus est, sic enim ipse de se ait
Psal. 117. Psalm. 117. *dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: dextera Domini fecit virtutem.* Qua geminatione plena, atque perfecta pax per Christum nobis reddita, ipsiusque gloria, & exaltatio significantur. Ipse quoque Dominus arcus ille est positus à Deo
Genes 9. in nubibus cœli in signum fœderis, & pacis: sicut vidit
Apoc. 10. Ioannes Apocal. 10. Cum vidit Angelum fortem descendentem de cœlo amictum nube, & Iris in capite: & facies eius vt Sol. Dominus enim nube carnis in vtero sacræ Virginis amictus est: in cruce verò Iris, & arcus pacis nostræ fuit super caput eius.

Zacha. 9. Ecce impletum est Zachariæ vaticinium, cap 9 *loquetur pacem gentibus*: dumque infans tacet, Angeli pro illo pacem loquuntur, & concinunt: *in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: id est, non ex meritis hominum, sed ex bona Dei voluntate. Hodie siquidem nato Christo pax vera de cœlo descendit, quæ humana diuinis indissolubili fœdere copulauit. Vt enim ait Paulus 2.
2. Corin. 5. ad Corinth 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians*
Ephes 2. *sibi.* Et ad Ephes cap 2. *ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, vt reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso: & veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem iis, qui prope* Hæc pax hæreditas est, quam iamiam moriturus Redemptor noster nobis testamento reliquit Ioan. cap. 14. dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.*
Ioan. 14. *Non quomodo mundus dat, ego do vobis*, id est non fictam,

sicut

ficut mundus dare solet dicens *pax pax*, *& non erat pax*, vt habetur Ezechiel. 13. Et Esai. 48. *Non est pax impiis, dicit Dominus*: sed veram pacem, firmam, atque stabilem, & plenam vobis relinquo: non per bella, nec per effusionem alieni sanguinis conquisitam; sed meo sanguine partam. Sicut Paulus ad Colos. 1 docet: *Pacificans per sanguinem suum siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt.* Eaque ratione Dominus Matth. 5. Pacificos, qui ipsius munus imitantur beatos, filiosque Dei nuncupauit. Quos præuidens euangelicus Propheta capite 52. dixit: *quàm pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem*, sicut Paulus ad Rom. 10. de Euangelicis prædicatoribus explicuit. Pro hac tandem pace orauit Patrem Ioan. 17. *Pater sancte serua eos, vt sint vnum, sicut & nos.* Ab hac Christi oratione, & pretioso ipsius sanguine pendet securitas totius pacis nostræ.

Ezech. 13. *Esa. 48.* *Colos. 1.* *Matth 5.* *Esai. 52.* *Ioan. 17.*

Si tamen quæras, quomodo plena pax per Christum nobis allata est, siquidem pacem naturalem infirmitates, & morbi adhuc perturbant, moralem pugna inter spiritum, & carnem, politicam dissidia, discordiæ, atque litigia inter homines violant: pacem verò ad Deum omnia peccata tollunt? Respondetur quòd principalis pax, quæ est inter Deum, & homines per Christum nobis reddita est. Non tamen vult Dominus, vt integra pace, & tranquillitate in præsenti vita fruamur vsq; ad generalem resurrectionem: quin potiùs voluit, vt manerēt in nobis infirmitates, & morbi, naturalesque motus appetitus, & passiones ad exercitium virtutis, & gratiæ: vtque sint nobis occasiones, & instrumenta merendi: quia si nulla esset pugna, nulla vtiq; esset victoria: Cessarentque media, quibus martyres, virgines, & confessores coronas iustitiæ adepti sunt: atq; ea ratione, (vt Augustinus docet 1 de ciu. c. 1. & 9 *permittit Deus tyrannos, & impios, vt iusti exerceantur.* Deinde si per baptismum radicitus tollerentur omnes passiones appetitus, tolleretur pariter, & omnis occasio meriti; & (vt Augustinus ait. 13. de Ciuit. capite 13.) omnes currerent ad baptismum, non propter vitam ęternam, sed vt vitarent morbos, & præsentia mala, paceque temporali fruerentur.

Pax præcipua per Christum illata est inter Deū, & homines. *August.* *August.*

Veram tamen, & æternam pacem nobis quidem Christus attulit, seruat tamen illam nobis reddendam integram, atque vndique perfectam in cœlesti beatitudine post vniuersalem resurrectionem. De qua prædixit Euangelicus Propheta, cap te 32. *Erit opus iustitiæ pax.* Ecce pax nunc nobis per Christum data, & de futura in sempiternum pace subdit: *& securitas vsque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Regius quoque vates Psalm. 147. de eadem æterna pace cecinit: *Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion. Quoniam confortauit seras portarum tuarum.* Quibus verbis pacem militanti Ecclesiæ datam explicuit; Per portas enim baptismum & fidem intelligit; Deinde verò de pace futura in æterna beatitudine subdit: *Qui posuit fines tuos pacem.* Laudemus igitur diuinam bonitatem, qui per Iesum Principem pacis pacem bonæ voluntatis nobis concessit: deprecemurque vt bonam voluntatem nobis communicet per charitatem, per quam habeamus pacem ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum. Imò si fieri potest cum omnibus hominibus (quod ex nobis est) pacem habeamus: vt Deus pacis, & dilectionis sit nobiscum nunc per gratiam: & in futuro per sempiternam pacem gloriæ.
Amen.

Esa. 32. *Psal 147.* *Rom. 5.*



IN

IN EADEM SOLENNITATE Natiuitatis Domini,

CONCIO SEXTA.

De Christi Natiuitate pastoribus reuelata.

THEMA.

Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc Verbum, quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis. Luc.2.



OELESTIS illa Bethlehem, vbi Princeps noster Iesus sine tempore ex Patre nascitur, mater nostra est, domus est panis, vbi in mensa dominorum panis substãtialis proponitur, qui beatos efficit, qui illum manducant: ibi cisterna est *aquæ salientis in vitam æternam*: Vt verbum, quod factum est, cum Pastoribus videre possimus, & illius dulcissimo aspectu frui, oportet desiderare, vt saturemur *de micis, quæ cadunt de mensa dominorum*. Inde enim micæ cadunt gratiæ, inde stillæ, & guttæ gratiæ descendunt, quæ nos reficiunt. Has micas, & guttas Bethlehem cum Pastoribus desideremus, ac per intercessionem almæ Virginis petamus, dicentes: *Aue Maria.*

Fœlicissimi pastores natiuitatis mysterium per Angelum admoniti primi cognouere, illiusque videndi desiderio venerunt in Bethlehem festinantes; atque post Virginem sacram; & Ioseph primi fuere testes oculati, qui cognouerunt hoc mysterium, & adorauerunt Dominum positum in præsepio. Quod verò tãtum donum pastoribus de cœlo primum communicatum sit, supposita diuinæ voluntatis ordinatione, multis fuit rationibus consentaneum. Primùm, quia statim vt agnus nascitur,

Pastores primi fuere testes natiuitatis Saluatoris.

tur, à pastore foueri solet, atq; vberibus matris adaptatur. Christus Iesus agnus est adeò desideratus, & per Esa. c. 16. postulatus: *Emitte agnum Domine dominatorem terræ: Agnus est, qui coram tondente se obmutuit. Qui quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam*: Et tandem agnus est, per Ioannem Baptistam mundo manifestatus, *qui tollit peccata mundi.* Secundò redemptor noster pastor ille est a Patre per Prophetas promissus, per Ezechi. cap. 34 *Dabo vobis pastorem.* Et cap. 37. *suscitabo super eos pastorem.* Per Zachar quoque cap. 11 & 13. pastor nuncupatur: *Pastor vnus erit.* Et per regium vatem: *Nos populus eius, & oues pascua eius.* Ille verus pastor est animarum nostrarum, qui in hoc natus est, vt perditam ouem quærat, super humeros imponat gaudens, & ad cœlestem caulam reducat. Vnde Ioan. 10 de se Dominus ait: *Ego sum Pastor bonus, qui animam meam pono pro ouibus meis.* Similiter Petrus Apostolus pastorem illum vocat: *conuersi estis ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum:* & iterùm: *Cum apparuerit princeps pastorum.* Ille veri pastoris munera plenè compleuit: siquidem fideles oues à lupis liberauit, suo sanguine curauit, vitam pro illis exposuit, doctrina pauit, sacramentis refecit, Petrum Vicarium pastorem instituit Ioan. 21. dicens: *Pasce oues meas:* ac tandem in beatitudine æternæ vitæ pascua præparauit.

Esai 16. Christus agnus est. Esa. 53. Ioan 1. Christus Pastor est. Ezech 34. & 37. Zachar. 11. & 13. Psal. 78. Ioan. 10. 1. Petr. 2. 1. Petr. 3. Ioan 21.

Quare voluit Dominus in sanctis illis pastoribus præsignari, quos ex pastoribus in Principes populi sui elegit: Abel siquidem pastor fuit, Iacob, Ioseph; Moyses, atque Dauid, quem de post fœtantes accepit, atque in Regem Israel exaltauit. Ecce nunc videmus verum nostrũ Ioseph à Patre missum ad fratres suos pastores pascentes gregem in Sichẽ, id est, in defectione, vere enim post peccatum mundus diuina gratia priuatus in defectione erat. Imò & per Cyrum Persarum, & Medorum Regem Astiagis Regis nepotem Dominus præfigurari voluit; ille siquidem in nemora proiectus à pastore educatus pastor fuit ouium, vt tradit Herodotus. Postea verò in Regem Persarum, & Medorum sublimatus est. Ille populũ Israel de Babylonica seruitute in libertatem asseruit: vt habetur li. 1. Esdræ. Sic euangelicus Propheta pastorem illum

Christus per Moysen, Dauid & Cyrum pastores præsignatus. Herodot.

Illum vocat c. 44. *qui dico Cyro, pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis* Et statim c. 45. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius gentes, & dorsa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & porta non claudentur* Is enim Cyrus quatenus populum Israel liberauit de captiuitate, templumque iussit restitui, typum Christi gessit. Ecce verus Moyses pastor nobis natus est, qui oues ex Ægyptiaca seruitute, diaboli (inquam) potestate in libertatem filiorum Dei transtulit, per desertum vitæ præsentis duxit, atque manna de cœlo pauit, dum sacræ Eucharistiæ sacramento refecit Verus est pastor Dauid, qui pro suarum ouium protectione leonem, & vrsum interfecit, insolentem Goliath quinque lapidibus vulnerum suorum deuicit: sicut & ipse pastor, & rex bucolico stylo Psalmum. 22 Propheticum de Christi pastorali munere cecinit dicens: *Dominus regit me*, siue pascit me, siue pastor meus est: *Nihil mihi deerit, in loco pascua ibi me collocauit.* Qui aqua baptismi lauit, genuit, educauit, *animam meam conuertit. Deduxit me per semitas iustitia*, virga dirigit, baculo consolatur. mensam altaris in conspectu nostro parauit, calice inebriat, oleo misericordiæ, & charitatis impinguat: omnia denique pastoris munia summa cum pietate cũctis diebus exequitur.

Esa. 44. & 45.

Psal. 22.

Præterea voluit Dominus Iesus primùm pastoribus apparere, quia simplicibus reuelat mysteria cœlestia, sicut ipse Dominus æterno Patri gratias agens Matth. 11. ait: *Confiteor tibi pater Domine cœli & terra, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Apostolos quoque docuit esse *prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbas.* Hanc simplicitatem Christus infans in præsepio collocatus nos edocet, ipsiusque Vicarius Petrus Apostolus similiter instruit: *sicut modò geniti infantes rationabiles, & sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem.*

Simplicibus reuelat, Dominus mysteria cœlestia.

Matth. 11.

1. Petri. 2.

Vitam deinde solitariam honorificare dignatus est Dominus, dum illis primùm apparet, qui solitariam regionem incolebant. In solitudine enim cathedram habet Spiritus sanctus, vbi cœlesti sapientia replet eos, qui populi tumultus fugiunt. Sic per Oseam cap. 2. ait Dominus:

Vitam solitariam honorificauit Christus natus.

Ose. 2. minus: ***Ecce ego lactabo eam, & ducam in solitudinem, & loquar ad cor eius:*** ibi, ***loquitur pacem in plebem suam:*** vt
Psal. 84. Dauid dixit Psalm. 84. ***& in eos, qui conuertuntur ad cor.*** Hinc Psalm. 54 anxiè petebat; ***Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine*** Iacob in solitudine cum An-
Gen 32. gelo luctatus benedictionem obtinuit Et (vt Ose c.12.
Ose. 12. ait) ***inualuit ad Angelum, & confortatus est.***

Quartò denique in his pastoribus figurati sunt Apostoli, Episcopi, atque Doctores Ecclesiæ, qui pastorum munere funguntur, atque adeò primitias spiritus acceperunt. Neque caret mysterio, quod Luc. Euangelista de his pastoribus dixit; ***quod erant vigilantes, & vigilias noctu custodientes super gregem suum*** Nam vt Prouerb. 8. dicitur: ***Qui manè vigilauerint ad me, inuenient me, & beatus, qui vigilat ad fores meas.*** Vnde Paulus Apostolus ad Romanos, cap. 12 ait: ***Qui præest in solicitudine*** Illud quoque maxima consideratione dignum est, quod statim, vt pastores nouum nuncium ab Angelo audierunt; statim festinantes surgunt, & veniunt in Bethlehem; vt veritatem inquirant: ***Transeamus*** (inquiunt) ***in Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est.*** Paci namque Ecclesiæ maximè necessarium est, vt quæcunq; nouitas, & maximè doctrinæ; Prælatos, atque Doctores Ecclesiæ solicitos reddat, vt veram, & sanam doctrinam in Ecclesia conseruent, principiisque falsorum dogmatum tota virtute obstent: ne serò medicina parata Ecclesiæ pacem interturbet Sicut Act. 15. exorta noua hæresi ***conuenerunt Apostoli, & seniores videre de verbo hoc,*** & Paulus 1. ad Tim. 6. ***O Timothee depositum custodi deuitans prophanas vocum nouitates.*** Plato docuit nouos cantus in rep. nulla ratione admittendos: ne aures nouitati cantus assuefactę falsorum dogmatum nouitatem non perhorrescant: imò facilè admittant. Pythagoras quoque nouas vias aperire omninò vetuit. Ipsum quoque nomen nouitatis nos aduertere facit, quantum illam vitare debeamus: Nouitas enim id videtur sonare, quod non veritas.

Pastores Ecclesiæ vigilare tenentur. Prouer. 8. Rom. 12.

Prælati nouitati doctrinæ opportunū remedium adhibere tenentur.

Sancti ergo pastores nos edocent, vt soliciti quæramus puerum Iesum. ***Transeamus*** (inquiunt) ***in Bethlehem:***

hem. Bethlehem domus panis interpretatur: in præsepio Bethlehemitico verus panis est vitæ, qui verè satiat: quem Virgo Dei genitrix quasi nauis institoris de longè nobis portauit. *Asser est*, id est, beatus, *panis pinguis, qui prabet delicias regibus* Ipse enim de se ait, Ioan. capite 6. *Ego sum panis viuus qui de cælo descendi.* Huius sacri panis pinguedo in cruce expressa est, & in sacra Eucharistia à dignè sumentibus degustatur: De qua Regius vates dixit: *Ex adipe frumenti satiat te.* Non solùm autem domus panis est Bethlehem, sed cisternam continet aquæ viuæ, quam optauit Dauid 2 Reg 23. potum illius desiderans. Quare Esai. cap. 55 ad aquas. & panem inuitat, dicens: *Omnes sitientes, &c. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra.*

Apud Bethlehem verus panis vita inuenitur.

Prouer. 11.
Genes. 49.
Ioan 6.
Psal. 147
Esa. 55.

Vt igitur in domo illa cœlesti panem hunc manducare mereamur, opus est, vt nunc cum pastoribus *transeamus vsque ad Bethlehem*; transeamus (inquam) à cognitione naturali ad cognitionem fidei quia mysterium hoc augustius est, atque omnem rationem humanam transcendens; Videre infantem positum in præsepio, & illum verum Deum credere: difficilis quidem transitus, sed per fidem facilis: vt Hilarius super Matth. capite 19. docet, & Ambros. super Luc. cap. 8 Hic transitus nobis significatus est, Exod. cap 12. in ritu comedendi agnum, comedebatur enim cum baculis in manibus, & festinanter. erat enim *phase*, id est, *transitus Domini.* Fidei namque mysteria reuerenter, & cum baculo fidei suscipienda sunt, neque oportet illa perscrutari: *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria*; vt dicitur Prouer. 25. Idem quoque significatum est in transitu maris rubri, Exod. 14. sicut docet Paulus 1 ad Corinth. 10. *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, omnes mare transierunt* Atq; post transitum subditur: *Timuit populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moysi seruo eius* Dominus quidem Iesus mare est secundum diuinam naturam: de quo intelligitur ænigma illud, Iob cap 38. propositum: *Quis conclusit ostiis mare, quãdo erumpebat quasi de vulua procedens?* In die enim Incarnationis intra ostia virginalis

Vt Christum videre possimus, transire oportet à cognitione naturali ad cognitionem fidei.
Hilarius.
Ambros.
Exod 12.
Prou. 25.
Exod. 14.
1. Cor. 10.
Iob 38.

vteri Verbum diuinum conclusum est, in die verò natiuitatis ex eodem sacro vtero processit. Mare est, à quo flumina gratiarum exeunt, atque in ipsum reuertuntur. Mare verò rubrum per sanguinem pro nobis effusum: Vt Augustinus explicat in Num. q.13. & Hieronymus in Esa cap.63. *Quare rubrum est vestimentum tuum?* In hoc mari rubro Ægyptij, & Pharao, id est, Diabolus, & infideles vndis inuoluuntur, & suffocantur: Israelitæ verò, id est, fideles Deum per fidem videntes sicco pede in terram Promissionis transeunt Aquas quoque Iordanis transit fidelis populus sequens arcam Domini: vt habetur Iosue 3. Impleturque Diuina promissio facta per Esaiam cap 43. *Cùm transieris per aquas, flumina non operient te.*

Eccl. 1. *August.* *Hieron.* *Iosue 3.* *Esa. 43.*

Transeamus ergo cum Pastoribus vsque Bethlehem, & videamus hoc Verbum, quod factum est. Verbum (inquam) illud, quod cum sit Patri æquale, & consubstantiale, per quod omnia facta sunt, propter nos homines caro factum est: id est, quod secundum diuinam naturam genitum est, non factum: secundum humanam naturam factum est, & humana carne indutum: &, vt Paulus ait ad Philip. 2. *Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus.* Videamus attentis mentis oculis Verbum hoc factum, id est, quod factis, & operibus adeò efficax est, quod *ipse dixit, & facta sunt:* Tum etiam, quia non tantùm verbis nos edocet, sed factis, & exemplis instruit: sic enim dicitur Act 1. *Cœpit Iesus facere, & docere.* In præsepio infans factis loquitur; Ipsaque re, & opere primariæ cathedræ possessionem apprehendit, primamque humilitatis lectionem facto nos edocet, quasi dicens: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Ecce facto docet, quod verbis postea dixit Luc. cap. 8. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* O animarum nostrarum amor, vita, & reparator! O cœlestium diuitiarum hæres! O Rex gloriæ, cœlestiumque Spirituum Princeps! quid hoc, quod nascenti deest cuna, viuenti domus, morienti lectus, mortuo sepulchrum? Atqui Verbum est, quod factum

Christus Verbũ factum est secundum humanam naturam, secundum efficaciam, & exemplum. *Phil. 2.* *Psal. 148.* *Act. 1.* *Matth. 11.* *Luc. 8.*

ctum est: quod facto nos edocet amorem suum in nos, atque humilitatis exemplum. Sic enim ait Paulus 2. ad Corinth. 8. *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quo niam propter vos egenus factus est, cum esset diues: vt illius inopia vos diuites essetis.* *Moyses, vt videret mysterium rubi ardentis, transiuit in interiora deserti, dicens: Vadam, & videbo visionem hanc magnam. Cernens autem Dominus, quod pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi,* præcepitque, vt calceamenta de pedibus solueret, priusquam accederet: quo loco docemur, vt sine terrenis affectibus, qui per calceamenta significantur, nudo pede per mundi renunciationem, nostrique abnegationem, viuo spiritu, tranquillo animo ad tanti mysterij meditationem, atque intuitum transeamus. Oportet quoque spinas tribulationum calcare, constanti pectore transire per imitationem Christi: semperque vltra per amorem, & desiderium illius cœlestis Bethlehem progredi; ex lecto culpæ, atque deliciarum surgere, & cum sponsa vigiles pertransire, id est, Doctorum Ecclesiæ doctrinam, iustorumque vigilias, & exempla imitari. Tunc enim inueniemus, quem diligit anima nostra, tenebimus eum, nec dimittemus. Tunc plenè *videbimus eum, sicuti est* in cœlesti Bethlehem, vbi substantiali pane refecti satiabimur, cum apparuerit gloria ipsius, ad quam nos perducat ipse Iesus Christus Dominus noster. Amen.

2. Cor. 8. *Exod. 3.* *Cant. 3.* *Ioan. 1.*



IN EADEM SOLENNITATE Natiuitatis Domini,

CONCIO SEPTIMA.

De vnione carnis nostræ cum Verbo.

THEMA.

Verbum caro factum est. Ioan. I.



FAVSTVS nobis dies illuxit, quo Dei filius factus est filius hominis, vt filios hominum efficiat filios Dei; sic enim Ioannes ait: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Et Paulus ad Galat. 4. *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Hæc adoptio cōfertur per fidem his, qui credunt in nomine eius: perficitur verò per gratiam, quæ diuinæ nos efficit consortes naturæ. Hoc ergo cœleste munus, per quod renascimur in filios Dei, per Virginem matrem petamus, dicentes: *Aue Maria.*

Ioan. I.

Galat. 4.

Sacrum Dominicæ natiuitatis mysterium adeò est mirabile, adeoque ineffabile, vt nulla lingua etiam Angelorum illud explicare sufficiat. Quinimò in illius contemplatione impeditur, & retardatur. Cùm Moyses in typo flammæ ardētis in rubo huius mysterij vmbram cognouit, legationem Domini fugiebat, impeditioris, & tardioris linguæ seipsum confessus, ex quo Dominum in rubo loquentem audiuit, Exodi cap. 4. Quare sacra mater Ecclesia omnium linguas inuitat tam hominum, quam Angelorum, vt multis explicetur, quod nulla per se satis eloqui potest, neque Ecclesiæ desiderio satisfacere. Multa quidem Sibyllæ de hac natiuitate prædixere. Balaam quoque Propheta, Nume. 24 stellam orituram prædixit. Plato in Phædro inducit senem Atheniensem dicentem, quod cum Deus naturam humanam susce-

Exod. 4.

Natiuitatis mysterium adeò ineffabile, vt nulla lingua satis explicari valeat.

Num. 24.

Plato.

susceperit, tunc superbos de sede deturbabit, & humiles exaltabit. In palatio Romuliano statua Romuli aurea cecidit, & confracta est eo die, quo Christus est natus: habebatque hanc inscriptionem: *Cùm Virgo pepererit.* In Hispania visi sunt tres soles in vnum coniungi Romę in regione Transtyberina fons olei dicitur erupisse, qui per diem integrum manauit, eum indicans esse natum, cuius nomen est *Oleum effusum* Apollinis Pythij oraculum obmutuit, neque potuit respondere Augusto, teste Nicephoro lib. 1. sacræ historiæ. Quæsitumq; cur non responderet, dixit: *Tempore nati Saluatoris plura prodigia visa.* *Niceph.*

Me puer Hebræus diuos Deus ipse gubernans
Cedere sede iubet, tristemq; redire sub Orcum.

Tunc Augustus aram dicauit primogenito Dei. Eodem quoque die, quo Christus natus est, Iris apparuit in cœlo sereno, Authore Orosio lib. 6. cap 18. Atque intra circulum apparuit Virgo infantē gestans in vlnis: quam digito monstrans Sibylla Tyberina vetuit diuinos honores Octauiano deferri, qui infanti ab vbere pendenti debebantur. *Orosius.*

Meritò Ecclesia ad tanti Principis natiuitatem celebrādam, cuius ortum tot prodigia, totque oracula prædixere, nunc omnium linguas conuocat, vt sacram natiuitatem concelebrent. Sic Regium vatem inducit dicentem Psal. 18. *Ipse tanquam sponsus procedens de Thalamo suo:* & Psalm. 86. *Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.* Similiter Euangelicum Prophetam inducit, capite 9. dicentem: *Paruulus natus est nobis & filius datus est nobis.* Deinde pastores interrogat: *Quem vidistis pastores dicite: annunciate nobis in terris, quis apparuit?* Illi verò quanquam respondent, *natum vidimus*, quis tamen is natus sit, Angelorum choro remittunt: *natum* (inquiunt) *vidimus, & choros Angelorum collaudantes Dominum.* At quanquam Angeli natum Saluatorem pastoribus annunciant, gloriamque in altissimis illi concinunt, quis tamen sit ille Saluator, non explicant. Quare maiorem lucem huius mysterij optans Ecclesia ipsum puerum Iesum deprecatur, dicēs: *Veni Redemptor gentium, ostende partum Virginis.* Ipse verò Redemptor videtur dilecto Ioanni ob puritatis, at- *Psal. 18.* *Psal. 86.* *Esa. 9.*

que virginitatis priuilegium munus hoc reseruasse, vt nati Saluatoris substantiam, atque dignitatem plenè doceret Ecclesiam. Ille siquidem *Aquila illa est magnarum alarum, quæ venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri*, vt habetur Ezech. 17. In hoc enim mysterio *Cedrus alta Libani*, (vt Ecclesia canit) *conformatur hyssopo:* cum diuinæ naturæ celsitudo humilitati humanæ vnita est Sacram hanc vnionem explicat noster Euangelista, dicens: *Verbum caro factum est* Hæc est, quam vidit Ezech. capite 1. sub typo, atque specie electri. Electrum enim (vt Gregorius explicat) ex auro, & argento conflatur: ex qua conflatione argentum ad auri valorem ascēdit: sicut & humana natura ad esse diuinum per hanc sacram vnionem exaltata est. De hac duplici filij Dei natiuitate intelligo illud Psalm. 61 *Semel loquutus est Deus: duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia* Vnicum sanè verbum est, quod Pater æternus loquitur, vt dicitur Psalm. 44. *Eructauit cor meum verbum bonum.* Duplici verò natiuitate oritur: æterna quidem ex Patre, quę omnem Patris potestatem exhaurit: temporali verò ex matre, quę plena est misericordia. Quare sacer Euangelista Ioannęs antequam ad secundam temporalem generationem Verbi descenderet, prius æternam explicuit: sublimique volatu ad ipsum Patris cor aquila nostra aduolans inde Verbi cognitionem in Ecclesiam deduxit, dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Et postea subdit: *Et Verbum caro factum est.* Simili modo Euangelicus Propheta (vt acutè adnotauit Eusebius libr. 7. de demonstratione Euangelica, capite 1.) antequam cap. 7. explicaret temporalem Verbi natiuitatem ex Virgine, dicens: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*; prius naturæ diuinæ maiestatem explicuit capite 6 dicens: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & plena erat omnis terra maiestate eius. Sex alæ vni, & sex alæ alteri; duabus velabant faciem eius, & duabus volabant Et clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.* Augustinus quæst 88. in quæstionibus veteris Testamenti quærit, cur Esa. viderit Dominum sedētem,

Ezech. 17. *Cedrus alta Libani* *Christi natiuitas, æterna & temporalis explicatur.* *Ezech. 1.* *Gregor.* *Psal. 61.* *Euseb.* *Esa. 7.* *Esa. 6.* *August.*

Stepha-

Stephanus verò viderit Iesum stantem? Ea nimirum ratione, quia ante hoc mysterium sedebat Dominus in sede Maiestatis suæ, & super Cherubim, vt Dauid dixit in Psalm. 79. tunc quasi in cœlo latebat, & ad auxilium nostrum moras agebat: nunc autem Deus homo factus *prope est omnibus inuocantibus eum*: ideò stantem vidit Stephanus, & quasi ad auxilium præparatum. Atque iterum idem Propheta cap. 53. cum diuinitatis naturam ineffabilem prædixisset: *Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini, cui reuelatum est?* Vbi per brachium, quod capiti, à quo procedit, est vnitum, Verbum intellexit à Patre procedens ipsique consubstantiale, ipsius potentiam, atque virtutem: Tunc de temporali generatione subdit, dicens: *Et ascendet, sicut virgultum, coram eo, & sicut radix de terra sitienti.* Id quod 70. transtulere: *Ascendet sicut puer paruulus sugens vbera coram eo* Sic nunc sacer noster Euangelista Ioannes Saluatoris temporalem natiuitatẽ explicaturus, prius æternam illius generationem asseruit: vt opposita iuxta se posita magis elucescant. Sicut & Paul. ad Phil. 2. dixit: *Cùm in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit.* Ipsius maiestatem ex multis comprobat: Tum ex eadem substantia cum Patre, est enim verus *Deus, vita*, & *lux*. Tum ex potentia operatiua, quia *omnia per ipsum facta sunt*. Deinde, quia potestatem in mundum inuexit, vt fideles fiant filij Dei, Tunc de temporali Verbi generatione dixit: *Vebum caro factum est.* Post visionem siquidem Diuinæ essentiæ nil ita glorificat Deum, atq; mysterium temporalis huius generationis. Imò videtur quadã tenus ratione cum illa æterna contendere: in illa enim Verbum nascitur æternaliter in eadem essentia cum Patre, distinctus tamẽ in persona: in hac nascitur temporaliter ex matre, in duplici quidem natura, sed vna persona: ibi ex Patre sine matre, hîc ex matre sine Patre: ibi sine iactura potestatis Patris, hîc sine corruptione integritatis matris, illic procedit sicut lumen de lumine, hîc sicut radius de sidere, illic mutuus amor, hîc dicit Virgo *dilectus meus mihi, & ego illi*, vt habetur Cant 2.

Esa. 53.

Hanc ergo duplicem Verbi generationem descripsit nobis sacer Euangelista, dicens: *Verbum caro factum est:*

Chrysost.
August.
vbi Verbum factum non dicit transmutationem, vt adnotauit Chrysostom. sed veræ carnis assumptionem. Id quod August. 1. de Trin explicuit: sicut verbum mentis dicitur fieri vox non quia mutatur in vocem, sed quia vnitur voci, & quasi induitur illa: sic de diuino verbo dixit Paulus, ad Philip 2. *Qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo* Cùm verò Ioannes dicit, Verbum factum carnem, vox, caro, totum hominem dicit, vt adnotauit August contra serm Arria. sic enim habetur sæpe in Scriptura sacra, vt Psal 64. *Ad te omnis caro veniet*, id est, omnis homo Similiter Esa 40. *Videbit omnis caro salutare Dei.* & Ioelis 2. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem*
Philip. 2.
August.
Psal 64.
Esa 40.
Iocl. 2.

Iam verò celebris illa quæstio sese nobis offert, cur potius sacer Euangelista dixerit, caro factum est, quam anima, cum hæc potior pars sit humani cõpositi, quam caro? Cui quæstioni respondetur primò, quod ea voce vsus est Euangelista, quæ humilitatem Christi nobis magis commendaret. Carnis enim nomine corruptio, vilitas, & abiectio humanæ naturæ designantur: vt enim dicitur, Genes 6. *Omnis caro corruperat viam suam* Quare meritò Esa. cap 40. dixit: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos fœni* Dum igitur Euangelista dicit, Verbum carnem factum, idem asserit, quod Apostolus 1. ad Corinth. 1. dixit: *Infirma, ignobilia, & contemptibilia mundi elegit Deus: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius: sed qui gloriatur, in Domino glorietur.* Voluit deinde diuinum Verbum sanctissimæ carnis suæ puritate nostræ carnis corruptionem purificare, illiusque vilitatem exaltare. In hoc enim Verbum Dei caro factum est, vt per carnem suam, & pretiosum sanguinem ab omni labe, & contagio corruptionis nos mundaret: sicut Paulus ad Ephes 5. dixit: *Christus dilexit Ecclesiam, mundans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ, vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi.*
Carnis nomine corruptio, vilitas, & abiectio humanæ naturæ designantur.
Gen. 6.
Esa 40.
1. Cor. 1.
Ephes. 5.

Verbũ carnem assumens amo-
Præterea nouo hoc, & nullis vnquam retrò seculis audito loquendi tropo, *Verbum caro factum est*, ineffabilem Dei nostri in nos charitatem, atque amoris excessum,

cessum, necnon & mirabiles amoris effectus dilectus discipulus Ioannes expressit. Primùm enim nullum amoris apertius indicium esse potest, quam id amplecti, tibique copulare, quod magis oderis: sicut ad Roma. 5. dixit Paulus: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniã cum adhuc peccatores, & inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Nil verò diuinis oculis erat execrabilius, quam caro, vt Genes 6. constat, cum Dominus dixit: *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est.* Tanta verò fuit diuini amoris vis, vt carnem nostram sibi adeò exosam suauissimo amoris nexu sibi copulauerit: & non solum remotam à Deo carnem in viam reduxerit, verum ad esse diuinum exaltauerit; *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo.* Imò adeo nobis similis factus est Deus, vt non iam quasi *vnus ex nobis*, ironicè factus sit: sed verè os nostrũ, & caro nostra sit, *primogenitus in multis fratribus*, & verè *vnus ex nobis.* Et hoc est, quod Ioannes nos docuit, dicens: *Verbum caro factum est.* Ecce iam caro nostra adeò Deo inimica, quam sit facta illi amica, siquidem in vnitatem diuinæ personæ est assumpta. Ecce caro nostra, quæ per culpam aruerat; per Verbi vnionem refloruit: vt Regius vates Psalm. 27. prædixerat Ecce *ossa arida*, quæ vidit Ezech. cap. 37. per carnem Verbi, carnem, neruos, vitam, & spiritum suscepere: quia *spiritus oris nostri Christus Dominus*, vt dicitur Thren 4. Ille siquidem Spiritum diuini oris sui in os nostrum transfundens nos viuificauit. Hunc suauissimum nexum, diuinique Spiritus vnionem optabat sponsa, Cant. 1. dicens: *Osculetur me osculo oris sui.* Cuius voti compos euasit, cum *Verbum caro factum est.*

ris apertũ testimoniũ exhibuit.
Rom. 5.
Gen. 6.
Ad Phil. 2.
Gen. 3.
Psal. 27.
Ezech. 37.
Cant. 1.

Deinde vox hæc, caro, diuini amoris pietatem, benignitatem, atque humanitatem nobis insinuat De pietate siquidem dixit Apostolus 1 ad Timoth. 3 *Manifestè magnum est pietatis Sacramẽtum, quod manifestatum est in carne:* Id est, sacrum illud secretum, quod latuit in corde Patris: in carnis assumptione ex pietate manifestatum est. De benignitate verò, & humanitate, ad Titum 3. dixit: *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitia, quæ fecimus nos, sed*

Carnis nostra assumptio benignitatem, atq; humanitatẽ Dei testatur.
1. Tim 3.
Tit. 3.

secundum suam misericordiam saluos nos fecit. Olim quidem diuina maiestas Deus vltionum, exercituum, alijsq; nominibus maiestatis, & terroris nuncupari gaudebat. Vnde sponsa, vt illum antiquum rigorem temperaret, atque in benignitatem commutaret, anxiè optans dicebat, Cant. 8. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ: vt videam te foris, & deosculer te: & iam me nemo despiciet.* Augustinus lib. de ver. relig c. 16. & lib 22. contra Faustum, cap. 46. inducit figuram ex Genes 26. vbi Isaac cognitus est ab Abimelech Rege Palæstinorum, quod esset vir Rebeccæ, quia per fenestram prospexit cum ea iocantem: sicut enim viri sapientes verborum blanditijs virilem rigorem aliquando temperant, sic filius Dei assumens carnem fragilem, & teneram, veluti quodam ioco blanditiæ pleno se se nobis attemperauit, hic est ludus ille, de quo Prouerb 8. *Cum eo eram cuncta componens: & delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore: & ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Et quamquam benignitas & humanitas Saluatoris nostri in omnibus tam verbis, quàm factis ipsius semper apparuere, potissimùm tamẽ *in diebus carnis suæ*, vt Apostolus ait ad Heb. 5. Hi nempe sunt dies natiuitatis, cùm veræ carnis suæ ostensionem fecit *vagiens infans inter arcta conditus præsepia*: Dies item Circumcisionis, cùm apparens *in similitud nem carnis peccati* octauo die circumcisus est. Maximè verò dies carnis fuit dies crucis, passionis, & mortis: hi sunt dies, de quibus Paulus loco citato dixit, *in diebus carnis suæ preces; supplicationesq; cum clamore valido, & lachrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia.* Verè illi fuere dies carnis Verbi, quia carnis suæ manifestum exhibuit testimonium, dum dilectam animam suam, atque carnem tradidit in manus inimicorum, liberamque illis potestatem fecit, vt pro libito suo in eam omne tormentorum genus exercerent. *Entregoles su carne para que libremente hiziessen della carniceria* Adhoc siquidem *Verbum caro factum est.*

Hanc benignitatem, & humanitatem Dei filius reipsa nobis exhibuit, vt verbo, & exemplo animi teneritudinem, atq; benignitatem nobis commendet: omnique de-

Cant. 8.

August.

Genes. 26.

Heb. 5.

que duritiem, impietatem, & truculentiam, à nobis auferat: Sicut per Ezechiel. cap. 11. & 36. promiserat dicens: *auferam cor lapi eum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.* Ecce nunc Pater æternus cor suum nobis tradit factum caro, vt sit cor nostrum, nostrumque cor viuificet, duritiem auferat, & teneritudine, humanitate, atque benignitate repleat. Hoc est, quod Cant 8. sponsus ipse caro factus ab sponsa petit: *Pone me vt signaculum super cor tuum, &c.* Quibus verbis desiderium suum sponsus explicat, nempe, vt cor molle, ac tenerũ illi exhibeamus, quòd quasi mollis cera benignitatem ipsius, vt diuina stemmata suscipiat, ita vt altitudo diuinæ maiestatis nos deprimat: humilitas verò carnis, humanitatis, atque benignitatis nos exaltet. Hæc est Euangelica disciplina, quam Apostolus ex Christi carne susceptam nobis tradidit: Quod enim dixit ad Tit. 3. *apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei,* id expressit c. 2. dicens: *Vt abnegantes impietatem, & secularia desideria sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo expectantes beatam spem.*

Verbũ cor Patris, caro factum est, nobisque traditum, vt animi teneritudinem nobis imprimat.

Cant. 8.

Ad Tit. 3.

Vltimò tandem (vt vno verbo omnia complectamur) *Verbum caro factum est,* vt caro fiat spiritus, imò homo fiat Deus. Quamquam enim fraudulentus serpens, vt protoparentes deciperet, mendaciter dixit, *eritis sicut Dij,* illius tamen fraudulentiam diuina sapientia, & prima veritas in veritatem commutauit. Dum enim *Verbum caro factum est,* homo verus Deus est: omnibusque credentibus *dedit potestatem filios Dei fieri:* vt Ioan. dixit. Hanc ergo diuinam metamorphosim, atque cœlestem commutationem dextera excelsi desiderat in terris: ad hoc enim *Verbum caro factum* sese homini negociatori comparauit, vt cœlestem hanc negociationẽ, inter Deũ, & homines nos edoceret. Discamus igitur iam non secundum carnem ambulare, vt verè simus filij Dei, *qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nascuntur.* Quin potiùs iuxta Pauli doctrinam *spiritu ambulemus, & desideria carnis non perficiamus.* Id quod exemplo suo, vt bonus dux nos docet Apostolus 2. ad Cor. 10. dicens: *in carne ambulantes, non secundum carnem militamus.* Vnde meritò Sanctissimus Leo Põtifex: agno-

Verbũ caro factum est, vt caro fiat spiritus.

Genes. 3.

Ioan. 1.

2. Cor. 10.

Ad Gal. 5.

2. Ad Cor. 10.

Leo Papa.

Agnosce (inquit) *ô Christiane dignitatem tuam, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire.* Considera filium Dei pro te carnem induisse, vt tu illius Spiritum, benignitatem, atq; humanitatem induas, vt merearis inter illius filios computari, diuinæ naturæ consors factus, nunc per gratiam, & in æterna beatitudine per gloriam. Amen.

IN EADEM SOLENNITATE,

CONCIO OCTAVA.

De spirituali habitatione filij Dei in nobis.

THEMA.

Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ioan. 1.

DIVINVM Verbum, cuius natiuitatem hodie celebramus, *lux vera est, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mũdum.* De hac luce difficile illud ęnigma Dominus proposuit, Iob cap. 38. dicens: *indica mihi, si nosti omnia, in qua via lux habitet?* cuius solutionem, si ab Apostolo petamus, primæ ad Timoth. 6. nobis respondet: *Lucem habitat inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Hodie verò sacer Euangelista nos edocet, quod hæc diuina lux habitat in nobis; quia Verbum factum est caro: Via verò, in qua diuina lux habitauit, alma Virgo est: per ipsam nobis inaccessibilis lux accessibilis facta est, & tractabilis: per ipsam deprecemur, vt nobis hodie communicetur, dicentes: *Aue Maria.*

Iob 38.

1. ad Ti. 6.

Sapientissimus ille Rex Salomon, postquam ædificato

cato templo illata in oraculum arca, atque subter alas Cherubin in Sancta Sanctorum collocata, oblatisque sacrificiis *gloria Domini repleuit domum caligine, ita vt non possent sacerdotes stare, neque ministrare propter caliginem*; videns pollicitationem Domini completam, qua pollicitus fuerat, *vt habitaret in caligine*: flexis genibus, palmisq; in cœlum leuatis coram altari Domini ex aduerso vniuersæ multitudinis Israel dixit: *Ergone credibile est, vt habitet Deus cum hominibus super terram*, vt habetur 2. Paral 6 Dan. quoque 2. Arioli Regis Nabuchodonosor, cùm non possent ipsius somnium, neque interpretationem explicare, dixerunt: *Sermo, quem tu quæris Rex, grauis est, nec reperietur quisquam, qui indicet illum, exceptis Dijs, quorum non est cum hominibus conuersatio.* Neque lumine naturali oppositum potest intelligi. De diuina namque sapientia dicitur Ecclesiast. 24. *Ego in altissimis habito.* Deinde Deuter. 4. dicitur: *Deus noster ignis consumens est* Euangelicus verò Propheta capite 33. ait: *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante?* Adde quod Genes. cap. 6. postquam *omnis caro corruperat viam suam*, dixit Dominus: *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est.* Quare iure optimo miratus est Salomon; quod Dominus habitaret cum hominibus etiam in caligine. Quantò potius miratus esset, si (quod fides nostra docet) vidisset Verbum in carne, & habitare in nobis? Impletum siquidem est, quod olim Dominus per Regium vatem Psalm. 84 prædixerat: *Vt inhabitet gloria in terra nostra, misericordia, & veritas obuiauerunt sibi; iustitia, & pax osculatæ sunt.* Per Hierem. quoque capite 7. promiserat Dominus: *Habitabo vobiscum in loco isto.* Baruc verò capite 3. Spiritu diuino afflatus id apertius prædixit: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est* Hoc est, quod sacer Euangelista non iam sub caligine, neque sub vmbra, sed manifestè dicit: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Non sicut Moyses vidit ignem, & flammam habitare in rubo; Exodi 3. neque sicut vidit super Synai habitare in nube; & caligine; Exodi 14 Sed manifestè habitauit in carne nostra, & inter brachia Virginis almæ. Hodie siquidem completæ sunt deliciæ Verbi, quas Prou. 8. dixit, *esse cum filijs hominum.*

Dan. 2.

Esa. 33.

Psal. 84.

Carò

Caro nostra, quam verbum assumpsit, tabernaculum illud est, quod Ioan. Euangelista vidit descendens de cœlo, cum audiuit vocem magnam de throno dicentem sibi: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis*; sic enim de Saluatoris nostri humanitate explicat S. Thom. ad Heb. 9 l. 3. *in ipsa enim inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*: vt Paulus dixit ad Colos. 2. Hoc est, quod sacer Euangelista ait; *habitauit in nobis*, id est, inter nos. Impletur Esai. vaticinium cap. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus*, sicut Matthæus cap. 1. explicuit. Impletur quoque vaticinium eiusdem Prophetæ cap. 52. dicentis: *propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: Quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum*, & cap. 62. *terra tua non vocabitur amplius desolata; sed terra tua inhabitabitur, quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur.* Bis dixit inhabitabitur propter duplicem naturam habitatoris Christi. Atque illud Zachar 2. *Gaude, & lætare Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui.* Vel sensus est: habitauit in nobis, id est in nostra natura humana, quæ fuit verum tabernaculum, & templum, quod Verbum diuinum inhabitans adeò nos euexit; *vt diuinæ simus consortes naturæ*, vtque verè dicamus illud Act. 17. *ipsius & genus sumus.* Æquissimum ergo est (dilectissimi fratres) vt diuinam in nos dignationem toto corde, & ore incessanter laudemus: qua inter nos, & in nobis visibiliter habitare dignatus est. Siquidem visibilis hæc Dei nostri in terris habitatio diu, atq; anxiè, & meritò quidem fuit desiderata. *Nam si ab vno sensato inhabitabitur patria* (vt dicitur Eccl. 16. id est vnus sapiens, & iustus sufficiens est decorare patriam: *quia melior est vnus timens Deum, quàm mille viri impij*: quantò potiùs decorata est terrena nostra inhabitatio per filij Dei incolatum? qui non solùm sapiens est; sed ipsa *sapientia Patris; & in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi*: vt Paul. ait ad Colos. 2. Adde quòd incarnato Verbo, & in nobis habitante miriades Angelorum terram nostram inuisere, atque inhabitare cœperunt. Illudque maximè animi gratitudinem in nobis ex-

Apoc. 21. Caro Christi tabernaculum est Verbi. S. Thom. Esa. 7. Matth. 1. Esa. 52. Zach. 2. Eccles. 16. Col. 2.

bis excitare debet, atq; ad diuinas laudes inuitare, quòd Diuinum Verbum nō solùm habitauit inter nos, vt hospes, nostram patriam exornans, sed in nobis nostram naturam assumens; atque ad esse diuinum extollens.

Solent terreni Principes ea loca, in quibus nascuntur, & in quibus habitationem eligunt multis priuilegijs docorare, magnisque diuitijs,& thesauris locupletare. Eaque ratione experti sumus Regum aduentus, transmigrationes, atque incolatus multis precibus efflagitari,imò & negotiationibus ambiri. Quātò dignius fuit cœlestis nostri Principis in orbem descensum, ipsiusque in terris habitationem desiderari, qui cœlestia priuilegia nobis inuexit, *vt adoptionem filiorum reciperemus*, quibus terrigenas nobilitauit, gratiæque thesauris locupletauit? Sic enim ait Petrus Apostolus: *per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.* Olim quidem tanta erat humanæ naturæ corruptio, nostræque conditionis abiectio, vt Diuina maiestas non solum cum hominibus habitare dedignaretur, verùm illorum societatem omnino perhorresceret: nunc verò postquam apparuit diuina gratia, *& Verbum caro factum est,* non tantum inter homines habitare dignatus est, sed habitauit in nobis, in nostraque humana natura, tanquam in concupitis delicijs requieuit. *2. Pet 1.*

Verum enim verò, quamquam corporalis hæc, & visibilis filij Dei in terris habitatio, supra quam humana lingua explicare valeat, nostram conditionem, atque naturam exaltauit:hæc tamen medium fuit ad aliam digniorem, nempe spiritualem inhabitationem ordinatum.Beatos quidem dicit Dominus oculos,qui illam viderunt, *multi enim Reges, & Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt,* vt habetur Matth 13 Cæterùm multi viderunt,qui non crediderunt,&damnati sunt.Spiritualis verò mansio,inuisibilisque Domini inhabitatio,quæ non cernitur corporeis oculis, sed fidei, & charitatis intuitu,hæc multò est pretiosior, atque felicior Hæc non comparatur pecunia, non diuitijs, neque potentia: sed fidei sinceritate, dilectionisque inæstimabili pretio; atque desiderio. Sic enim ait Dominus Ioan capite 14.

Visibilis habitatio filij Dei ad inuisibilē ordinata fuit.

Matth. 13.

Siquis diligit me, sermonem meum seruabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Vnde 1. Ioan. 3. habetur: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Maturo consilio sponsa sub metaphora pastorica sponsum precatur, propositaque dilectione, & amore, quo vno sponsus tanquam funiculis colligati gaudet, anxiè precatur, vt sibi ostendat, quibus in locis potissimum habitet, ne forsan sibi vagari, & errare contingat circa magalia pastorum. Sic enim ait Cant. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea:* id est, tu sponse, & Deus meus, quem diligit anima mea: *Vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Quasi dicat: periculosum est, maximéque pertimescendum, nescire quò in loco potissimùm habites. In huius namque cognitione tota ratio salutis humanæ sita est. Huc infœlix mundus ingenij neruos intendit, vt sponsi habitationem inueniat. Hic vagatus est humanus animus, semperque diuagatur per inextricabiles tenebras, variosq; opinionum errores, vt sponsi habitaculum inueniat. Quare sponsus ipse Christus Iesus, quia ab initio conditi hominis, & vsque ad seculi consummationem sciebat hoc grauissimum periculum electorum animis imminere, vt falsis opinionibus inhærendo, huc, atque illuc distraherentur, sponsum quærentes, vbi minimè habitaret, nos omnes multis verbis præmonuit, dicens: *Multi venient in diebus illis dicentes: Ego sum Christus, & multos seducent. Tunc siquis vobis dixerit, ecce hîc est Christus, aut illic, nolite credere.* Cùm ergo in re tanta periculosum sit errare, non ab hominibus, sed ab ipso sponso prudenter quærit sponsa, vt sibi ostendat, vbi habitet. Cuius voto satisfecit sponsus statim respondens: *Si ignoras te, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum:* quasi dicat: habitatio mihi gratissima intra te est: Atque adeò non opus est, vt extra te egrediaris. Quin potius agnosce dignitatem tuam, siquidem intra te habitationem meam elegi. Hoc est, quod nobis insinuat sacer Euangelista, dum dicit: *Habitauit in nobis.* Idem nos edocet Apostolus 1 ad Corinth 3 *Nescitis, quia templum Dei estis vos, & Spiritus sanctus habitat in vobis?* Et Petrus Apostolus 1. capite 2. *Ipsi tanquam lapides*

Cant. 1.

Matth. 24.

Sponsus in nobis habitauit, vt intra nos habitet.

pides viui superadificamini in domos spirituales: & 1. ad Corinth capite 6. *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti?* Admonensq; nos ne membris nostris abutamur, tanquam re propria nobis liceat abuti, subdit: *& nō estis vestri: empti enim estis pretio magno: Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* Quasi dicat Mementote, quod ad hoc Verbum caro factum est, vt pretio sui sanguinis mentes nostras sibi redimeret, atq; mundaret, vt eas inhabitaret.

Cùm Princeps oppidum ingreditur, viæ omnes, vici, & plateæ præparantur, domus exornantur, & ea maximè, quam Princeps est inhabitaturus. Cùm mulier illa Sunamitis Elisæum Prophetam intra suam domum excepit, cœnaculum illi præparauit, lectulum, mensam, sellam, & candelabrum, vt habetur 4 Reg. 4 Deus noster Rex regum est, & Dominus dominantium, oportet igitur habitaculum dignum cœlesti Principi præparare. Verus Elisęus est, qui à nobis excipi desiderat non in domo lutea, sed intra mentis hospitium, quia ipse hospes Spiritus est: Atque adeò desiderat cœnaculum cordis, lectulum floridum humilitatis; requiescit enim super humilem, & mansuetum: sellam puræ conscientiæ: quoniam *in maleuolam animam non introibit sapientia:* vt dicitur Sapien. 1. Oportet quoque præparare candelabrum fidei, maximè verò mensam charitatis virtutibus plenam. Vt enim dixit Dauid Salomoni filio; *Opus grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* Sicque Rex ipse Deo dignum præparans habitaculum, Psalm. 102 dicebat: *Omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius:* Nihil omninò sibi reseruabat, neque tanto hospiti subtrahebat. Similiter Apostolus à seipsò exiens, integrumque hospitium voluntatis tam digno hospiti tradens, ad Galat. cap. 2. ait: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus:* quasi dicat, meipsum abnegaui, ab hospitio propriæ voluntatis discessi, vt illud Christus inhabitet. Quare nos sui imitatores, dignosque Christi hospites efficere cupiens, vt ea, quæ tantum principem decet, mentis puritate, ac spiritalis habitaculi præparatione ipsum excipiamus, ad Ephes. 3. ait: *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri*

4. Reg. 4.

Hospitium cordis quomodo præparandum Christo.

Sap. 1.

1. Par. 29.

Ad Eph. 3.

Iesu Christi, &c. Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati, & fundati. Vbi planè Apostolus nos edocet fidei, & charitatis ornamentis habitaculum Domino præparandum: ea enim sunt, quæ maximè tantum hospitem decent, quæque magis placent diuinis oculis. Hoc mentis nostræ hospitium sponsus desiderans, ait Luc. cap. 9. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Quare veluti hospes hospitij auidus, repulsæ, & iniuriæ immemor perstat pulsans. Sic enim ait Apoc. cap. 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam: intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Non enim ingratus est hospes: quin potius vicem hospitij in æternis tabernaculis rependere nobis optat. Hoc est enim quod ait Ioann. cap. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt, si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum: vt vbi sum ego, & vos sitis.* Atque ad hoc præcessit, vt in cœlesti hospitio præparet, atque disponat nobis cœlestem illam, & amplissimam mensam, in qua cum ipso cœnemus in æternum. Ex illa nos pascit cibo gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro, cuius nos participes efficiat ipse Iesus Christus Dominus noster.

Amen.


Luc 9. *Apoc. 3.*



IN

IN EADEM SOLENNITATE NATALIS DOMINI FRAGMENTA, SIVE CONSIDERATIONES IN TRIA EUANGELIA, QUÆ IN TRIBUS MISSARUM SACRIFICIIS CONCINUNTUR.

In primum Euangelium ad Missam in Galli cantu ex Luc. 2.



XIIT *edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.* Hæc descriptio facta est anno ab orbe condito 3970. Authore Cornelio Iansenio: Imperij verò Augusti Cæsaris anno 42. pace terris reddita, temploq; Iani tertiò iam clauso in signum pacis per duodecim annos: teste Orosio: eo namq; tempore voluit Christus Dominus nasci, quo terra pace fruebatur: ille etenim verus *Princeps pacis* est, sicq; appellatus per Esa cap. 9 Atq; in illius ortu Angeli pacem terris redditam annunciant. 1. *Iansenius.* *Orosius.* *Esa 9.*

Vt describeretur vniuersus orbis. Nato Saluatore omnes mortales profitetur nomina sua sub illiusq; ditione sese constitutos agnoscunt. Quia ille verus est Dominus vniuersorum, ipsiusq; *est terra, & plenitudo eius*, sicut Dauid prædixit Psal. 23 Augustus verò Cæsar nunquam obtinuit dominium totius orbis, multis nationibus à se incognitis: teste Suetonio: imò neq; se Dominum appellari permisit, teste Orosio: Tum id prohibente Sibylla: tum quasi præsagiēte sibi animo Principem natum, qui cœli, & terræ esset Dominus. *Rectè quoq; nascente Domino orbis describitur, quia* (vt Gregorius ait) *is nascebatur, qui electos suos adscriberet in æternitate.* 2. *Suetonius.* *Orosius.* *Gregor.*

Vt describeretur vniuersus orbis, 2. Reg 24. simile præceptum Dauid Regis legimus, quo precepit Ioab numerare populum: contra quem iratus Dominus misit Gad Prophetam, vt eligeret vnum ex tribus Domini flagellis: 3. *2. Reg 24.*

P 2 ex qui-

ex quibus pius Rex elegit *potius incidere in manus Domini*, atq; per tres dies pestilentia in populum immissa punitus est. Nunc verò Cæsar Augustus præcepit edicto describi vniuersum orbem, neq; tamen punitur, quia (vt
Eccl. 1. habetur Eccles. 1.) *peruersi difficile corriguntur:* at verò, *quem diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem fi-*
2. Mach. 6. *lium, quem recipit*, vt Paulus ait ad Heb. 12. & vt 2. Mach. 6. dicitur: multo tempore non sinere peccatores ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij est indicium.

4. *Ibant omnes, vt profiterentur singuli in suam ciuitatem.* Locus sese offert de obedientia præstanda superioribus: iustisque tributis persoluendis: vt Paulus docet ad Rom.
Rom. 13. 13. *Omnis anima potestatibus sublimiorum subdita sit: Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Et 1. Petri 2. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi, quasi præcellenti: siue Ducibus, tanquam à Deo missis: Quia sic est voluntas Dei.* Christus quoque Dominus Matth. cap. 22. ait: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Per oppositum quoq; aperitur campus dicendi contra Principes, & dominos potentes, contra subditos tyrannidem exercentes, atque iniusta tributa imponentes. Contra quos multa flagella comminatur Dominus per Prophetas su-
Mich. 3. os: Potissimum Mich. 3. Sophon. 3. Esa. 22. *Principes eius*
Esa 22. *in medio eius, quasi lupi rapientes prædam.* Et Sap. 16. *O-*
Sap. 16. *portebat enim illis sine excusatione quidem superuenire interitum exercentibus tyrannidem.*

5. *Ascendit autem & Ioseph cum Maria, &c.* ex vtero infans Iesus obedientiam docet, atq; ad illam præstandam
Gal. 4. Cæsari parētes excitat. Sic Paulus de illo dixit ad Gal. 4. *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum natum ex muliere, factum sub lege.* Et ad Phil. 2. *Factus obediens vsq; ad mortem.*

6. *Pannis eum inuoluit.* Primò, vt verus homo comprobetur, voluit infantili habitu indui, iuxta illud Paul. ad Philip. 2. *Habitu inuentus vt homo.* Secundò humilitatis Magister, & paupertatis amator re ipsa vtramque nos edocet. Tertiò, vt disciplinam illam Euangelicam nos doceat, qua Paul. 1. ad Cor. 7. nos instruit: *Qui vtuntur hoc mundo,*

mundo, tanquam non vtantur. Et 1. ad Tim. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Similiterque Christus Dominus discipulos instruit, Luc 10. dicens: *Nolite portare sacculum, neq; peram, neque calceamenta.* Voluit vtique Dominus illa nos Christiana Philosophia erudiri, qua Paulus 2. Corinth. 2. nos instruit, dicens: *Quamdiu viuimus, peregrinamur à Domino:* & ad Hebr. 11. *Peregrini, & hospites sumus super terram.* Atq; ea ratione voluit Saluator extra domum Nazareth, in Bethlehem quasi colonus, & viator nasci: vt Hierem. c. 14. prædixerat: neq; datus est ei locus in diuersorio: vt hanc veritatem alta mente reponamus, quod *non habemus hic manentem ciuitatem* (vt Paul dixit ad Heb 13) *sed futurā inquirimus.* Illam (inquam) ciuitatem, & regiam Principis nostri domum, de qua Christus Dominus Ioann. 14 dixit: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* 2. *Cor.* 2. *Hebr.* 13. *Ioan.* 14.

Deinde pannis inuolui, & in præsepio voluit Dominus reclinari, vt re ipsa intelligamus, quod per Esa. c. 55 nos admonet: *Quia sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltata sunt via mea à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Ecce quam diuersa principia, & fines res Christi habeant à principijs, finibusq; humanis. In celebri illa statua Danielis, c. 2. vidimus mundi imaginem, in capite aureo, sed pedibus fictilibus. At Christi initia humilia sunt, sed exitus, & finis gloriosi. *Sic infirma mundi, & contemptibilia elegit* (vt Paul ait 1 ad Cor 1.) *Vt suscitans à terra inopes, & de stercore erigens pauperes, collocaret eos cum principibus,* sicut Dauid dixit Psal 112. *Esa.* 55. *Dan.* 2.

Reclinauit eum in præsepio, vt contraria contrarijs curentur: ex præsepio incipit Dominus superbiam, & mundi fastum damnare, vt Greg hom. in hoc Euangelium adnotauit. Superba quoq; ædificia mundi damnat: vt idem Dominus in humili præsepio natus comprobetur, qui per Esa c 5. dixit: *Væ qui coniungitis domum domui, & agrum agro copulatis.* Paupertatem verò consecrat in præsepio, quia (vt Ambr ait lib. 2 in Luc) *paupertatem suam voluit Dominus nostrum esse patrimonium.* Maluitq; sibi egere, vt ego omnibus abundarem. Ad hoc enim, *cum esset diues egenus propter nos factus est;* vt 2. ad Cor. 8. ait Apostolus, *Gregor.* *Esa.* 5. *Ambros.*

9. In præsepio quoque reclinari voluit, vt incipiat iam aspera, atq; dura experiri, vt ad munus pastoris obduretur, *curte se para pastor*: vt Paulus ait ad Hebr. 5. *Didicit ex his, quæ passus est.* Ille enim verus Pastor est, qui relictis nonaginta nouem ouibus in deserto, id est, nouem Angelorum choris in beatitudine, *Venit saliens in montibus, & transiliens colles,* quærens ouem, quæ perierat, donec inueniat eam, inuentamq; imponat super humeros suos gaudens, Luc. 15.

Hebr. 5.

10. *Claritas Dei circumfulsit illos:* & meritò, quia natus est, *qui erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* vt Ioan. ait c. 1. Et 1. Ioan. 1. *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ;* imò tenebras noctis expulit, & diem inuexit (vt Paulus ait ad Rom. 13.) *Vt nos abijciamus opera tenebrarum. Quæ enim societas luci ad tenebras.* 2 Corinth. 6. Ipse quoque est lucidus ille, & gloriosus iudex, *qui illuminabit abscondita tenebrarum,* (vt Paulus ait 1. ad Corinth. 4.) *& manifestabit consilia cordium. Surge ergo, & illuminare Hierusalem: quia venit lumen tuum,* Esa. 60.

Esa. 60.

11. *Nolite timere.* Diuina mysteria, & Angelorum visiones, initio quidem timorem incutiunt propter sui excellentiam supra humanam naturam: statim verò timorem expellunt, & gaudio, atq; solatio replent: sicut 1. ca. 4. docet Ioannes: *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem:* sic Regius vates diuina charitate communitus, Psal. 22. ait, *non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

12. *Pax hominibus.* Solus Deus potuit veram pacem terris reddere: tum quia mundus pacem offerens mendax est, dicit enim *pax, pax, & non erat pax:* vt Hierem. 8 habetur. *Quia nō est pax impijs, dicit Dominus,* Esa. 48. Tum verò maximè, quia, cū inimici essemus Deo, nullus, nisi Deus ipse potuit nos diuinæ gratiæ reconciliare.

Hierem. 8.
Esa. 48.

13. *Subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum. Vno Euangelizante nuncio Christi natiuitatē, multitudo militiæ cælestis consono in laudem Creatoris ore prorumpit, vt sui obsequij deuotione non vnus tantùm, sed omnes simul Angeli Christi natiuitatem testentur:* Chrysost. homil. de natiu. Domini.

Chrysost.

In secundum Euangelium, quod in Missa auroræ decantatur, ex Luc. 2.

Pastores loquebantur ad inuicem: de prælatis, atque de pastorum electione, & vigilantia diximus Concione 6. habemusq; illorum instructionem Ezech. 34. Zach 10. & 1. Petri 5. *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* Deinde pastores, vt diuina luce, & charitate pleni de cœlesti nūcio inuicem colloquuntur. Mundani, filijque huius seculi, quæ sua sunt quærentes, thesauros, & bona omnia sibi solis abscondunt præ auaritia. *At charitas non quærit quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi:* vnde bona omnia sine inuidia communicat. Sap. 7. Sic Ioan Apoc 22. dicit: *qui audit, dicat, Veni:* id est, ille cui reuelantur diuina mysteria, a·q; cœlestia consilia, non sibi soli seruet, sed potius proximis communicet, illosq; inuitet, vt veniant, & Dominum glorificent Sic pastores nostri audito cœlesti nuncio dicunt, & colloquuntur ad inuicem: *Venite, transeamus vsq; Bethlehem.* 1. Ezech. 34. Sap. 7. Apoc. 22.

Transeamus vsq; Bethlehem Amor non patitur moras, non timet hyemis inclementiam, neq; gregis derelicti pericula, omnia contemnit, & quantumcunq; difficilia reddit facilia: iuxta illud Esa. 40. *Erunt praua in directa, & aspera in vias planas.* Sic Paulus diuina charitate feruens ad Rom 8. dicebat: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Certus sum enim, quia neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Hoc amore solicitante pastores venerunt in Bethlehem festinantes, spirituq; feruentes iuxta doctrinam Apostoli ad Rom. 12. 2. Esa 40. Rom. 8.

Venerunt festinantes Pastores Dominus eligit, qui ipsum festinè inquirant, sic enim diligenter, & festinanter quærendus est Dominus iuxta illud Esa. 23. *Si quæritis, quærite* Multi enim sunt, qui velleitatem quærendi habent, & nunquam quærunt, quia voluntatē perfectam quærēdi non habēt: de quibus Esa. 58 dicitur: *Me etenim de die in diem quærunt,* &c. & quia perfecta volūtas quærēdi eis deficit, subditur: *ecce in die ieiunij vestri inuenitur* 3. Esa. 23. Esa. 58.

Voluntas vestra Sponsa è lecto surrexit, circuiuit ciuitatem per vicos, & plateas sponsum quærens cum solicitudine, & inuenit, quem diligebat. Similiter quærunt pastores festinantes, & inuenerunt: vt adnotauit Chrysostomus. De solicitudine, qua Dominus inquirendus est, proprius locus habetur Dominica infra octauas Epiphaniæ in ea verba, Luc 2. *Dolentes quærebamus te.*

4. Locus hic sese offert dicendi contra otiosos & segnes, atq; desides: otiositas siquidem, & segnities in negotijs salutis periculosa sunt, vt plurimis exemplis diuinę Scripturę comprobatur. Proprius tamen locus habetur Dominica in septuagesima in ea verba, Matth. 20. *Quid hic statis tota die otiosi?*

5. *Pastores venerunt festinantes.* Mundi diuites, potentes, atq; delicati plurimas moras habent, vt Deum inquirãt. Hinc remoratur lecti mollities, illinc pretiosus, atque curiosus vestiũ ornatus; hinc deliciæ, exquisitiq; cibi, & ventris ingluuies, illinc seculi negotia, atq; ambitiones; Pastores verò nihil horũ retardat, quinimò audito cœlesti nuncio statim ab omnibus se expediunt, atque festinanter quærunt Christum. Agricolę, vt fructiferas arbores syluestri trunco inserant, attentè considerant affinitatem, atque proportionem, quam inter se habent plantæ, vt in osse, vel nucleo conueniant: sic Diuina sapientia pastores pauperes elegit, quia paupertas Euangelica, & pastoralis asperitas, vitæque austeritas maximam inter se affinitatem, atque proportionem habent: atq; ea ratione Diuina sapientia per Angelum natiuitatis Verbi nuncio delato primos testes oculatos tãti mysterij pastores esse voluit.

6. *Maria conseruabat omnia verba hac.* Pastorum dicta, & facta non sunt contemnenda. *Sapè etiam est olitor valdè opportuna locutus*: vt est in veteri prouerbio. Atque per asinam voluit Dominus Prophetam Balaam corrigere, ab inceptoq; itinere reuocare, Num. 22. Gloriosa Virgo Maria pastorum dicta, & facta minimè contempsit. Quinimò tanquam diuina testimonia suscepit, & cum luce, quam per cœlestem reuelationem habebat, omnia conferebat in corde suo.

Num. 22.

In

In tertium Euangelium maioris Missæ.

In principio erat Verbum. Ineffabile mysterium generationis Verbi Ioannes his verbis explicuit. Augustinus Tract. 1. in Ioan. *dicere, vt est, quis potest? Audeo dicere, nec ipse Ioannes dixit, vt est, sed dixit, vt potuit: & quod potuit homo, dixit: neque sua mente innixus, sed à Deo inspiratus.* 1. *August.*

In principio. Non temporis, sicut Genes. 1. dicitur: *In principio creauit Deus cælum, & terram:* sed in principio æternitatis, id est ante omnia, erat Verbum, quia æternum: & hoc significat verbum erat, quod insinuat æternitatis durationem: sicut explicant Chrysost. & Theophilatus: Augustinus verò, Cyrillus, & Origenes explicant: In principio, id est in Patre; quo loco Basilius ex illo, *Verbum erat apud Deum*, distinctionem personarum colligit. 2. *Chrysost.* *Theophil.* *Basilius.*

Erat Verbum: id est filius Patri consubstantialis: de quo Psal. 44. *Eructauit cor meum verbum bonum*, id est absolutæ, & infinitæ bonitatis, eiusdemque potentiæ cum Patre, *quia omnia per ipsum facta sunt*, sicut & Paulus ad Col. 1. explicuit; *In ipso condita sunt vniuersa in cælis, & in terra, visibilia, & inuisibilia: & omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis: vt sit in omnibus ipse primatum tenens.* Filius verò vocatur ab Euangelista Verbum, quia est sapientia, & ars operatiua Patris. Vnde acutè adnotauit Caietan. quod non dixit euangelista: In principio erat Filius, sed Verbum: quia Filius tantum dicit relationem ad Patrem, & non ad creaturas. Verbum verò vtrumque importat, scilicet procedens à Patre per intellectum, & creaturarum principium. Principium verò dignissimum, quia viuum, sicut viuit & Pater; vnde subditur: *in ipso vita erat* Principium lucidissimum omnem caliginem, tenebrasque depellens: *Erat enim lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* Principium adeò potens, quod *dedit potestatem hominibus filios Dei fieri, his, qui credũt in nomine eius* Principium deniq; adeò sublime, atq; excelsum, vt Ioannes Baptista missus fuerit à Deo, vt ipsius præcursor existeret. 3. *Psal. 44.* *Col. 1.* *Caiet.*

4. *Auguſt.* * *Verbum caro factum eſt* Auguſtinus ſermo. 11. de natiu Domini to. 10 *Deus nobis ſequendus erat. Nam ſi homo hominem ſequeretur, cæcus cæco ducatum præſtaret. Deus verò videri non poterat, vt ergo ab homine videretur, quem homo ſequeretur, Deus factus eſt homo:* vt videamus, & tutò ſequamur: iuxta illud Baruc. 3. *In terris viſus eſt:* & Pſal 67. *Viderunt ingreſſus tuos Deus, ingreſſus Dei mei, Regis mei, qui eſt in ſancto.*

Baruc 3.

5. *Ioan. 9.* *Verbum caro factum eſt, & vidimus gloriam eius* Cum Chriſtus Dominus Ioan. 9 *lutum fecit ex ſputo, & liniuit oculos cæci nati*, & viſum illi reſtituit: hoc nobis ſignificauit, quòd incarnato Verbo conceſſa eſt nobis viſio gloriæ ipſius Lutum enim de terra ſumitur, ſputum verò à capite deriuatur: ſic natura humana de terra ſumpta eſt; Verbum verò diuinum à capite, id eſt à Patre procedit. Statim vt ſacrum hoc lutum poſitum eſt ſuper oculos hominum, *cum Verbum caro factum eſt, vidimus gloriam eius.*

6. *Pro feſto Ioannis Euangeliſtæ. Luc. 10. Exod. 33.* *Vidimus gloriam eius.* Magna dignitas Chriſtianæ gentis, quibus Chriſtus ait: *beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt.* Abraham enim exultauit, vt videret: Moyſes quoque optauit videre, atque id a Domino petiit Exod. 33. *oſtende* (inquiens) *mihi gloriam tuam: cui reſpondit Dominus: non poteris videre faciem meam Non enim videbit me homo, & viuet.* Subdit tamen: *Cum tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec tranſeam, & videbis poſteriora mea* Id, quod apud montem Thabor impletum eſt, cum ſimul cum Elia vidit gloriam Dei in myſterio transfigurationis Chriſti. Multi quoque antiqui patres fidem huius myſterij per reuelationem habentes idem habuerunt deſiderium videndi: *Sed iuxta fidem defuncti ſunt non acceptis repromiſſionibus:* vt Paul ait ad Hebr. 11 At nos omnes, quamquam per ſpeculum, & in ænigmate videmus tamen hęc myſteria, vt 1. ad Cor. 13 ait Paulus, ſpemque habemus, quòd videbimus facie ad faciem. Maximè verò Ioannes Baptiſta vidit gloriam Dei, cum baptizato Saluatore cœli aperti ſunt ſuper eum. Quare Chriſtus Dominus

Matth 3.

dixit

dixit Matth. 11. *à diebus Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur.* Stephanus quoque gloriosus protomartyr *vidit cælis apertis: & Iesum stantem a dextris Dei* Act. 7. Potissimùm verò dilectus Ioannes Euangelista, tanquam cœlestis *aquila, quæ in arduis posuit nidum suũ:* vidit gloriam Dei, tum in monte Thabor: tum recumbens in cœna supra pectus Domini, vbi verò simile est in ecstasim raptum post sacram Eucharistiæ buccellam cecidisse super pectus Domini: vt Caietanus non minus deuotè, quam acute meditatur: ibique in raptu vidisse arcana Dei. Assistens verò cruci simul cum alma Virgine vidit gloriam Dei, (vt sentit Diuus Augustinus) siquidem vidit tam aperta testimonia Diuinæ gloriæ: nempe solis obscurati, veli scissi, Centurionis clamantis, *Vere filius Dei erat iste*: Vidit latus apertum, quod intuens Thomas Dominum, atque Deum confessus est. Vidit vulnera sacri corporis, per quæ diuini quidem splendores radiantes mentem Ioannis mirabiliter illustrarunt. In Insula quoque Patmos propter constantiam prædicationis euangelicæ veritatis relegatus cœlestium arcanorum visione sæpè recreatus est: *Vt vere nunc dicat: Vidimus gloriam eius* Sicut 1. Ioannis 1. dixit: *Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, & manus nostra contrectauerunt de Verbo Vitæ:* de hac re plura diximus Concione 4 de hymno Angelorum.

Matth. 11. · Iob. 38. · Caiet. · D. August. · 1. Ioan. 1.

Plenum gratia, & veritatis. Christus enim Dominus plenus fuit donis supernaturalibus gratiæ, & naturalibus veritatis. *In ipso enim sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi,* vt Paulus ait ad Col cap. 2. *Et quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: & estis in illo repleti*, id est, ab illo omnis plenitudo nostra deriuatur: sine ipso omnia vacua sunt. Deinde Christus Dominus fuit *plenus gratiæ, & veritatis, quia plenus Diuino spiritu* iuxta illud Esai. cap. 11. *Replebit eum spiritus timoris Domini, &c.* & cap. 61 *Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me.* Veritatis verò fuit plenus: tum quia Deus erat, atque adeò prima veritas: tum quia in quantum homo, statim vt anima illa beatissima infusa est corpori, habuit omnem scientiam, tam beatam, quàm infusam: perfectissimamque veritatum o- 7.

Esai. 11.

tum omnium naturalium, & supernaturalium cognitionem. Ea ratione vocatur ab Hieremia c. 31. vir perfectus cum ait: *fœmina circundabit virum.*

8. Deinde tertiò dicitur *plenus gratia, & veritatis*, quia figuras omnes antiquas, & legem Christus impleuit: vt
Matth. 5. enim ipse Dominus ait Matth. 5. *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Antiqua quoque sacramenta, & sacrificia
Gal. 4. *infirma erant, & egena elementa* (vt Paulus ait ad Gal. 4.) neque gratiam continebant, neque ex opere operato conferebant: Qua ratione meritò egena, & vacua dicuntur: Christus verò Redemptor noster vera sacramenta instituit, quæ in se gratiam continent, atque illam ex opere operato conferunt dignè suscipientibus; quæ ex Christi passione communicatur, vt docet Ange-
S. Thom. licus Doctor 3 p. q. 62. a 4. Ecce quàm vere dixerit Ioannes, quòd Saluator noster sit *plenus gratia & veritatis:* sicut paulò inferius subdit: *Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est:* cuius singularis natiuitas laudetur in secula seculorum. Amen.

IN FESTO BEATI STEPHANI PROtomartyris,

CONCIO PRIMA.

De cœlorum apertione.

THEMA.

Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stātē à dextris virtutis Dei. Act. 7.



NGELICI protomartyris Stephani primariā coronam hodierna die celebrat Ecclesia. Hesterno die filius Dei factus est caro, natus ex

tus ex virgine: hodie homo Stephanus factus est filius Dei, natus non ex voluptate carnis, sed ex proprio sanguine fuso: non ex sanguinibus, sed ex sanguine (inquã) suo in filij Dei dignitatem assumptus. Cœlestis huius generationis, admirabilisque commercij Sacratissima virgo, quę diuinis generationibus replet Ecclesiam, mediatrix fuit. Vt igitur de gloriosa Stephani per sanguinem generatione dignè dicere valeamus, per ipsam virginem cœlestis numinis gratiam imploremus dicentes: *Aue Maria.*

Gloriosus Stephanus ob testimonium insignis sanctitatis à populo electus, & ab Apostolis ordinatus in archidiaconum, vt primus inter septem diacones, præesset mensis, & alimentis viduarum, & pupillorum, qui Christi fidem sequebantur. Hic *plenus Spiritu sancto, & fide faciebat signa, & prodigia magna.* Ea de causa quidam inuidia conciti disputabant cum illo, & cum non possent *resistere sapientiæ, & spiritui, qui in illo loquebatur*, coram Principe sacerdotum accusatum adduxerunt in Concilium, falsosque testes contra illum submiserũt. Vbi in testimonium innocentiæ, sanctitatis, & virtutis Domini nostri Iesu Christi, necnon & veritatis resurrectionis ipsius, atque fidei longa oratione habita, viderunt, qui astabant, *faciem eius, tanquam faciem Angeli.* Ipse verò vidit gloriam Dei, sicque testimonium perhibuit: *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Virtutis Dei.* Impij verò calumniatores continentes aures suas exclamauerunt voce magna, & impetu facto vnanimiter in eum, atque extra ciuitatem eiectum deponentes vestimenta sua secus pedes Sauli lapidare cœperunt, genibus flexis orantem, & dicentem: *Domine Iesu suscipe spiritum meum, & ne statuas illis hoc peccatum.*

Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, vt habetur Prouer. 16. idem enim creator est, atque principium omnium, à quo processere, & finis, in quem redeunt: iuxta illud Eccl. 1. *Vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant:* & vt Apoc 1. dicitur: *Alpha est, & ω principium, & finis rerum omnium.* Homerus inter Græcos poetas facilè princeps effinxit catenam ex radijs solis forma- *Deus principium, & finis rerũ omnium.* *Homerus.*

forma-

formatam, quæ de manu Dei in orbem pendens omnia mutuis circulis restingat, & in ipsum reducit Homo verò inter creata omnia maiori naturæ vi, vtpotè ad Dei imaginem formatus, in Deum propensiùs tendit. Vnde illud celebre verbum Augustini: *fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec quiescat in te.* Veluti acus nauigationem dirigens non quiescit, nisi stellam septentrionalem, vulgò dictam *el norte*, ex diametro respiciat. Cæteræ omnes creaturæ in suis finibus naturalibus quietem reperiunt: vnus homo nullis bonis satiatur, nisi solo Deo: *sicut Dauid cecinit: satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Salomon illius filius Rex potentissimus; omnesq; Reges diuitijs præcellens, cum nihil denegasset oculorum suorum desiderio, neque prohibuisset cor suum, quin omni voluptate frueretur; conuersus tandem ad vniuersa opera sua, vidit, quòd omnia essent *Vanitas, & afflictio spiritus.* Id quod filius ille prodigus peregrè a patre profectus experimento didicit, *siquidem cupiebat saturari de siliquis porcorum, & nemo illi dabat.* Quare diuina bonitas, sicut creauit hominem ad se; sic prouidit & media omnia ad tam supernaturalem finem necessaria. Creauit enim hominem cum dono iustitiæ originalis, constituit in Paradiso, & amœnissimo horto Eden, id est voluptatis, vel deliciarum: vt ex eo in cœleste Paradisum transferretur. Peccatum verò diuinis donis hominem spoliauit, pluraq; vulnera inflixit, vt latè docet Angelicus Doctor 1. 2 q. 85 a. 3 Et super dolorem vulnerum additum est exilium à Paradiso, non tantùm terreno, sed a cœlesti Gen. 3. habetur: *Eiecitq; Adam, & collocauit ante Paradisum voluptatis Cherub, & flammeum gladium, atq; versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Locus est difficilis, & qui variè à Sanctis explicatur. Primò namq; 70 interpretes cum verbo, Eiecit Adam; iungunt: *Et collocauit ante Paradisum*: nempe, vt frequenti aspectu Paradisi, & fœlicitatis amissæ memoria vehementius pungeretur: maioriq; odio peccatum, & peccati authorem Diabolum prosequeretur. Hebræa tamen lectio, & Paraphrasis Chaldaica legunt, sicut nostra vulgata. *Eiecitq; Adam, & posuit Cherubim ante Paradisum, & flammeum gladium.* Quem locum Ambros. in Psal.

August.

Psal. 16.

Nullis bonis creatis satiatur appetitus hominis.

Eccl. 2.

Luc. 15.

S. Thom.

Genes. 3

Ambros.

in Psal. 118. *Retribue seruo tuo*: explicat de igne Purgatorij, quo necesse est purgari maculas ante ingressum beatitudinis. Ponit enim duplicem baptismum, aquæ, & ignis: iuxta illud Psal. *Transiuimus per ignem, & aquam* *Psal. 65.*
Rupertus lib. 3 in Gen c. 32. & 33. dicit gladium versatilem sententiam esse diuini iudicij: iuxta illud Psal. *Ignis* *Rupertus.* *Psal. 49.*
in conspectu eius exardescet. Additq; inquisitum aliquando à curiosis fontem Nili, & inuentum nimis calidum, originem tamen fontis nunquã inueniri potuisse. Theodoretus q. 40. in Genesim opinatur non fuisse Angelos Cherubinos constitutos ante Paradisum: sed visiones quasdam horrificas, quæ ab ingressu Paradisi arcerent. *Theodor.*

Probabilior tamen, & textui sacro conformior est communis Sanctorum explicatio, vt verba sonant: scilicet, quòd muniuit Dominus Paradisum duplici custodia: tum flammei gladij, tum Angelorum, Cherubim enim eo loco non sumitur strictè pro octauo ordine Angelorum: supremi namque Angeli non mittuntur ad hæc inferiora ministeria: sed accipitur Cherubim pro Angelis: & est pluralis numeri, vt adnotauit Oleaster, id est, plures Angeli: qui quidem constituti sunt custodes Paradisi contra Diabolum: ne possit sumere de ligno vitæ ad decipiendos curiosos homines, vel auidos longioris vitæ. De fructu ligni vitæ fortè vescuntur in Paradiso Elias, & Enoch. Adamo verò apparuit Cherub in figura visibili cum flammeo gladio: sicut apparuit Balaam, atque Dauid districto gladio: iuxta illud Psalm. 104 *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignẽ vrentem, siue aciem gladij.* *Oleaster.* *Num. 22.* *Psal. 104.*

Deinde in his significantur nobis quatuor, quæ ingressum cœli intercludunt, videlicet, nimius appetitus sciendi, gladius irascibilis, flamma concupiscibilis, & versatilis hominis conditio, siue inconstantia in bono. Flammeus quoque gladius iusta est damnationis sententia, qua per peccatum clauditur cœlum: est tamen versatilis gladius, quia per Christi sanguinem, & per pœnitentiam aperitur. Deinde per gladium flammeum, labores, & tribulationes significantur, quibus in hac vita exerceri oportet, vt nobis aperiatur cœli ianua, iuxta illud Matth. 11. *à diebus Ioannis Baptistæ Regnum cælorum* *Quatuor sunt, quæ ingressum Paradisi intercludunt.* *Matth. 11.*

Vim pa-

vim patitur, & violenti rapiunt illud. Sine Christo, & tribulationibus nemini patêre potest ingressus in cœlum. Quare ante Christi mortem nulli quantumcunque amico concedebatur introitus: adeò, quod nec Moyses amicus, nec Dauid vir secundum cor Dei, nec Elias sectus, nec Hieremias lapidatus, imò nec Ioannes Baptista pro Christo decollatus, ante Christi crucem cœlum

Hebr. 9. ingredi potuerunt: sicut ad Hebr 9 docet Paulus. *In secundum tabernaculum semel in anno introibat solus Pontifex non sine sanguine: hoc significante Spiritu sancto, nõdum propalatam sanctorum viam, adhuc priore taberna-*

Ad Hebr. 11. *culo habente statum.* Idemque cap. 11. confirmat dicens: *iuxta fidem defuncti sunt, non acceptis repromissionibus: sed à longe eas aspicientes, & salutantes.* Christus verum ostium est, per quod ingressus in cœlum patêre cœpit. Atque ea ratione Abraham, cæterique antiqui Patres hoc ostium tam anxiè exoptarunt: sicut Christus Ioan-

Ioan. 8. nis 8. dixit: *Abraham Pater vester exultauit, vt videret diem meum: vidit, & gauisus est*

Nato Saluatore, & baptizato cœli aperiri cœperũt, per mortẽ verò omnino aperti sunt.

Nato quidem Saluatore cœli aperiri cœperunt. O fœlicissimam sortem nostram! quibus per Christum apertum est cœlum: sicut canit Ecclesia: *Hodie per totum mundum melliflui facti sunt cœli.* Cœperunt enim descẽdere, & ascendere Angeli veluti niuei globi super Christum Dominum, super præsepe: nunc cum Virgine sacra, nunc cum Ioseph colloquentes, nunc pastoribus magnum gaudium nunciantes, montes cœlesti claritate replentes, atque per aëra gloriam in altissimis concinentes. Per passionem verò Christi Domini in cruce pẽdentis cœli prorsus aperti sunt, imo dirupti. Impletumque

Esa. 64. que est Esa. desiderium: *vtinam dirumperes cœlos, & descenderes:* Sic Dominus in cruce pendens dixit latroni: *hodie mecum eris in Paradiso.* Luc. 23. Quòd si quæras, quare non sunt ostensi aperti, sicut in baptismo? Respõdetur primò, quia dies crucis non erat dies lætitiæ, sed mœstitiæ, iræ, & vindictæ peccatorum nostrorum: propterea visa sunt signa mœroris, & terroris: obscurato sole, tremente terra, monumentis apertis, petris scissis. Secundò quia noluit Redemptor in passione sua vllum habere solatium, sed omnino derelinqui secundum portionem

Quare in passione non sint visi cœli aperti super Christum, sicut in baptismo.

tionem inferiorem: id verò solatium visionis cœli aperti protomartyri Stephano tanquam primogenito suo per sanguinem nato reseruare voluit: vt in ipso cæteri omnes futuri martyres constanter, maximoque cumsolatio paterentur vidẽtes iam cœlos apertos. Tertia quoque ratio fuit, quia in cruce apertum est latus Christi, quod præstantius cœlum erat, vbi latebant secreta cœlestia. Hoc est ostium illud, quod Ioannes astans cruci vidit apertum in cœlo. Vbi verò maiora aperiuntur, non opus est, vt minora ostendantur. Quarta denique ratio est, quia in baptismo iam cœli aperti fuerant super Christum; & id quidem multis de causis. Primò, quia sicut per primi hominis inobedientiam Paradisus clausus est, sic per secundi Adami obedientiam, & humilitatem cœlum apertum est: atque ab ipso virtus sanctificationis in baptismum descendit. Adeoque in filij humilitate sibi complacuit Pater æternus, vt vix se se continere potuerit, quin aperuerit cœlos ad tam prodigiosum spectaculum. Cœli namque, atque cœlestes spiritus meritò obstupuere videntes, quòd Sanctificator, medicus, & salus omnium se profiteretur salute indigentem, & medela. Secundò in baptismo voluit Dominus cœlos aperiri, vt de hac fide, & veritate certi redderemur, quòd per baptismum tollitur impedimentum peccati: quia in illo abluimur in sanguine Christi, qui fuit verum pretium redemptionis nostræ: Quare persoluto pretio cœli aperti sunt. Et quia gloriosus Stephanus hodie baptismo sui sanguinis lotus, quasi pretium reddidit Redemptori, meruit primus videre cœlos apertos. Neque intelligere debemus sic materialiter cœlum fuisse apertum, atque diuisum, sed quia secreta cœlestia illi patuerunt. *Apoc. 4.*

Per passionem ergo, & mortem Christi aperti sunt cœli quoad pretij solutionem: In ascensione verò patuere cœli per adeptionem loci. Quare Psalm. 23. Angeli comitantes Christum ascendentem clamant bis, *Attollite portas Principes vestras.* Et quamuis aliqui intelligant primam acclamationem factam ad Principes inferni, quia quærentibus, *quis est iste Rex Gloriæ*, respondent, *Dominus fortis, & potens in prælio:* fortis enim fuit contra peccatum, mortem, Diabolum, & infernum; secunda *Per mortẽ Christi aperti sunt cœli per solutionem pretij: in ascensione per adeptionem loci.*

Psal. 23. verò acclamatio fiat ad Principes cœli: commodiùs tamen intelligitur locus, vt vtraque acclamatio fiat ad cœlestes Principes. Prior quidem ad inferiores Angelos, quasi primi atrij custodes, qui atrienses dicuntur, vt inter milites moris est; vt in primo atrio sit maior copia militum, quæ vulgo dicitur, *El cuerpo de Guardia*. Chaldæus legit: *Attollite porta domus Sanctitatis capita vestra: & eleuamini porta seculi* Alia lectio habet: *Erigite porta Paradisi horti Eden*, id est, voluptatis, *capita vestra: & eleuentur gradus seculi, vt ingrediatur Rex gloria.* Secunda verò acclamatio fit ad Angelos supremæ Hierarchiæ, nempe Cherubinos, & Seraphinos, vt latum ingressum, amplissimamq; viam ascendenti Victori Christo præparent: sicut in ingressu Principum moris est. Sic
Psal. 67. Regius vates Psal. 67. prædixerat: *Viderunt ingressus tuos Deus: Ingressus Dei mei, Regis mei, qui est in sancto. Entrada como de Dios, y de Rey.* Meritò quidem Angeli petunt, vt lata præparetur via, & portæ cœli aperiantur, quia Christus Dominus non sibi soli cœli possessionem apprehendit, sed & nobis: quia (vt Michæas cap. 2. prædixit: *Ascendit pandens iter ante eos.* Et ipse Dominus Ioan. 14 dixit: *Vado parare vobis locum.* Æquum enim fuit,
Rom. 8. *vt primogenitus in multis fratribus* illis omnibus locum
Heb. 2. pararet. Id, quod Paulus ad Heb. 2. eleganter dixit: *Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia: Qui multos filios in gloriam adduxerat, id est, adducere prædestinauerat, Authorem salutis eorum per passionem consummari.*

Inter hos multos filios primogenitus fuit gloriosus Stephanus, qui, velut alter Iacob, super lapidem obdormiuit, scalamque vidit *cœlum attingentem, & Dominum innixum scala, atque Angelos ascendentes, & descenden-*
Exod. 28. *tes per eam. Cumque euigilasset Iacob è somno, dixit: Verè Dominus est in loco isto: Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli. Surgensque mane tulit lapidem, & erexit in titulum, fundensque oleum desuper appellauit nomen loci Bethel, id est, Domus Dei.* Ecce gloriosus Stephanus non inferior fortitudine Iacob, veram scalam ad cœlestem beatitudinem per Christum paratam nobis quasi digito monstrat, Dominumque illi innixum,

dum ait: *Ecce video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Ecce fortissimus athleta Domini super lapidem, imò inter lapides obdormit lapidantes contemnens, præmium paratum intuens: videt siquidem Christum Dominum paratum ad se suscipiendum, atque coronandum: vt secundum nomen Stephani sit & laus sua. Dumque illum stantem videt, in manu ipsius videt non vnam coronam tantùm, sed diademata multa, vt coronetur quisquis legitimè certauerit Certemus ergo, militemusque (vt Paulus ait) bonam militiam, & percipiemus cum Stephano diadema gratiæ & coronam Gloriæ. Amen. *2. ad Tit. 2. 1. Tim. 2.*

IN EADEM SOLENNITATE,

CONCIO SECVNDA.

De cœlestis præmij magnitudine: Deq; lapidibus B. Stephani.

THEMA.

Ecce video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei, Act. 7.

PRincipis gloriæ iucundissimam natiuitatem ex Spiritu sancto, & Virgine Maria hesterno die celebrauimus: hodie ex desponsatione Christi cum Ecclesia primum fructũ, fœlicissimumque partum primogeniti Stephani recolimus. Christus heri natus ex virgine, Stephanus hodie natus ex sanguine: Christus heri natus ex spiritu, Stephan. hodie ex oratione pro inimicis natus est filius Dei: Sic.n. ait Dominus Matt 5 *Diligite inimicos vestros, & orate pro persequẽtibus, & calũniantibus vos: vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est.* Christ⁹ in præsepio inter bestias collo- *Matth. 5.*

catur: Stephanus inter Seraphinos in cœlo hodie coronatur. Vt de tam noua natiuitate, gloriosáque corona dignè dicamus, per Dei genitricem Mariam diuinam gratiam petamus dicentes: *Aue Maria.*

Cœlestis præmij magnitudo labores omnes dulces, ac suaues efficit. Cœlestis præmij magnitudo tanta est, vt illius consideratio ardua quæque, & quantumcunque difficilia vincat: ac labores omnes dulces, & suaues efficiat. Hoc est, quod Christus Dominus ait *Matth. 11.* *iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Non quidem negat Christus onus esse, atque iugum, suaue tamen, & leue ex præmij magnitudine. Id, quod ad *Rom. 8.* Paulus eleganter explicuit: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat* Et *2. ad Cor. 4.* ait: *id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ: supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed, quæ non videntur.* Quæ enim videntur temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt. Vbi Apostolus singula singulis eleganter contraposuit: præsenti sublimitatem, momentaneo æternum, leui pondus, tribulationi gloriam. Huius spes faciles, ac dulces labores reddit. Cùm verò futurum hoc præmium quamuis æternùm à nobis non videatur, oportet accedentem ad Deum per fidem credere, *quòd remunerator sit:* vt Paulus docet ad Heb. 11. Hanc quidem gloriam Moyses sibi ostendi à Domino postulauit: illi tamen Dominus respondit *(Exod. 33.)*: *non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & viuet.* Vnde *1. ad Cor. 2.* docet Paulus: *quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit,* quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum. Idem quoque euangelicus Propheta Esa. cap 64. prædixerat: *oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.* Absque te (inquam) Deus enim ipse est, qui pro beneplacito voluntatis suæ reuelat cœlestia mysteria. Multa quidem antiquis Patribus, Patriarchis, & Prophetis, ostensa sunt, sed per fidem: omnes fuêre testes ex auditu: quia per fidem tantùm, quæ ex auditu est, suscepere *(Rom. 10.)*. Ad maiorem tamen præmij certitudinem optabat mundus testes habere ocu-

bere oculatos. Adhoc datus est nobis vnigenitus Dei filius, qui oculatus est, & vetus testis, *qui est in sinu Patris, & ipse enarrauit.* Cæterùm, *Vt in ore duorum, Vel trium testium stet omne Verbum*, voluit diuina bonitas, secundum nobis adhibere oculatum testem cœlestis gloriæ inuictissimum martyrem Stephanum, qui, dum pro Christo patiebatur, dixit: *ecce Video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris Virtutis Dei.* Quod priuilegium illi concessum est, vt qui primus pro Christo sanguinem fundebat, primus martyr, testisque existeret Diuinæ gloriæ: Martyr enim idem est, quod testis: vt secuturos martyres quasi signifer, & antesignanus tanti præmij expectatione proposita in certamine confortaret. *Ioan. 1.* *Deut. 17.*

Cum voluit Dominus filios Israel in terram Chanaan promissam inducere, Moysi totius populi duci præcepit, vt mitteret viros exploratores, qui considerarent terram, qualis esset, qualisque populus ipsius habitator Et quamquam cæteri exploratores terræ difficultate proposita, Gigantum, qui illam incolebant procera statura, quorum comparatione, ipsi locustæ videbantur, timore ac tremore illos repleuerunt, adeò vt in Ægyptum reuerti vellent, Iosue tamen, & Caleb, vt populum excitarent, atque terræ illius desiderium accenderent, dixerunt terram esse vberrimam, lacte, & melle manantem. Ostenderuntque fructus dulcissimos malorũ granatorum, & ficuum, quos inde tulerant: maximè verò palmitem cum vua sua, quem in vecte duo viri portauerant. Ecce fœlicissimos, atque vberrimos cœlestis illius terræ viuentium fructus nobis hodie duo viri ostendũt: Christus verus Iosue, quem vidit Stephanus à dextris Dei: & ipse Stephanus tanquam alter Caleb: Caleb enim interpretatur quasi cor: Sic vtique fortissimus martyr inter lapidum turbines non despondit animum, quin potiùs diuina charitate inflammatus, quasi totus cor, & vir secundum cor Dei pro inimicis orat, nobisq; hortum illum beatitudinis ostendit dicens: *ecce Video cælos apertos.* Ecce nobis vberrimi, suauissimique cœlestis illius Patriæ fructus ob oculos proponuntur. Cur ergo negligimus? atqui, vt poëta dixit. *Num. 13.* *Stephanus Verus Caleb quasi Dux martyrum ad consecutionem palmæ futuros martyres confortans.*

—— Facilis descensus Auerni.
At reuocare gradum superasq; ascendere ad auras:
Hoc opus, hic labor est:

Difficile quidem iter, neque desunt Gygantes tam passionum interiorum, quam tribulationum, & hostium exteriorum. Quare Christus Dominus Matth. 11. dixit: *à diebus Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur: & violenti rapiunt illud.* Opus est, vt nobis ipsis vim inferamus: vt explicuit Ambrosius. *Deinde per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei*; vt dicitur Act. 14.

Matth. 11.

Ambr.

Vidit quidem Ioannes Apoc. 7. victrices palmas in manibus Sanctorum, vidit & coronas in capitibus eorum: Cæterum (vt Paulus ait) *non coronabitur, nisi, qui legitimè certauerit.* Arma verò militiæ Christianæ non offensiua sunt, sed defensiua: nempe patientia, & laborum tolerantia: *hæc est omnis armatura fortium, & mille clypei*, qui pendent ex collo, & turri Ecclesiæ: vt dicitur Cant. 4. Clypeus enim, quo hostiles ictus excipiuntur, patientia est. Sic de tolerantia Iacob dicitur Sapien. 10. *Certamen forte dedit illi, vt vinceret.* Pro virtute pati summa fortitudo est, vt docet Angelicus Doctor 2. 2. q. 123. art. 3 Imò Spiritus sanctus Prouer. 16. *Melior est patiens viro forti.* Laudent Romani Metellos suos, Curios, aliosque fortes, nos verò potiori iure laudamus Apostolos, & gloriosos martyres Ecclesiæ multò fortiores in sustinendo, quam fuerint persecutores in affligendo, & torquendo: vt eleganter docet D. Augustinus 1. de ciu. Eaque ratione Rupertus primam illam quadrigam equorum ruforum, quam vidit Zach. c. 6. tribuit gloriosis martyribus Fateor sensum litteralem secundum Hieronymum, Cyrillum, & alios sanctos esse de quatuor illis Imperijs, quæ sibi mutuò successerunt: nempe Chaldæorum, Medorum, atque Persarum, Græcorũ, & Romanorũ: sicut & Daniel. c. 2. in quatuor metallis statuæ eadem quatuor imperia ostēsa sunt: quæ per lapidē de monte excisum, id est, per Christi imperiũ æternũ, & omnium potentissimum comminuta sunt, & contrita. Scio quoq; non deesse, qui explicationem Ruperti de Apostolis, & martyribus repellat. Ego tamē antiquo-

2 ad Ti. 2.

Cant. 4.

S. Thom.

Prou. 16.

August.
Rupertus.
Zach. 6.
Hieron.
Cyrillus.
Quadrigarũ forũ equorum typus est martyrũ.
Dan. 2.

tiquorum Patrum sententiam, & explicationẽ summopere veneror, nisi fides, vel vrgentior ratio ab illis discedere cogat. Video tamen explicationi Ruperti fauere locum Abacuc.3 vbi de equis, & quadrigis in sensu allegorico dicit: *qui ascendis super equos tuos, & quadriga tua saluatio* Inferiusque subdit: *Viam fecisti in mari equis tuis*. Vbi certe in eodẽ sensu allegorico de iustis, & martyribus, super quos Christus ascendit, Propheta loquitur, quibus per medias tribulationum vndas tutissimam viam in beatitudinem præparauit: quique exemplo suo æternam salutem, & saluationem Ecclesiæ attulerunt. Diuus quoq; Gregorius lib.31.moral c.18.de Sanctis prędicatoribus interpretatur illud Iob 39 *Nunquid præbebis equo fortitudinem? Aut circundabis collo eius hinnitum*. D. quoque Aug tom 4.lib.vn. annota. in Iob explicans eadem verba Iob ait: martyrem intrepidum, & alacrem videtur describere: qui virtute Christi circundatus contemnit tribulationes: Imò illis audacter occurrit: & in illis gloriatur. In quadriga ergo ruforum equorum, quæ ex montibus æneis, id est, ex Ecclesiæ fortitudine egreditur, primus equus, in choro martyrum Stephanus est: Imò dux, & auriga cœlestis quadrigæ martyrum Ille prima spica est in agro Ecclesiæ germinans ex grano frumenti in cruce mortificati. Primitiæ, atque primogenita solẽniter Domino consecrabãtur. Primogenitis quoque cuncta duplicia deberi explicuit Dominus Deut.21. Quare gloriosus Stephanus *dupleci honore dignus est*. Quòd si primis inuentoribus multũ debemus, sicut Cõcione 6 de B. Andrea latè disseruimus: plurimum vtique primò martyrum Duci Stephano debemus, qui constãti effusioni sanguinis pro Christo viam aperuit.

Antiquorum Patrũ vestigiis insistendum.
Abacuc.3.
Gregor.
Iob. 39.
D.August.
Ioan.12.
Deut. 21.

Persecutionum vtique tolerantia supremum gradum tenet in perfectione Euangelica; quare Dominus Matt. 5 illam constituit octauo loco: quia numerus est perfectus, & typus beatitudinis. Sic Dauid Psalm.7. & 11. vbi de resurrectione agitur, titulum inscripsit: pro octaua. Quare ad hunc octauum, atq; supremum gradum magnum auxilium Dei requiritur: iuxta illud Psalm. 83. *Beatus vir, cuius est auxilium abs te*. Hæc duo ad ingressum beatitudinis nobis necessaria, nẽpe labores, ac tribula-

Persecutionũ tolerantia supremũ gradum tenet in perfectione euangelicâ.
Matth.5.
Psal. 83.

bulationes, & diuinum auxilium, in antiqua illa Paradisi, & ligni vitæ custodia significata sunt *Collocauit enim Dominus ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium* : vbi gladius tribulationum typus est: Cherubim verò multitudo scientiæ interpretatur. Christus Dominus est Cherubinorum Princeps: *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi.* Vnde Apocal. 1. vidit Ioannes *similem filio hominis : & de ore eius procedentem gladium vtraque parte acutum.* Ipse enim est verus filius Dei, atque filius hominis, qui vna manu tenet gladium, & labores immittit, altera verò auxilium, & vires ad tolerandum præstat. Virga est, quæ aquas maris, & Iordanis diuidit. Lignum est, quod aquas Marath in dulcedinem conuertit. Sal est Elisæi, quod in aquas mortiferas Hierichôtinas immissum sanitatem contulit. Sicut enim aquæ ex vena transitus, siue sulphurea, siue frigida, siue fœtida, siue amara saporem, & qualitates accipiunt: vt experimento compertum est: sic aquæ tribulationum à Christo Domino dulcedinem acceperunt. Ipse enim est, qui ait: *omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt.* Et iterum Psal. 68 *intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* Ex Christo ergo Domino aquæ tribulationum in dulcedinem conuersæ sunt.

Christus cherubin vna manu habēs gladium, altera auxilium præstans.

Apoc. 1. *Exod 13.* *Exod. 15.* *4. Reg 2.* *Psal 41.* *Psal. 68.*

Idem quoque videtur nobis insinuasse Regius vates in difficili illo versu Psalmi 74. *Calix in manu Domini vini meri, plenus mixto* : ac si dicat: Christus Dominus de torrente laborum, vt alibi dixit, in via bibit, calicemque vini meri dolorum, & laborum, atque tristitiæ, a Patre derelictus absque vlla mixtura solatij : amicis verò suis propinat eundem calicem laborum, sed plenum mixto, id est, mille solatijs temperatum: tum ex Christi consortio in laboribus: tum ex tam excelsi præmij contemplatione Id, quod Daniel, & duo ipsius socij in Babylonicum fornacem iactati, quia noluerunt adorare statuam Nabuchodonosor, manifestè experti sunt. Ignis enim combussit ministros, & vincula sanctorum puerorum: ipsos verò nullo modo tetigit flamma, neq; contristauit : *quia angelus Domini descendit in fornacem, & excussit flammam ignis, & fecit medium fornacis,* *quasi*

Psal. 74. *Psal. 109.* *Dan. 3.*

quasi ventum roris flantem: ita vt deambularent pueri in medio fornacis laudantes Dominum: id, quod videns Rex, & admirans laudauit quoque Deum Danielis. At qui tribulationes, & persecutiones ignis sunt, sed non exurunt, quin potius vincula soluunt; quia Angelus Domini flammam excutit, & in medio ignis ventum roris flantem inducit: imò diuina sua virtute efficit, vt tribulationes nutrimentum sint, & lac iustorum: & sicut varia animantia variis elemẽtis nutriuntur; Talpa terra, piscis aqua, Camælæon aere, Salamãdra igne; tribulatio omne elementum est iustis: terra est, quæ calcata fructum cœlestem germinat, aqua, qua cœlestis plãta irrigatur, aer, quo respirat, ignis, quo purificatur. *Tribulationes nutrimentum sunt iustorum, atque elementa quibus viuunt.*

Hoc est, quod vidit Ezechiel cap. 1. *Splendor ignis, & de igne fulgur egrediens*: Quia de igne tribulationis egreditur lux veritatis in cœlum deducens; Sicut & Abacuc 3. dicitur: *In luce sagittarum tuarum ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* Sicut qui in nocte tempestate tonitruorum, & fulgurum agitatus, timoreque plenus iter facit, quanquam sonitu, & vibrante lumine terretur, ipso tamen lumine iuuatur, vt iter aspiciat: sic Christus Dominus ex ipsis tribulationibus cœlestem lucem educit. Alludit verò Propheta eo loco ad mirabilem illam victoriam, quam Iosue habuit, cum stetit sol in medio cœli *obediente Domino voci hominis.* Sic nimirum gloriosus Stephanus in medio certamine videt solem iustitiæ Christum stantem, & quasi ipsius fortitudinem contemplantem, cœlosque aperientem, vt cœlicolę omnes tanti Ducis fortitudinem admirentur. Sic enim ait Paulus 1. ad Corinth. cap 4. *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus.* Stephanus non tantùm mundo, & Angelis spectaculum factus est, sed ipsi Christo vero Deo prodigiosum spectaculum apparuit; qui simul illum intuebatur, atque virtutem præstabat, iuxta illud Psalm. 90. *Cum ipso sum in tribulatione*: & ad Philipp. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Nihil ergo est, quod labores, neq; tribulationes, vel Gigantes timeamus, quia (vt Caleb ait) *sicut panem ita eos possumus deuorare. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos?* Quare cum laborum impetus ingruerit, dicamus cum Regio vate: *In te inimicos no-*

Simile. *Abacuc 3.* *Iosue 10.* *1. ad Cor. 4.* *Num. 14.* *Rom. 8.* *Psal. 43.*

eos nostros ventilabimus cornu, id est, fortitudine plusquam taurina spernemus, subijciemus, & conculcabimus.

Cæterùm non caret mysterio, quod alij martyres varijs supplicijs coronati sunt: quidam gladijs iugulati, alij cruci affixi, alij igne exusti: Stephanus verò primus martyr lapidibus est obrutus. Quid hoc? Non vtique sine diuino consilio factum arbitror. Primum enim video fundamentum Ecclesiæ iactum in Christo, qui *lapis* ille est paruus *de monte excisus, qui creuit in mõtem magnum:* de quo Daniel. cap. 2. & Esa. cap. 28. *Ecce ego ponam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum*, &c. quem Paulus ad Ephesios capite 2. explicuit esse Christum: & Petrus 1 capite 2 Ipse quoque Petrus, vt Christi Vicarius à petra dictus est: Sicut Matth. cap. 16. dixit illi Dominus: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ea nimirum ratione voluit diuina bonitas, vt ad firmitatem ædificij Ecclesiæ, quod sanguine martyrum construendum erat, super primum martyrem lapides congererentur. Quanquam enim à lapidantibus inordinatè, atque iniquè iaciebantur, Spiritus tamen sanctus operis architectus lapides ordinabat. Sicut & Athanasius dicit de purpura, spinea corona, & arundine, Christo Domino ab impijs hominibus per ludibrium delatis: Quanquam enim per contumeliam ista faciebant, tamen ignorantes, & inuiti spoliabantur: victoriæque, ac regni insignia victori, & Regi Christo deferebant. Similiter in Stephani lapidibus factum considero. Sic enim de fabrica Ecclesiæ per Esa. Dominus prædixerat: *Paupercula tempestate conuulsa, & absq; vlla consolatione: Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Sapphiris.* In nauis quoque structura videmus, quod vt tutius super aquas enatare possit, in ima parte lapides congeruntur, qui vulgò dicuntur, *El lastre del nauio*, vt onerata nauis firmior consistat. Sic post erectum malum, atque antennam crucis Christi in naui Ecclesiæ, lapides Stephani firmitati ipsius, tutæque nauigationi plurimùm conducunt; vt adoptatum portum beatitudinis fœliciter appellat. Hunc nobis, quasi digito ostendit gloriosus Stephanus, dicens: *Ecce video cælos aper-*

Christus lapis est fundamēti Ecclesiæ. *Dan. 2.* *Esa. 28.* *Athanas.* *Esa. 54.* *Lapides Stephani firmitati, atq; secu-*

apertos: vt ergo illum consequamur à lapidato Stephano petamus, vt fidei firmitatem, constantemque laborum tolerantiam nobis obtineat, diuinęq; gratię efficaciam, quæ lapidea corda emolliat, quæ aquam de petra, oleumq; educat; quin, & ignem charitatis excitet qui terrenos omnes affectus exurat, in Deique, & proximorum amorem sic accendat, vt etiam inimicos discamus diligere: sic enim generabimur in filios æterni *Patris, qui in cælis est*: sicut Christus Dominus Matt. 5. promisit: *Quod si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autē Christi*. Hæredibus autem incipiet manifestari hæreditas apertis cœlis nūc per gratiam, & in futuro per apprehensionem possessionis gloriæ.

ritati naus Ecclesia plurimum cōducunt.

Rom. 8.

IN EADEM SOLENNITATE,

CONCIO TERTIA.

De Angelica dignitate Beati Stephani.

THEMA.

Intuentes autem omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli. **Act. 7.**



N Christi Iesu gloriosa natiuitate mirabilem illam visionem Patriarchę Iacob inchoatam vidimus, qua scala illi ostensa est, *per quam Angeli descendebant, & ascendebant*: Hodie verò cōpleta est. Tunc enim *Angelus magni consilij*, de Virgine natus, de cœlo descēdit, descenditq; cum illo Angelorū multitudo, laudātium Dominū, & gloriā in altissimis concinentiū: hodie Stephanus in facie Angeli terrigenis apparet, illiq; aperiūtur cœli, vt per scalā in suum proprium domicilium, & Angelorū habitaculū trium-

Gen. 28.
Esa. 9.

triumphator ascendat. De hoc Angelo dicturi Angelorum Reginam inuocemus, dicentes: *Aue Maria.*

Dionys. Eccl. 1. Diuina bonitas, quæ (secundum doctrinam Dionysij) est summè diffusiua sui, secundum mensuram suæ voluntatis variis modis, atque mensuris effusa est super omnia opera sua. Omnia namque *in pondere, numero, & mensura* constituit. *Sap. 11.* Inferioribus quidem creaturis vestigium multiplex diuinę perfectionis impressit: Hominem verò ad imaginem, & similitudinem suam, immisso spiraculo vitæ in limum terræ sublimiter effinxit. Cęterùm, quia materia erat lutea, atque rudis: voluit diuina sapientia in lamina aurea, magis tersa, & subtili suam imaginem expressius depingere. Hæc fuit supremi Angeli formatio, de quo dicitur Ezech. 28. *Ezech. 28.* *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, perfectus decore,* &c. *Simile.* Sicut Reges terræ pretiosissimæ gemmæ solent stemmata sua insculpere, vt eo sigillo maxima quæque negotia signēt: Sic videtur Lucifer vocari à Propheta *signaculum similitudinis: Con que Dios echo el sello à sus obras:* fuitque adeò perfectum signaculum, quod delusus est miser: Et vt *Esa. 14.* Esa cap. 14 dicitur: *Detracta est ad inferos superbia ipsius.* Quare Michael, & Angeli eius iactato Lucifero cum complicibus Angelis in infernum, atque in æternum detrusis meritò illudentes improperant, dicentes: *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui manè oriebaris? Qui dicebas in corde tuo, in cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium; ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verùm tamen ad infernum detraheris, in profundum laci.* *Suprema sedes Luciferi Stephano delata videtur.* Supremam illam sedem miser amisit, quia seipso plenus, Deo vacuus fuit. Æquum ergo fuit eam sedem dari hodie glorioso Stephano, qui vacuus seipso, atq; amore proprio: plenus fuit fide, Spiritu sancto, sapientia, & fortitudine. Vnde omnes, *qui astabant, viderunt faciem eius, tanquam faciem Angeli:* Ecclesia quoque de illo canit: *Tu principatum tenes in choro martyrum similis Angelo.*

De gloria primi Angeli dicit Propheta: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia.* In signaculo stemmata imprimuntur. Sapientia, & arma duo sunt, quæ maximè illustres reddunt homines. Christus Dominus sapientia

pientia est, & fortitudo Dei, in illo enim sunt *thesauri sapientia, & scientia Dei absconditi* ad Col 2. In cruce verò pendens summam fortitudinem suam apertè declarauit, dum pro se crucifigentibus orauit Patrem, dicens: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt* Hæc oratio in fine vitæ illustrauit omnia præclara gesta Christi: *Con que echo el sello à su charidad, y fortaleza.* Stephanus in martyrio plenus sapientia imitatus est Christi Domini charitatem, & fortitudinem, dum pro inimicis orauit, dicens: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Christus Dominus similitudo est paternæ gloriæ. Stephanus verò *signaculum similitudinis.* De Christo cecinit Regius vates, Psalm. 88. *Ego primogenitum ponam illum: excelsum pra Regibus terra.* Quod Paulus ad Philipp 2. explicuit: *Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Sic Stephanus primogenitus est Christi: in illiusque typo, & figura, Genes. 49. dixit Iacob primogenito suo: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei: prior in donis, maior in Imperio.* Ruben interpretatur, videns filium, quod Stephano rectè congruit, *qui intuens in cælum vidit Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Fortitudo mea: Quia plenus sapientia, & fortitudine faciebat prodigia, & signa magna in populo. Principium doloris mei*, quia primus fructus dolorum Christi: Et quia primus fuit, in quo Christus passus est: dolores siquidem martyrum, tanquam amicorum cor Christi Domini maximè vulnerant. Sic enim per Zach. cap. 2. ait: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Prior quoque fuit in donis:* quia accepit primitias Spiritus sancti: fuit enim *plenus spiritu sancto*, & primus in martyrio palmam præripuit. Primus est, qui intuens in cœlum vidit gloriam Dei.

Col. 2.

Stephanus signaculũ est diuina similitudinis.

Psal. 88.

Genes. 49.

Stephanus primogenitus est Ruben, id est, videns filium.

Zach. 2.

De Angelo illo supremo subdit Propheta Ezech. *perfectus decore.* Hieronymus sequutus translationem 70. legit: *perfectus corona decoris.* Vnde vocat Stephanum coronatum iuxta nominis sui etymologiam, dignumq; suo nomine Verè perfectus fuit decore, quia similitudinem gessit Christi: *Qui splendor est gloria, & figura substantia Patris, & qui speciosus fuit forma pra filijs hominum.* Christus quoque spinis, ac tribulis coronatus est,

Ezech. 28.

Hieron.

Stephanus perfectus decore, quia similis Christo.

Hebr. 1.

Stepha-

1. Reg. 23. Stephanus corona tribulationum. Et sicut Dauid olim
Psal. 20. à Saul, & viris eius in modum coronæ circumdatus est: sic Stephanus à lapidantibus circumdatus, atque coronatus est. Spiritus enim sanctus, qui præuenerat *eum in benedictionibus dulcedinis, posuit in capite eius coronam*
Simile. *de lapide pretioso.* Ex duris enim, & impiis lapidibus
Vnctio Spiritus sancti dura emollit, & perficit. Spiritus sancti vnctio pretiosos lapides efficiebat: sicut solent periti artifices rudes lapillos oleo expolire, & perficere.

Magno quidem Domini beneficio, ac priuilegio tres illi discipuli in monte Thabor viderũt stillam aliquam, & particulam gloriæ Christi: viderũt enim splendorem, & claritatem ipsius, vestiumque candorem: vocem Patris audierunt, lucidaque nube Spiritus [illegible] obumbrati sunt Et quanquam non viderunt plene gloriam Chri-
Matth. 17. sti, præcepit illis, vt nemini dicerent. Paulus quoque in tertium cœlum raptus, nesciens tamen an in corpore, an extra corpus audiuit *arcana verba, quæ non licebat illi lo-*
2. Cor. 12. *qui*, vt ipse fatetur 2. ad Cor. 12. Stephanus verò adhuc in mortali corpore, dum lapidum turbine cõcuteretur, vidit secreta cœlestia: concessaq; est illi facultas ea prædicandi, & manifestandi: dixit enim: *Ecce video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Videtur vtique Princeps gloriæ Christus cœlesti curia comitatus illi occurrere; & Spiritus cœlestes apertis cœlis ipsi obuiam venire, vt tanquam Angelum primæ sedis hæredẽ in eius possessionem deducant. Et sicut illi per eundem Prophetam Ezechielem dictum est: *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* Sic Beatissimo Stephano potiori iure adaptare possumus. Negotiator siquidem cœlestis lapides ex impietate iactatos in pretiosas Margaritas conuertit: ex quibus Ecclesiæ militantis, atque cœlestis Hierusalem ædificium inciperet consurgere. Implere-
Esa. 54. turque Esa. vaticinium cap. 54. *Dixit miserator tuus Dominus: paupercula tempestate conuulsa, absq; vlla consolatione: Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Saphiris: ponam Iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos: & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.* Lapides siquidem Stephani desiderabiles sunt, quibus fundari cœpit Ecclesia, portæ erigi,

termini

termini omnes illius circumdari, atq; firmissima propugnacula communiri.

Inter omnia ornamenta summi Sacerdotis excellentissimum locum tenebat rationale, quo pectus illius ornabatur, cùm ingrediebatur Sancta Sanctorum: vt habetur Exodi 28. *Erat enim textura illius ex auro, hyacintho, & purpura, coccoq; bis tincto, & bysso retorta.* Continebat etiam quatuor ordines lapillorum. Verè videmus gloriosum Stephanum, quasi rationale, præclarumque ornamentum pectoris summi Sacerdotis Christi. Textura illius ex opere polymito, virtutum omnium, ex auro charitatis: Hyacintho cœlestis conuersationis. Ecce enim adhuc viuens videt sibi cœlos apertos. Purpuram, coccumque bis tinctum sanguis Christi cum sanguine Stephani conficiunt, perfectissimeque tingunt. Byssus retorta caro munda est ipsius martyris, quæ varijs supplicijs, & lapidum ictibus afflicta, & retorta est. Neque desunt illi pretiosi lapides: *Omnis namque lapis pretiosus operimentum ipsius fuit.* In rationali quoque doctrina, & veritas ponebantur, quæ nunquam defuerunt in pectore protomartyris: fuit enim *plenus sapientia*, & in doctrina Christi, & Apostolorum eminenter instructus, atque pro veritate mortem subire non dubitauit. O fœlicissimum, & nunquam satis pro meritis laudatum gloriosum protomartyrem! *Tu verè es Cherub plenus sapientia: extentus* per charitatem, protegens Ecclesiam Dei. *In medio lapidum ignitorum ambulasti*: Nimirum inter Apostolos, qui igne Spiritus sancti igniti fuêre, conuersatus: lapidum turbine concussus à die conditionis, & electionis tuæ semper processisti crescens, & vltra progrediens, donec apertos cœlos penetrasti, peruenistique ad sublimem sedem gloriæ, quam nobis præstare dignetur Iesus Christus. Amen.

Exod. 28.

Stephanus quasi rationale est pectoris Christi.



IN

IN EPISTOLAM EIVSDEM FESTIVITATIS, Act. 6. & 7. cap.

Meditationes, siue fragmenta.

1. *Plenitudo cœlestium nô admittit terrena* STEPHANVS *plenus gratia.* Vas plenum nô admittit alios liquores: sic Spiritus Deo plenus omnia temporalia respuit, vanaque mundi gaudia contemnit. Sicut Dauid cœlestium amore captus, Psalm 76. ait: *Renuit consolari anima mea.* (*Psal.* 76.) Plenitudo hæc non est grauis, quinimò cor eleuat ad cœlestia. Sicut Virgo Maria plena Dei filio ascendit in montana cum festinatione. (*Luc.* 2.) Dona enim Spiritus sancti mentem eleuant, melius, quam pennæ columbæ: nisi dicamus dona ipsa pennas esse columbæ, siquidem Spiritus sanctus in specie columbæ super Christum baptizatum apparuit. (*Matth* 3.) Diuinus Spiritus summam agilitatem, ac velocitatem tribuit: Sicut Sapient. cap. 7. dicitur: (*Sap.* 7.) *Omnibus mobilibus, mobilior est sapiētia.* Hoc est, quod de iustorum via sub typo, & visione sanctorum animalium Ezech. cap. 1. dixit: (*Ezech.* 1.) *Animalia ibant in similitudinem fulguris coruscantis.* Hæc quoque plenitudo fortitudinem præstat: qualem habebat Paulus, cùm dicebat: (*Rom.* 8.) *Quis nos separabit à charitate Christi? Certus sum, quia neque mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Simili fortitudine munitus erat Stephanus, cuius sapientiæ, & spiritui nullus resistere poterat.

2. *Filij huius seculi filios Dei persequuntur.* *Surrexerunt quidam de Synagoga disputantes cum Stephano* Semper filij huius seculi filios Dei persequuntur, sicut ad Galat cap 4. Paulus ait: *Quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum natus est: ita & nunc* Isaac puteos fodit, Philisthæi verò puteos terra obstruxerunt, Genes. cap. 26. Ioseph veste polymita à Patre indutus, atq; præ cæteris filiis dilectus, à fratribus odio est habitus, Gen.

7. Dauid ſimiliter, dum laudatur, & cum gloria excipitur, à Saule præ inuidia odio habetur, neq; rectis oculis illum intuebatur, 1. Reg. 17.

3. *Viderunt vultum eius, vt vultum Angeli.* Ecce rubus ardens, & incombuſtus: homo in tribulatione lapidum Angelus apparet. Auguſtinus, *Vbi palea comburitur, aurum rutilat: vbi peccator denigratur, iuſtus lætatur, & purificatur.* Ignis Babylonicus miniſtros combuſſit, Danielem verò, & ſocios omninò non tetigit neq; contriſtauit, quin potius leni aura perflauit, atq; refecit.

Auguſt. *Dan. 3.*

4. *Viderunt vultum eius, vt vultum Angeli.* Stupenda eſt impiorum hominum crudelitas, & immanitas, ſiquidem videntes vultum Angeli, neque flectuntur, neque à perſecutione, & lapidibus deſiſtunt. Leones, & Tigrides coram ſeruis Dei manſueſcunt, & illorum pedibus humiliantur: homines verò iuſtorum patientia, & manſuetudine crudeliores redduntur. Cùm Rex Darius Danielem in lacum Leonum miſiſſet, annulo ſuo, atq; annulo optimatum lacum prudenter obſignauit Daniel. cap. 6. Redditur ibi ratio: *ne quid fieret contra Danielem:* magis ſiquidem illi timebat ab hominum ſæuitia, quam leonum. Et meritò, nam conſurgens Rex diluculo, feſtinuſq; pergens ad lacum leonum, illum incolumem, & illæſum inuenit.

Crudelitas impiorum hominum maior eſt quam ferarum. *Dan. 6.*

5. *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* O ineffabilem Stephani charitatem! Cùm enim lapidum turbine quateretur, magis ſentiebat ſpiritualia vulnera ſe lapidantium, quam proprij corporis ictus. Inter prodigia, & ſigna magna, quæ faciebat in populo, hoc fuit mirabilius, & potius ſignum; in quo maximè imitatus eſt Dei filium, & per quod meruit vocari filius Dei. Maius enim fuit, & excelſius ſignum pro inimicis orare, quam cæcos illuminare, & ægros ſanitati reſtituere. Verè erat plenus gratia: qui fontem gratiæ Chriſtum in cruce pro inimicis orantem imitatus eſt: atque adeò oratione ſua (vt Auguſtinus ait) nobis lucratus eſt Paulum ex Saulo: qui fuerat *conſentiens neci eius:* Facta enim oratione pro inimicis obdormiuit in Domino. Paſſus verò eſt martyrium ſub Tiberio Cęſare anno trigeſimo quarto nati Saluatoris: cuius corpus Romam tranſlatum in Baſilicam

Auguſt.

Diui Laurentij adeò vrbanè à Laurentio ibi iacente exceptum est, vt glorioso Stephano, tanquam primo martyri primas dederit Laurentius, loculum suum in sinistrā transferens, dexteram Stephano concedens. Ob quam causam ab Italis nuncupatur Laurētius vrbanus Hispanus: *El cortes Espannol.*

IN EVANGELIVM EIVSDEM SOLENNITATIS, Matth. 23.

Annotationes, siue fragmenta.

1. *Summa Dei prouidentia in mittendis ministris Ecclesiæ.* *Hiere. 25.*



CCE *ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas* Primo locus sese offert dicendi de summa Dei nostri in humanum genus benignitate, & plusquam paternali prouidentia; qua pro varietate temporum varios ministros Ecclesiæ suæ semper prouidit, nūc mittens Patriarchas, nunc Martyres, & Prophetas, Doctores, & Prædicatores. Sicut Hierem. capite 25. habetur: *Locutus sum ad vos de nocte consurgens, & loquens, & non audistis. Et misit Dominus ad vos omnes seruos suos Prophetas consurgens diluculò, mittensque: & non audistis, neque inclinastis aures vestras, vt audiretis.* Idem quoque nos docuit Redemptor noster celebri illa parabola Patrisfamiliâs, qui *exijt primo manè conducere operarios in vineam suam* Eademq; cura & solicitudine egressus est circa horam tertiam, sextam, nonam, & vndecimam: vt habetur Matth.

Matth. 20. 20 De qua re proprius locus est Dominica in septuagesima Varia verò Ecclesiæ munera, & ministeria Apostolus ad Ephes. 4. explicuit, dicens: *Ipse dedit quosdam*

Ephes. 4. *quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij: in ædificationem corporis Christi.*

2. *Ecce ego mitto.* Sublime est ministerium Euangelicum, atque

atque tremendum: atque adeò opus est, à Domino mitti: multi enim illud vsurpant, qui à Domino nō mittuntur: Contra quos Dominus inuehitur, Hiere. 23 dicens: *Ecce ego ad Prophetas, qui furantur verba mea, qui assumunt linguas suas, & aiunt: dicit Dominus, & seduxerunt populum meum in mendacio suo: cùm ego non misissem eos, nec mandassem eis.* Et iterùm ait: *Non mittebam eos, & ipsi currebant.* Non sic Apostolus Paulus, qui a Domino de cœlo vocatus, & sicut vas electionis in Euangelium electus dicebat ad Rom 10 *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur.* Ipse verò tanquam Doctor gentium, & minister Euāgelicus a Domino destinatus, 2. ad Cor. 5. ait: *Pro Christo legatione fungimur, tanquā Deo exhortante per nos: obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* *Sublime, & arduū ministeriū Euangelicum.* *Hiere. 23.* *Rom. 10.* *2. Cor. 5.*

Ex illis occidetis. Similiter Luc 10. mittens Dominus discipulos suos, prædixit; quid a mundo expectare deberent Apostoli, & veri prædicatores Euangelici, non delicias, non præmia temporalia, non laudes, neque fallacem populi auram, non honores, sed contumelias, persecutiones, supplicia, & mortem: sic enim dixit: *Ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos:* quasi dicat: nihil dignius à mundo expectare debetis, quam agnus expectat à lupo. Et Ioan. 15. similiter Dominus prædixit: *Non est seruus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Sic nunc ait: *Ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis.* 3. *Quid prædicatoribus Euangelicis à mundo expectādum sit.* *Ioan 15.*

Ex illis occidetis; Impletur diuina prædictio contra serpentem, & semen ipsius, Genes 3 vbi in sensu mystico prædixit Dominus odium, & inimicitias impiorum hominum contra iustos. Impij enim filij sunt Diaboli, sicut Christus Ioan 8 dixit: *Vos ex patre Diabolo estis.* Iusti verò filij Dei sunt; *& semen, cui benedixit Dominus:* sicut dicitur Esa. 61. Id igitur Dominus prædixit serpenti: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius.* Et Eccl 33. habetur: *Contra malum bonum, & contra iustum peccator.* Hic quoq; locus aperitur dicendi de necessaria iustorum persecutione, deq; ipsorum patientia, & tolerantia, quæ loca sunt communia. 4. *Intestinū odium inter filios Dei, & filios Diaboli à Domino prædictum.* *Esa. 62.* *Genes. 3.* *Eccl. 33.*

Hierusalem, Hierusalem; Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina, &c. Immensa Saluatoris 5.

R 2 clemen-

clementia, & ineffabilis amor his verbis insinuatur. Dum enim supplicium, & pœnas comminatur, vrbis excidium, & euersionem, tanto tamen amore languet, vt cordis pietatem, & animi teneritudinem nō possit non explicare: tū in illa vocis geminatione; *Hierusalem, Hierusalem*; tum, dum se gallinæ comparat, quæ pullorum amore contabescit. Sic Esa. 1. Hierusalem ciuitatis deuastationem, & captiuitatem prædicens; quasi dolore cordis tactus ait: *En ego consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis*. Et Luc. 19. *Videns Iesus ciuitatem fleuit super illam*. Rectè sanè Regius vates vir secundùm cor Dei, diuiniq; cordis misericordiæ viscera agnoscens dixit Psal. 67. *Nunquid continebit in ira sua misericordias suas?*

Esa. 1. *Luc 19.* *Psal. 76.*

6. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos*, &c. Sub hac metaphora satis Dominus expressit cordis affectum, animi teneritudinem, atque solicitudinem pro salute humani generis. Gallina enim inter omnes aues maiori affectu pullos prosequitur, pro illorum educatione infirmatur, cibum solicitè quærit, inuentos pullos conuocat, neque comedit, vt pullis comedendum relinquat: & vt vulgò dicitur, *de la boca selo quita*. Deinde ab iniuriis milui protegit, imò contra illum pullos aggredientem tota hispida, & bili percita insurgit, aduolat. Pipientibus verò pullis velociter accurrit. Sic Regius vates Psalm 146 dixit: *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum*. Neque minori cura, & amore humanas preces exaudit: sicut Psalm. 90. ait: *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum*. Et Psalm 122. *Ad Dominum cùm tribularer, clamaui, & exaudiuit me*. Et Ose. 11. *Ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachijs meis, & nescierunt, quod curarem eos: in funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*. Quod si Paulus ex charitatis affectu 2 ad Corinth cap. 11. ait: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Quantò potius id diceret Dominus noster Iesus, *qui pro nobis exinaniuit semetipsum*: vt Paulus ait ad Philip. 2. Et qui in horto pro nobis contristatus pauere cœpit: &, vt vera gallina, alis, & brachiis in cruce expansis languores, & dolores nostros

Singularis gallinæ amor, & solicitudo multis modis typus Christi.

Psal. 146. *Psal 90.* *Ose 11.* *2. Cor. 11.* *Phil. 2.*

ſtros portans, vt ſub vmbra alarum ſuarum nos protegeret, vitam finiuit, vt illius triſtitia, pauore, & morte Apoſtoli, & martyres in ſuis ſuppliciis ſolatio, imò gaudio replerentur. Sicut Andreas crucem gaudens aſpexit: Laurentius ſuper prunas ardentes conſtanti animo tyrannum deriſit: Stephanus inter lapides Angelus apparuit, cœloſque apertos lætus aſpexit. Iacta ergo ſicut pullus *cogitatum tuum in Dominum, & ipſe te enutriet.* *Pſal. 54.* Et ſicut pullus nunquam quieſcit, neque ſatis tutus eſt, niſi ſub pēnis matris, ſic nec nos tuti ſumus, niſi ſub vmbra alarum Chriſti; ſub illis protegimur, & confouemur. Meritò inſtanter petit Eccleſia cum Regio vate; *Cuſtodi nos Domine, vt pupillam oculi, ſub vmbra alarum tuarum protege nos.* *Pſal. 16.*

7. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta* Multa ſupplicia Dominus comminatur populo ſuo, Eſa. 1. Cæterùm illud quaſi grauius vltimo loco conſtituit. *Derelinquetur filia Sion,* &c. nullum enim atrocius ſupplicium, quam abſentia Dei, & diuinæ protectionis. Adam cum ſe nudum vidit, ſummopere afflictus eſt: non tam corporalem nuditatem ſentiens, quam diuinæ protectionis abſentiam Et Cain poſt fratris homicidium diuina protectione ſeſe deſtitutum agnoſcens dixit: *Omnis, qui inuenerit me, occidet me.* Samuel Saulis diligentia per pythoniſſam ex mortuis reuocatus, cum illum maximè deſolatum videret, audiretque, dicentem: *Dominus receſſit à me*: Reſpondit: *Quid interrogas me, cum Dominus receſſerit à te?* Quare Pſalm. 70 inimici Dauid dicebant: *Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum, quia non eſt, qui eripiat.* Petamus igitur cum ipſo Dauid: *Deus ne derelinquas me* Et iterum: *Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.*

Eſa. 1. *Abſentia diuina protectionis vltimum ſupplicium.* *Gen. 3.* *Gen. 4.* *1. Reg. 28.* *Pſal. 70.* *Pſal. 130.* *Pſal. 50.*

IN FESTO SACRI IOANNIS APOSTOLI, & Euangelistæ,

CONCIO PRIMA.

THEMA.

Hic est discipulus ille, quem diligebat Iesus. Ioan. 21.

SAcer Euangelista Ioannes, cuius festiua solennia hodierno die recolimus, aquila illa est sublimis, quæ ad præceptum Domini
Iob 39. eleuata *in arduis posuit nidum suum: indeq; contemplatur escam.* Sphæram enim solis iustitiæ Christi, *qui lucem habitat inaccessibilem*, sublimi penetrauit
1. Tim. 6. volatu, & intuitu. Verùm in arduis, ac sublimioribus constituta non obliuiscitur teneros pullos: quinimò *ad*
Deut. 32. *volandum prouocat:* & sicut Paulus nos excitat, dicens:
Hebr. 7. *Intuemini quantus sit iste:* oculorum nostrorum aciem in cognitione, & intuitu magnitudinis Principis nostri
Iob 26. Iesu examinare cupit. *Caterùm tonitruum magnitudinis eius, quis poterit intueri?* Vtinam vel columbæ pennæ
Psal. 54. nobis darentur: Sicut Dauid exoptabat Scio tamen ex nostri Ioannis reuelatione cœlitus accepta, Apocal. 12.
Apoc. 12. mulieri datas alas duas magnę aquilæ ad volandum. Sacra nimirum Virgo est, quæ duas habet alas per cœlestium cognitionem, & affectum : quibus nos protegit. Ab ipsa igitur supplices efflagitemus, vt de filij sui Ioannis nobis hodierna die dicturis, primogeniti sui Iesu cognitionem, diuiniq; Spiritus volatum communicet, dicentes: *Aue Maria*

Postquam Christus Dominus à mortuis resurrexit, ouium suarum curam Petro commisit, atq; Ecclesiæ suę vniuersalem pastorem instituit; dicens : *Pasce oues meas.*

Marty-

Martyrium quoque crucis prædixit his verbis: *Sequere me. Conuersus Petrus, videnſque illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus, ſequentem*; illius finem ſcire deſiderans, & quónam pacto magiſtrum eſſet ſequuturus, interrogauit: *Domine, hic autem quid?* Dominus verò Ieſus iuxta verbum illud Eccleſ. 3. *Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris*, noluit planè reſpondere, ſed æquiuoca voce, & amphibologica vſus eſt, vt ſenſus maneret occultus: *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Chryſoſt. enim legit: *Illum autem ſi velim manere, quid ad te?* Alij legunt: *Si ſic eum volo manere, quid ad te?* Auguſtin. verò legit, ſicut vulgata habet editio: *Sic eum volo manere.* Vnde ſubdit Euangeliſta: *Exijt ergo ſermo iſte inter fratres, quia diſcipulus ille non moritur.* Quem tamen ſermonem corrigit, dicens: *Non dixit Ieſus, non moritur; Sed ſic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Certa tamen ſententia eſt, quod ſacer Euangeliſta, poſtquam Romæ in feruentis olei dolium miſſus eſt: poſt longum exilium pro prædicatione Euangelica apud Inſulã Patmos, poſt mirabiles reuelationes cœlitus ſibi factas, cũ expleſſet annum nonageſimum, apparuit illi Chriſtus Dominus ipſum ad conuiuium fratrum inuitans: *Veni, dilecte mi, vt epuleris ſimul cum fratribus tuis.* Tunc ille in Eccleſiam Epheſi a diſcipulis delatus, in ſepulchrum ingreſſus, cœleſti lumine coram omni populo circumdatus, amplius nõ apparuit: ſed minutiſſima arena ex ſepulchro ebullire cœpit. Quare ſecũdùm ſententiã Hieronymi, & Auguſtini tũc creditur mortem ſubijſſe temporalem. Angelicus quoq; Doctor lect. 5. in Ioan 21. credit tunc mortis ſoluiſſe debitum: ſtatim verò ſimul cum corpore ſurrexiſſe, atque in cœlum fuiſſe aſſumptum, vt dilectiſſimi Ieſu viſione cum fratribus frueretur.

Eccl. 3. *Chryſoſt.* *Auguſt.* *Ioannes apud Epheſum vitæ functus eſt.* *Hieron.* *Auguſt.* *S. Thom.*

Inter cætera Ioannis encomia meritò primo loco quaſi aliorum fundamentum conſtituitur, quod fuerit *diſcipulus ille Ieſu.* Inter omnes enim creaturas hoc potiſſimum excellit homo, quod ſit capax diſciplinę: Indeque naturale illud deſiderium conſurgit, quo *omnis homo ſcire deſiderat*, vt dixit Philoſophus: & meritò, quia omnis noſtra fœlicitas in ſcientia, & cognitione Dei ſita eſt. Angeli quidẽ creati ſunt cum ſcientia, & cognitione

 rerum,

rerum, atque cum speciebus, siue similitudinibus rerum
S. Thom omnium naturalium: Vt docet S. Thomas 1 part. quæst.
Homo na- 55 artic. 2. Homo verò creatus est secundùm intellectū,
turaliter tanquam tabula rasa: docilis tamen, ac disciplinabilis,
docilis est, & cum appetitu sciendi, & discendi. Qui quidem imple-
& scire de- bitur in Patria: vbi (vt Christus Dominus dixit Ioan. 6.)
siderat. *Erunt omnes docibiles Dei.* Et Hierem. cap. 31. *Non docebit*
Ioan 6. *vir vltra proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Co-*
Hier. 31. *gnosce Dominum: Omnes enim cognoscent me à minimo eo-*
rum vsq; ad maximum. Ibi schola est maiorum, in qua cœlestis magister omnes edocet, diuinumq; Verbum lucem illam inaccessibilem amicis suis communicat, accessibilemq; reddit illuminans *mirabiliter à montibus æternis:* vt Regius vates prædixit. Interim tamen pro statu viatorum, tāquam paruulis, & minoribus discipulis tres aulas, siue classes constituit: nempe in lege naturæ: in lege scripta: & in lege gratiæ. In lege quidem naturæ omnes creaturas hominis magistras esse voluit: Sicut Sa-
Sap. 13. pient. 13. dicitur: *A magnitudine speciei, & creaturæ co-*
gnoscibiliter poterit Creator horum videri: & Paulus ad
Rom. 1. Rom 1. *Inuisibilia ipsius à creatura mundi, per ea, quæ fa-*
cta sunt, intellecta conspiciuntur. Atque ea ratione creaturæ vocantur elementa, *Como el A. B. C* sicut & legem veterem ad Gal 4. vocat Paulus *elementa mundi infirma, & egena.*

In hac schola creaturarum diuinas perfectiones legebat magnus ille Antonius Anachoritarum Princeps: nulloq; alio libro se indigere dicebat. In secunda schola legis Moysen, & Prophetas, magistros esse voluit. In tertia verò vnigenitum filium suum nobis dedit in magi-
Heb. 1. strum: sicut Paulus ad Heb 1. ait: *Multifariè, multisq; mo-*
dis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: nouissimè diebus istis loquutus est nobis in filio. Magnum quidem est discipulum esse insignis magistri. Soluentque Principes terreni magna consultatione magistros filiis prouidere. Philippus Rex Macedo gratulatus est Aristoteli nato sibi Alexandro filio: non tam quod natus sibi esset filius, quam quod eo tempore natus esset, quo Aristotelem posset habere magistrum Quantò potiori iure gratulabimur Christianæ genti, & Ecclesiæ filiis, quod intra

gremium

gremium tantæ matris nati simus, tantamque fœlicitatem consecuti, vt ipsum Dei filium, qui magister est Angelorum, & nos magistrum habeamus? Illum quidem Pater æternus per Esa. cap 55. magistrum nostrum futurum promiserat, dicens: *Ecce testem populis dedi eum ducem, ac præceptorem gentibus.* Et Ioelis 2 *filiæ Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis Doctorem iustitiæ*: nunc autem, *quando venit plenitudo temporis*, ipsum esse Magistrum nostrum ore proprio testatus est Matth. 17. dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipsum audite.* O felicissimam sortem nostram, siquidem talem, ac tantum pater æternus dignatus est nos habere præceptorem. Nunc impletum est illud Esai. vaticinium cap. 11. *Repleta est terra scientia Domini: Sicut aqua maris operientis.* Hæc est vera scientia, quæ verè, sicut aquæ maris omnes animæ potentias replet. *Sine qua vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei*, Sap. 13.

Ingens fœlicitas filiorum Ecclesiæ habere magistrũ Dei filiũ. *Esa. 55.* *Ioel. 2.* *Matth. 17.* *Esa. 11.* *Sap. 13.*

Hæc verò scientia omnia replet, quia cæteras omnes scientias in multis excellit. Primò, quia docuit nos altissima, & profunda mysteria, quæ omnem intellectum creatum excellunt: sicut dixit Christus Matth. 13. *Eructabo abscondita à constitutione mundi.* Et Paulus ad Ephes. 3. *Alijs generationibus non est agnitum: sicuti, & nunc reuelatum est Sanctis Apostolis eius, & Prophetis in spiritu.* De qua re legatur S. Thomas 1 p. quæst. 1. art. 1. ostendit siquidem nobis finem nostrum supernaturalem, qui per lumen naturæ nullo pacto nobis innotescere poterat: sicut Paul 1. ad Cor 2. ex Esaia cap 64 dixit: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, &c.* secundò fuit excellens doctrina, quia, quamquam de mysterijs absconditis, fuit tamen clarissima. Sicut Ioan. 1. dicitur: *Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Et Ioan. 15. *Iam non dicam vos seruos, sed amicos, quia omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Vnde Paulus 2. ad Cor 3 eam dignitatem tribuit legi euangelicæ supra antiquam illam legem; quòd sicut *Moyses ponebat velamen super faciem suam, vt non intenderent filij Israel in faciem eius, sic vsque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Nos verò omnes,

Doctrina Christi scientias omnes excellit dignitate, claritate, & certitudine, atque sanctitate. *Matth. 13.* *Ephes 3.* *S. Thom.* *2. Cor. 3.*

 mnes,

omnes, reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. Meritò turbæ audientes tam sublimia mysteria, tam claré manifestata, mirabantur super doctrina Christi Matth. 7.

Tertiò doctrina Christi cæteras omnes excellit certitudine: tum quia a Deo Patre tradita, sicut Christus ait Ioan. 7. *mea doctrina nõn est mea, sed eius, qui misit me, patris*: tum quia per vnigenitum filium hominibus est reuelata. Vnigenitus autem est prima veritas; sicut Ioan. 14 ait: *Ego sum via, veritas, & vita.* Hanc quoque certitudinem accepit Ecclesia ex ore Patris super filium dicentis: *ipsum audite.* Matth. 17.

Quartò præstat Euangelica doctrina sanctitate, quam auditoribus communicat: quia non tantùm ostendit finem, sed & media, per quæ in illum tendere debeamus: neque tantùm illuminat intellectum, sed & voluntatem rectificat, afficit, & accendit. Ac subinde auditores efficit non tantùm sapientes, sed & Sanctos: sicut Ioan cap. 15 ait Christus: *Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Quare meritò hæc cœlestis doctrina vocatur scientia Sanctorum, *quia in maleuolam animam non introibit hac sapientia: nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Spiritus enim Sanctus author huius *disciplina effugiet fictum*: vt dicitur Sap. 1. Sancti verò Apostoli, martyres, & virgines de hac disciplina gloriabantur: & coram tyrannis constantissimè respondebant: Christiani sumus: Discipuli Christi sumus. De hac scientia gloriatur Paulus ad Philip. 3. dicens: *Veruntamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora.* Qua ratione 2. ad Corinth 2. hanc disciplinam à Domino traditam vocat Apostolus odorem notitiæ suę, quo in nobis triumphat; & quem per nos in omni loco manifestat; vt eleganter docuit Angelicus Doctor in eum locum lect. 3 dicens; quòd notitia de Deo, quæ per fidem illuminat intellectum, & per charitatem delectat affectum, dicitur odor notitiæ suæ, id est, notitia diuinæ suauitatis, quæ suauissimus odor est longè, lateque

Doctrina euangelica auditores efficit non tantũ sapientes, sed sanctos.

Phil. 3.

2. Cor. 2.

Doctrina Christi meritò vocatur odor, & suaui S. Thom

teque diffusus Sic enim Ecclesiast 24 dicitur: *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Atque de prædicatoribus odoriferæ huius disciplinæ subdit Apostolus: *Christi bonus odor sumus.* Simili quoque tropo, & figura dilecta sponsa, post degustatam cœlestis sapientiæ suauitatem, dixit Cant 5 *Comedi fauum cum melle meo* Fauus enim ceram habet, quæ lucis est alimentum, & mel suaue gustui: similiter cœlestis hæc disciplina per fidem lucem intellectui præstat, & per suauitatem amoris voluntatem delectat. *Ecclef. 24.* *Cant. 5.*

Hac cœlesti disciplina in Christi schola instructi sunt Apostoli: quibus omnia, quæ a patre audiuit nota fecit. Eandemque per Spiritum sanctum suscepere, cum induti sunt *virtute ex alto.* Sacer verò Euangelista Ioannes super omnes discipulos Domini intellexit: siquidem ex ipsius pectore *Euangelij fluenta potauit* Eaque ratione vocatur non tantum discipulus, *sed discipulus ille*: per Emphasim, & antonomasiam, siue excellentiam: vt, cui tanquam dilectissimo discipulo maiora secreta cœlestia reuelata sunt. Qui non tantùm audiuit, sed vidit, & scripsit: sicut ipse ait. *Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostra contrectauerunt de Verbo vitæ: & vidimus, & testamur.* Quare inter quatuor Euangelistas, qui in quatuor illis sanctis animalibus designantur, quæ vidit Ezechiel capite 1. atque idem Ioannes Apocalyp 4 Aquila meritò Ioanni tribuitur, qui cæteris altiùs vsque ad Verbi cognitionem euolauit: Sicut explicant Hieronymus prologo super Matth. Augustinus lib 1. de cons. euange. cap. 6. & homil. 1. in Apoc. & Diuus Gregorius 31. mor. capite 33. Meritò comparatur aquilæ, quæ nullo ictu fulminis, neque tribulationum læditur: nec splendore solis visus perstringitur. Aquila illa grandis est, quæ ascendit ad Libanum, candorem (inquam) inaccessibilis illius diuinæ lucis: *& tulit medullam Cedri*, id est, cor, & Verbum æterni Patris. In cuius cognitione adeò sublimiter euolauit, vt non tantùm cæteros Euangelistas, sed seipsum excesserit. *Ioannes Christi discipulus vocatur per excellentiam.* *1. Ioan. 1.* *Apoc. 4.* *Hieron.* *August.* *Gregor.* *Ioannes meritò comparatur Aquilæ.* *Ezech. 17.*

Et hoc est, quod Propheta Ezechiel insinuauit, dicens: *facies Aquilæ desuper ipsorum quatuor.* In ipsoque imple- *Ezech. 1.*

Thren. 3. impletum est, quod Thren. 3. dicitur: *sedebit solitarius, & tacebit: quia leuauit se super se.* Apud Insulam siquidem Patmon relegatus propter Euangelij prædicationem varia, atque mirabilia Ecclesiæ tam triumphantis, quàm militantis arcana per reuelationem suscepit: & potissimùm de vltimo statu Ecclesiæ tempore Antichristi futuro: varijsque Sanctorum persecutionibus: quæ omnia ad ædificationem, & constantiam fidelium in libro Apocalypsis ex præcepto Domini conscripta reliquit. Qui liber (teste Hieronymo) *plura habet sacramenta, quam verba*: & in illius explicatione plus videntur exerceri sancti, quam intelligere. Post scriptam verò Apocalypsin, cum esset apud Ephesum ab Asiæ Episcopis rogatus Euangelium scripsit contra Cherinti, & Ebionitarum Hæresim, qui Christi Domini diuinitatem negabant. In cuius mysterij cognitione verè *leuauit se super se.* Imò verè dicere possumus fuisse mentem ipsius Christi: Sicut Socrates Platonem mentem suam vocabat, Platoque Aristotelem. Multò verius, & altius Ioannes, *dum supra pectus Domini in cæna recubuit*, mentem ipsius videtur suxisse, & hausisse. Verè (vt dicitur Psalmo 17.) *ascendit super Cherubin, & volauit, volauit super pennas ventorum.* Augustinus, Cherubin multitudinem scientiæ interpretatur: Ioannes verò omnem multitudinem scientiæ, tam naturalis, quàm supernaturalis, quæ Apostolis, & Euangelistis, atq; prophetis concessa est, longo interuallo superauit. Per geminum quoque Cherubim propiciatorium obumbrans duplex Christi natura signatur: super quam per altissimam cognitionem volauit. Per pennas verò ventorum Angelorum, & Apostolorum cognitio: vel sublimis contemplatio significatur. Omnia Ioannes transcendit, & excessit. Grande vtique Ioannis est priuilegium, quod excellens adeò fuerit Domini discipulus: atque in magnam vtilitatem, ædificationem, dignitatemque cedit Ecclesiæ, quòd talem in schola Christi disciplinæ Christianæ ducem habeamus.

Hieron.

Ioannes mens fuit Christi.

Psal. 17.
August.

Meritò Regius psaltes Psalm. 63. ait: *Beatus quem tu erudieris Domine & de lege tua docueris eum.* Vbi Diuus Augustinus, & Cassiodorus coniungunt titulum, qui inscribi-

August.
Cassiod.

ſcribitur:ipſi Dauid quarta Sabbathi, cum ipſo Pſalmo, in quo agitur de manſuetudine, & patientia iuſtorum. Quartò enim die cœli luminaria creata ſunt, quæ, ſicut altiſſimum locum obtinent, ita non patiuntur terrenas, neque peregrinas impreſſiones. Sic nimirum viri iuſti, qui in Eccleſia poſiti ſunt, vt luceant velut luminaria in firmamento, ſicut eminentiorem locum obtinẽt: ſic illorum conuerſatio in cœlis eſſe debet, neque terrenis affectibus moueri, neque tribulationibus perturbari debent. Summa diſciplinæ Chriſtianæ in manſuetudine, patientia, humilitate, & abnegatione ſui ipſius ſita eſt. Sicut Matth. 11. Dominus dixit: *diſcite à me, quia mitis ſum; & humilis corde.* Euangelicus Propheta cap 28 quærit. *Quem docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte:* ſcilicet, amoris proprij, *auulſos ab vberibus,* id eſt, à mundi delicijs, & conſolationibus. Qui dicunt cum Dauid: *renuit conſolari anima mea.* Qui ſolidioris doctrinæ capaces ſunt: vt Gregorius explicat 1 Reg. 1. Quique exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni, & mali. Sicut explicuit Hieronymus ex Paulo ad Hebr. 5. Dominus quoque Luc. 14. explicuit: quales oportet habere diſcipulos: *ſiquis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores: adhuc autem & animam ſuam: non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et, qui non baiulat crucem ſuam, & venit poſt me: non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Audiamus fœliciſſimum illum cæcum corporis, & mentis oculis à Domino illuſtratum nos interrogantem: *nunquid vultis diſcipuli eius fieri?* Omnes quidem nos id velle ore tenus profitemur. Multi tamen ſunt (proh dolor) ſuperbi, ambitioſi, inimici crucis Chriſti, *qui voce confitentur ſe noſſe Deum: factis autem negant. Hi ſunt filij huius ſeculi,* qui in ſecularibus negotijs *prudentiores filiis lucis ſunt:* in negotio verò ſalutis ambulant, vt cæci. De quibus Baruc. 3. dicitur: *filij Agar, qui exquirunt prudentiam,* quæ de terra eſt; *viam autem ſapientiæ neſcierunt.* Et Iacobus Apoſtolus cap. 3. ait: *Terrena ſapientia animalis eſt, diabolica. Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt: deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, &*

Philip. 3. Summa diſciplina Chriſtiana in manſuetudine, & humilitate ſita. Eſa. 28. D. Greg. Hieron. Luc. 14. Ioan. 9. Baruc 3. Iacob. 3.

dia, & fructibus bonis. Hanc vtique docet Christus Dominus: *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi.* Horum clauem tribuit Beato Ioanni: vt verè illum clauigerum thesaurorum diuinæ sapientiæ vocare possimus. Illum igitur deprecemur, vt illos nobis aperiat. Aperiet enim proculdubio, & sine inuidia communicabit: si humiliter petamus. Iam enim per fidem ad primam aulam sapientiæ admissi sumus: per charitatem, & humilitatem aperitur aula secunda gratiæ: in qua reposita est clauis aulæ tertiæ gloriæ: vbi vnus magister noster Christus maiores edocet, thesaurosque absconditos manifestat in secula seculorum. Amen.

Col. 2.

IN EADEM SOLENNITATE,

CONCIO SECVNDA.

De priuilegiis dilectionis Ioannis.

THEMA.

Hic est, quem diligebat Iesus. Ioan. 21.

DIximus concione proxima de primo Ioannis priuilegio, quòd fuerit excellens Christi Domini discipulus: nunc de secundo, quòd fuerit à Domino dilectus, dicturo mihi offert se se illud Apostoli Pauli ad Ephesios c. 3. Vbi flexis genibus ad Patrem Domini nostri Iesu Christi suppliciter deprecatur, vt possimus *scire supereminentem scientiæ charitatem Christi.* Quamquam enim discipulum esse Christi magnum donum est, illius tamen dilectio, & charitas scientiæ supereminet. *Quis verò cognoscet sensum Domini,* diuinæq; dilectionis mensuram: vt enim Paulus ait 1. ad Cor. cap. 2. *Quæ sunt hominis, nemo: ô it, nisi spiritus hominis, qui in ipso est: ita, &, quæ Dei sunt, nemo co-*

Ephes. 3.

Sap. 9.
1. Cor. 2.

nemo cognouit, nisi spiritus Dei Hunc ergo spiritum Iesu, quo Ioannem dilexit, ipsiusque lucem flexis genibus per sacram Dei genitricem benignissimam aduocatam: vtpotè Ioanni in matrem concessam supplices postulemus dicentes: *Aue Maria*.

Angelicus noster Doctor Thomas 1. part. quæst. 20. articulo 2. Vbi agit de diuino amore: illud potissimum discrimen constituit inter diuinum amorem, & nostrum: quòd voluntas humana non est causa bonitatis rerum, quas diligit: quinimo à bonitate, quæ in ipsis est, mouetur tanquam ab obiecto, vt diligat: ita quòd bonitas rei, vel vera, vel æstimata amorem nostrum prouocat, vt ei velimus bonum. Voluntas verò diuina, cum sit causa rerum, & totius bonitatis, quæ in ipsis est, non mouetur à bonitate, vt diligat; imò infundit eam, & communicat rebus, quas diligit. Cum igitur Dominus IESVS adeò Ioannem dilexerit, vt dilecti nomen cum re ipsum habere voluerit, quid dignius, aut gloriosius de illo dici potest, quàm, quòd sit *discipulus, quem diligebat* IESVS? Potest vtique verè dicere illud Sapient. 7. *Omne aurum in comparatione ipsius arena est exigua: & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Prouerbiorum cap. 22. dicitur: *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multa.* Ecce nomen Ioannis: *quem diligebat*, omnia humana nomina, omnesque diuitias excellit. Charitatis enim diuinæ, virtutumque omnium, quæ illam comitantur, thesauros complectitur. Nam Prouerb. capite 8 dicitur: *Ego diligentes me diligo*. Omne bonum nostrum in vnigeniti filij Dei datione situm est: hæc verò patris æterni liberalis donatio ex charitate processit: vt Paulus docet: *Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo*. Imò ipse Dominus id docuit Nicodemum dicens: *sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Si igitur omnia bona nostra ex diuino amore procedunt, quid boni non haberet Ioannes, qui præ cæteris dilectus dilecti nomen accepit? Cum enim diuinus amor totius bonitatis, quæ creaturis communicatur,

S. Thom.

Voluntas diuina bonitatem confert creaturis, quas diligit.

Sapien. 7.

Ephes. 2.

Ioan. 3.

radix sit,& origo; sicut ex Angelico Doctore dictum est: *quem Dominus plus diligit, ad maius bonum ordinat, maioremq́ꝫ bonitatem illi communicat.*

S. Thom. Quare in celebri illa quæstione, quisnam à Domino plus fuerit dilectus, Petrusne, an Ioannes: Sanctus Thomas vt supra art. 4. ad tertium, multis recitatis opinionibus dicit: præsumptuosum esse id iudicare: quia, vt dicitur Prouerb. 16. *Spirituũ ponderator est Dominus.* Certum tamen est, neque id negari potest, quòd plura dilectionis indicia exhibuit Ioanni, quàm cæteris Apostolis Siue propter donum virginitatis, siue aliis de causis diuino iudicio reseruatis. Prouerb. cap. 22. dicitur. *Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum Regem.* Et

Simile. Christus Dominus Matth cap. 5 *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Sicut & experimento videmus, quòd sol maiorem splendorem, & pulchritudinẽ communicat vitro purissimo, quàm rudi tabulæ, plumbo, aut ferro. Et sicut cum Sol Oriens interpositam nubem radiorum suorum splẽdore pulcherrimam reddit: sic vtique Christus Dominus verus *sol iustitia*, (sic e-

Malac. 4. nim per Malachiam cap. 4 appellatur: *orietur vobis ti-*

Ioannes nubes est, quã sol iustitia illustrauit. *mentibus nomen meum sol iustitia.*) Ioannem Apostolum veluti cœlestem nubem dilectionis suæ radiis splendidissimum reddidit. Quamquam enim omnes Apostoli nubes vocentur, vt docet Gregorius in illud Psal. 17. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris*, & Ecclesia canit de Apo-

D. Greg. stolorum gloria ex Esai. cap. 60. *qui sunt isti, qui, vt nu-*

D. Hier. *bes volant*? Diuus tamen Hieronymus in Iob 37. Ioannem speciali ratione nubem vocat: quam diuinus sol amoris radijs non tantùm illustrauit, sed quasi in amorem conuertit. *Deus enim charitas est*, vt ipse Ioannes

Cant, 2. ait 1. cap. 4. Vt iam verè dicere possit illud Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi.*

Quòd si ex diuino consortio facies Moysi adeò splendida facta est, vt opus esset velamine obtegere, ne filiorum Israel oculi splendoris illius radiis perstringerentur, possentque in eum intendere: quis explicare valeat cœlestem illum virtutum nitorem, quo mens Ioannis illustrata micabat? Siquidem (vt Augustinus ait) *per a-*

August. *morem totus in Deum transformatus erat.* Hinc illi tot

priuile-

priuilegia inter Sanctos omnes concessa sunt: ita vt inter omnes palmam habeat: & in multis, omnibus illam videatur præripere. Nam inter duodecim Apostolos vnus est: Vnus quoque inter quatuor Euangelistas: & qui cæteris altiùs euolauit. Inter tres testes suscitatæ puellæ Archisynagogi, mysterij transfigurationis, & summæ illius tristitiæ, quam Dominus in horto passus est, Ioannes testis astitit. Ex duobus euntibus ad monumentum Ioannes vnus fuit: & qui cucurrit citiùs Petro. Cum post resurrectionem in mari apparuit Dominus Petro, & Ioanni: Ioannes priùs illum agnouit, & dixit Petro: *Dominus est.* Ille vnus est, *qui in cœna super pectus Domini recubuit.* Vnus, qui Dominum interrogare ausus est, quisnam eum esset traditurus: vnus inter Apostolos *Virgo à Domino electus*: *& qui Virgo in æternum permansit.* Et tandem vnus, cui vt virgini Sacram Virginem in cruce commendauit, & in matrem dedit. *Ioannes inter sanctos omnes palmam habet.*

Ad hæc donorum largitio, (quantumuis parua sint) inter amantes solet esse gratissima, vtpotè intimi, & occulti amoris testimonium, siquidem propriùs illius effectus est se se fundere, & communicare: quid de tam immensi doni largitione dicemus, quo Dominus Iesus in cruce pendens, iam iam spiritum suum in manus patris traditurus Ioannem dilectum super cunctos Apostolos ditauit, & amplificauit? dum illi vni Virginem Sanctissimam in matrem dedit: neque id verbò tantùm, sed affectu, & effectu? Dum enim illi dixit: *ecce mater tua: & matri: ecce filius tuus: Voci suæ dedit vocem virtutis*: & vi quadam diuina Virgini materna viscera, & Ioanni filialem affectum impressit. O terque, quaterque beatum, & fœlicissimum Apostolum tali ac tanto dono, quod post donum illud ineffabile, quo pater æternus sic mundum diligens filium suum vnigenitum dedit: Ioan. 3. dona omnia creata tam eminenter exuperat. Hæc est præclara illa, & mystica hæreditas, quam Iacob moriens dedit filio dilecto Ioseph vltra sortē. Hic Scyphus est argenteus, quem Ioseph in ore sacci iunioris fratris apponi iussit. Sic enim de Virgine sanctissima, ipsiusque virginali integritate, ac puritate interpretatur Rupertus il- *Dona inter amantes gratissima.* *Genes. 49.* *Genes. 44.* *Rupertus.*

S

Cant. 7. tus illud Cant. 7. *Vmbilicus tuus sicut crater tornatilis, nullis indigens poculis* Venter enim Sacratæ virginis, de quo statim subditur: *Venter tuus, sicut aceruus tritici vallatus liliis*: Crater est, siue Scyphus tornatilis, id est, perfectissimus: argenteus propter puritatem, splendoremque virginalem: nullis indigens poculis, quia non ex virili semine, sed mystico spiramine filium Dei, vt verum fontem paradisi nobis effudit: qui sitim, & desiderium mundi satiauit: & peccata nostra abluit. Hunc igitur Scyphum argenteum dilectissimam (inquam) matrem suam, cum iam iam concideretur saccus corporis sui (vt *Psal. 29.* Regius vates Psalm. 29. prædixit) apposuit iuniori fratri suo Beniamin, dilecto (inquam) & iuniori Ioanni. Cui commodissimè benedictionē illam adaptare possumus, qua Moyses ante mortem suam benedixit Benia- *Deut. 33.* min dicens: *Beniamin amantissimus Domini habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur: & inter humeros illius requiescet.* Sic enim in illo impletum videmus: Siquidem in cœna inter humeros Christi, & super pectus requieuit: totaque die, id est, per totum tempus vitæ virginis almæ in societate illius habitauit confidenter: & quasi in thalamo diuinis emissionibus pleno moratus est. Rectè quoque Scyphus illi conuenit, cui simul cum Iacobo fratre Christus Dominus di- *Matth. 20.* xit: *calicem meum bibetis*: & qui propinato sibi calice veneno pleno, illæsus, & incolumis à Domino seruatus est.

4. Reg. 2. Magnum quoque, & pretiosum donum fuit pallium, quod Elias in curru igneo eleuatus in pignus amoris, duplicisque spiritus dilecto Elisæo reliquit. Sanctissima virgo pallium est, quod Christum carne induit, aluit, protexit: pallium est protectionis Ecclesiæ: quodq; Saluator ex curru crucis igneo, & charitate inflammato veluti pignus duplicis spiritus amoris sui Ioanni dilecto reliquit. Si ex quo arca Domini per tres menses mā-

Sanctissima Virgo palliū est Ioanni à Christo datum.

2. Reg. 6. sit in domo Obededon Gethæi, *benedixit Dominus Obededon, & omnem domum eius.* Quis cogitando, ne dū loquendo consequi valeat, quantum benedictionis, augmenti gratiæ, charitatis, & omnium virtutum Ioannes susceperit ex virginis consortio per quindecim annos, quos post Christi Domini ascensionem ipsam comitatus est?

tus est? Si ad vnam vocem, & salutationem Dei genitricis Ioannes Baptista sanctificatus in vtero exultauit: materque ipsius Elisabeth Spiritu sancto repleta est: quanta plenitudo gratiæ, plenitudinisque augmentum ex lōgo illo tot annorum consortio, & cœlestibus colloquiis cum Virgine sacra nostro Ioanni indies accresceret? Vnde tot priuilegia Ioanni concessa? certè quia diligebat illum Iesus: oculos suos, & cor in ipsum defixerat 2. Parali. 7. postquam Salomon templum Domino consecrauit, respondit illi, *elegi locum istū, & sanctificaui eum: vt sit ibi nomen meum vsque in sempiternum. Oculi mei, & cor meum erunt ibi cunctis diebus.* Atque ex illo diuino intuitu *repleta est gloria domus Domini.* Sic nimirùm Christus Dominus posuit oculos suos, cor, & nomē super Ioannem dilectū, ita vt possimus vocare Ioannem oculum illū, & crinem colli Ecclesiæ, quo vulneratum sponsus se se fatetur: ex propicio illo Domini aspectu; splendore & gloria repletus est. Apud Indiam Orientalem Sol benigno suo aspectu aurū, argentū, gemmas, pretiosasq; lapillos generat. Quid Ioannē dicemus, quem sol Diuinus tā benignè respexit, nisi ditissimā Indiam Orientalē, plenā auro charitatis, argēto splēdido diuinæ lucis, gēmisque virtutū omniū? Vel dicamus illū Paradisum esse nō terrenū, imò cœlestem, ad orientē Diuini aspectus plantatū: in medio enim cordis illius videmus lignum vitæ Dominum Iesum per dilectionem insitum: videmus lignum scientiæ, fontemq́, diuinæ sapientiæ in medio huius paradisi; si quidem *repleuit eum Dominus spiritu sapientiæ, & intellectus* prophetici, & euangelici. In illo tandem fructus omnes paradisi virtutum omnium, & dignitatum, atq; gratiarū Ecclesiæ cumulatos videmus. 2. Par. 7. Cant. 4. *Ioannes India Orietali, & Paradiso similis est.*

Inter amantes præterea similitudo, siue in moribus, siue loquela, siue incessu, siue ornatu, atque coloribus gratissima esse solet. Ecclesiast. 13. dicitur: *omne animal diligit sibi simile: & omnis homo simili sui sociabitur.* Solent quoque Principes eos, quos ex animo diligunt annulis, gemmis, & vestibus, vel suis, vel similibus exornare, vt sibi similes appareant. Similiter de his, quos Dominus diligit, dixit Apostolus ad Rom. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui,* Et quam- *Similitudo inter amantes est gratissima.* Eccl. 13. Rom. 8.

quam Apostolos omnes Christus Dominus sibi similes esse voluit *per spiritum adoptionis filiorum Dei*: Ioannem tamen videtur elegisse, vt similitudinem suam præ cæteris gereret. Id, quod comprobari videtur ex illo Apocal. 11. vbi de se dicit Ioannes: *Datus est mihi calamus similis virga: & dictum est mihi: Surge, & metire templum Dei, & altare.* Per calamum sapientia significatur. Psal. 44. *Lingua mea calamus scribæ*: data igitur est Ioanni sapientia similis sapientiæ Christi. Templum caro, & corpus Christi est, *in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*: diuinitas enim corpori erat vnita. Altare suppositum Christi est: super quod sacrificium pro peccatis nostris fuit oblatum. Dictum est ergo Ioanni, surge: super te ipsum eleuare, quia sublime munus, nullique vnquam antea concessum tibi committitur, metiendi, atque describendi diuinam, & humanam naturam filij Dei. Hinc surrexit sacer Euangelista, *& leuauit se super se*: dum altitudinem templi, & altaris mensus est dicens: *In principio erat Verbum* Latitudinem verò templi mensus est, dum diuinarum personarum distinctionem expressit dicens: *Verbum erat apud Deum*: vbi tres diuinæ personæ insinuantur, Verbum, & Pater, & particula, apud, Spiritum sanctum insinuat, qui nexus est, & vnio vtriusque Longitudinem, & æternitatem filij Dei explicuit dicens: *Deus erat Verbum* Tādem profunditatem dimensus est, dum dixit: *Verbum caro factū est.*

Apoc. 11.

Psal. 44.

Illa verò potissima similitudo est, qua Dominus Iesus Ioanni nomen suum imponi voluit. In nomine siquidem Christo assimilatus est: Tum quia Dominus Iesus ab vnctione Spiritus sancti dictus est Christus, id est, vnctus iuxta illud Esa. 61. *spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me.* Qua ratione Cant. 1 Sponsa dixit: *oleum effusum nomen tuum.* Ioannes nomen hoc Christi re ipsa habuit. Habuit enim vnctionem à sancto, vt ipse ait 1. Ioan. 2. *Quæ docet nos de omnibus.* Vnctus quoque est, cum pro prædicatione Christi in feruentis olei dolium missus, quamquam per Spiritum sanctum incolumis seruatus, toto corpore perunctus est. Vt ipsum oleū martyrij charitatis, ac pietatis Ioannis apertum esset pręsagiū, constantissimoq; fidei Christi protectori, & pugili vnctionis

Esai. 61.

Ioannes nomen habet Christi quia vnctus oleo: nomē quoque dilecti: & no-

ctionis Christi nomen inderet. Ecce nomen Christi re ipsa Ioannes imitatus est. Vt non solum oculos suos posuerit Dominus super eum; sed & nomen suum. *men filij hominis.* *1. Ioan. 2.*

Tum verò maximè, quia proprium nomen Christi Domini tam in veteri, quàm nouo testamento est dilecti. Sic enim vocatur Psal. 28. *Dilectus quemadmodum filius Vnicornium:* & Psal. 44 inscribitur titulus: *canticum pro dilecto.* Totus enim ille Psalmus Christo Domino dicatus est. In libro verò canticorum sæpissimè gaudet hoc nomine ab sponsa vocari. Deinde in lege gratiæ nomen hoc dilecti à Patre inditum est Christo in baptismo, veluti proprium nomen: *Como nombre de pila. Hic est filius meus dilectus; in quo mihi complacui.* Idem quoque nomen, cum in monte Thabor transfiguratus est, voce de nube lapsa Pater protulit dicens: *hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite.* Ingens priuilegium fuit dilecti nomine Ioannem appellari. Et nequa similitudo desiderari posset, nomen quoque fratris sui, & filij hominis, id est, virginis almæ, quo Christus vocari gaudebat, Ioannem habere voluit: dum in cruce pendens dixit matri: *mulier ecce filius tuus.* Meritò sacer Euangelista dilecti nomen sortitus est: siquidem omnia dilectionis signa ipsi Christus exhibuit. Cor enim suum, & secreta cœlestia, & Ecclesiæ illi reuelauit, potissima dona, & sublimia illi largitus est: vitamque ipsius, vt veri amici ex variis periculis eripuit. Quare si ad vocem Iosue serui Dei Sol stetit *obediente Deo voci hominis*: si ad vocem Eliæ serui, & ministri Domini ignis de cœlo bis descendit: Quantò potiora dona à Domino consequetur Ioannes, quem non tantùm seruũ, sed ẽt amicum, & dilectum appellari voluit: ipsique similem in multis apparere? Illum igitur toto mentis affectu diligamus, & veneremur: ipsiusque charitatem imitemur, qui Christum Dominum vsq; ad crucem, & mortem comitatus est: & quem per totum vitæ tempus per tribulationes, & exilium, vt verus amicus semper confessus est, *omni enim tempore diligit, qui verus amicus est* Ille semper Christum, & ipsius dilectionem prædicauit; ignemque illum Diuinæ charitatis, quem in altari suo semper ardere Dominus præcepit, Ioannes verbo, & exemplo

Psal. 28. *Psal. 44.* *Matth. 4.* *Matth. 17.* *Iosue. 10.* *4. Reg. 1.* *Prou. 17.* *Leuit. 6.*

iugiter nutriuit. Hunc amoris ignem in nobis semper nutriamus, vt conformemur imagini Christi, similesq; ipsi efficiamur nunc per gratiam, & in futuro in ipsum transformemur per gloriam. Amen.

IN EADEM SOLENNITATE,

CONCIO TERTIA.

De recubitu super pectus IESV.

THEMA.

Qui & recubuit in cœna super pectus eius. Ioan. 21.



Hoc est iam tertium, singulare, summumq; amoris priuilegium, quo Christi amor Ioannem præ cæteris Apostolis exaltauit: cũ super pectus suum illum quiescere voluit. Vt meritò Cedrum paradisi super omnes arbores exaltatam vocare possimus. Ille verè est totius orbis ornatus, sanctitatis speculum, Ecclesiæ magister, columna, & lux, puritate Angelus Spiritus sancti lingua: cuius laudibus omnia humana lingua inuenitur inferior. Vt de ipso dignè aliquid differere valeamus, animus succumbit: calamus, & lingua deficiunt. D. tamen Bernard. cœlestem quadrigam regalem nobis ostendit, qua progrediendum, & currendum est. Per Ioannem enim ad Virginem matrem accedimus, per matrem ad filium, per filium ad Patrem; qui totius boni, & gratiæ fons est, & origo. Ioannes primus ostiarius est, qui virginem almam gratiæ clauigerã nobis demonstrat: quæ cum ipsius mater sit, nihil ei denegare poterit. Ad thronum igitur virginis supplices accedamus diuinum numen implorantes, dicentes: *Aue Maria.*

Bernard.

Inter plurima, quæ diuinam charitatem in nobis accendunt, & corda nostra mirabiliter afficiũt, & in ipsius dilectio-

dilectionem rapiunt, paternalis est illa prouidẽtia charitate, & misericordia plena, quam re ipsa semper experimur. Olim siquidem tanquam dilectissimis filijs per Euangelicum Prophetam Dominus promiserat cap. 66. *Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Hierusalem consolabimini* Et quamquam hæc diuina promissio omnibus Apostolis, tanquam dilectis filijs impleta est: atque nobis per ipsos: (illi siquidem lac doctrinæ cœlestis ex Christi pectore suxere, quo paruulos Ecclesiæ filios, & nos inter illos nutrierunt, & semper nutriunt:) In Ioanne tamen Euangelista specialissime, ac singulariter impleta est diuina promissio. In cœnaculo enim apud Hierusalem cœlestem consolationem, diuinasque blanditias expertus est, dum in cœna recubuit super pectus Saluatoris. *Esa. 66.*

Mirum est in medio Senatu Apostolico Ioannem cõtemplari super pectus Domini totius sapientiæ fontem recumbẽtem Quid est hoc (ô bone Iesu) quod filius hominis non habeas vbi caput reclines: & homo reclinet caput super pectus Dei? Possumus vtique cum Paulo dicere, *quod nec oculus vidit, nec auris audiuit: nec in cor hominis ascendit huic simile* Et cum cæco rectè dicamus: *à seculo non est auditum*, quòd homo recubuerit super pectus Dei. Quid in hac re magis mirabimur, Ioannem recumbentem; an Dominum id permittẽtem? Olim Moysen volentem accedere ad rubum ardentem, vt visionẽ videret, prohibuit Dominus, dicens: *ne appropies huc, sed solue calceamentum de pedibus tuis.* Magnus ille Ioannes Baptista ex vtero sanctificatus, cum Saluator ad ipsum accessit, vt baptizaretur ab eo, totus trepidans non audebat tangere sanctum Dei verticem, neque vnda Iordanis abluere. Petrus quoque Apostolorum princeps in mirabili piscium captura diuinam Christi potentiam agnoscens (vt Luc. 5. habetur) diuino consortio indignum se iudicans *procidit ad genua Iesu dicens: exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Thomas etiam facta sibi copia à Domino Iesu inferendi digitum, & manum in vulnera: rationabiliter à multis creditur, quòd non est ausus tangere vulnera sed tantùm credens

Luc. 9. *1. ad Cor. 2.* *Ioan. 9.* *Exod. 3.* *Matth. 3.* *Luc. 5.* *Ioan. 20.*

adorauit, dicens: *Dominus meus, & Deus meus.* Magdalena quoque, & si Christi dilectione plena, secus pedes Domini sedebat: & cum videns illum suscitatum præ gaudio vellet tangere, prohibita est. At verò sacer Ioannes *super pectus Domini recubuit.* Spectaculum sanè est, quod ipsi Angeli meritò stupeant, & admirentur. D. Augustinus insinuat, quòd Dominus illi innuit, vt recumberet: & Ioannes acceptauit. Et quamquam id non constet ex historia euangelica, *multa tamen fecit Dominus Iesus in conspectu discipulorum suorum*, vt ipse Ioannes ait, *quæ non sunt scripta.* Quòd si exteriori signo non insinuauit Dominus: interius tamen inspirauit: iuxta illud Psal. 84. *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus.* Et fortè singularis ille amor, quo Dominus Ioannem diligebat, ita dispensauit: vt pridie quàm lancea latus aperiret, suauis dilecti discipuli contactus, ac dulcis fomentatio deliniret.

August. *Recubitus Ioannis supra pectus Domini spectaculum est ipsis quoq; Angelis stupendũ.* *Ioan. 21.* *Psal. 84.*

Placet tamen hoc loco explicatio doctissimi Caietani, qui recubuit; explicat, id est, cecidit, capite super pectus Domini inclinato. Verosimile enim est post pedum lotionem, & sacræ Eucharistiæ sumptionem mysticum, supernaturalemq; soporem, atque sublimem ecstasim immissam à Domino in Ioannem: Atq; adeò non tam fuisse voluntarium recubitum, quàm diuinitus sic dispositum. Sicut & olim initio conditi orbis immisit Dominus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea: & ædificauit costam in mulierem: adductamque ad Adam vocauit viraginem; *Quoniam de viro sumpta est.* Qua in re (secundum Diui Bernardi sententiam) cognouit Dominicæ Incarnationis Sacramentum, formationemque Ecclesiæ sponsæ Christi ex latere ipsius in cruce dormientis. Idemque confirmat Diuus Augustinus, & ait, quòd in illo sopore Adamus repletus est spiritu prophetiæ. Id quod consonat verbis Pauli ad Ephes. 5. Vbi ait: *sacramentum hoc magnum est*, cum retulisset verba Adami: *hoc nunc os ex ossibus meis: propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, &c.* Tunc subdit: *ego autẽ dico in Christo, & in Ecclesia.* Rupertus quoq; in eum locum ingeniosè adnotauit: si Adã dormiebat, quomodo intelle-

Caiet. *Genes. 1.* *D. Bern.* *August.* *Ephes. 5.* *Rupertus.*

intellexit Euam ex ossibus suis eductam? fuit ergo mentis excessus, quo mysterium agnouit, quod Verbum Patris de sinu ipsius esset egressurum, vt carnem assumeret, & naturæ humanæ adhæreret. Quodq; ex ipsius latere dormientis in cruce Ecclesia esset educenda.

Similis fortè fuit somnus ille Iacob, cùm supra petram dormiens vidit mirabilem illam scalam, euigilansque dixit: *Non est hîc aliud nisi domus Dei, & porta cæli. Surgensq; manè erexit lapidem in titulum, & fundens oleum desuper imposuit loco nomen Bethel, id est, domus Dei.* Quę videntur contigisse in typo, & figura mystici soporis nostri Ioannis Euangelistæ. Ille enim verè supra petram obdormiuit: Petram verò esse Christum Paulus docet. Ille namque lapis est per Spiritum sanctum vnctus: cui titulus conuenit, & nomen Bethel: est siquidem domus Dei, *in qua habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Super illius pectus recumbens Ioannes scalam vidit, ibi portam cœli latere cognouit, quam postero die lanęca vidit apertam. Redemptor ipse Ioan. cap. 10 dixit: *Ego sum ostium.* Ibi diuinam Christi naturam, ineffabilemque vnionem cum humana cognouit: non in figura, sicut Adamus, sed planè, & apertè cœlestia mysteria altissimè penetrauit, atque Ecclesiam docuit: præcipuaq; Saluatoris miracula, & gesta, (quæ diuinitatem ipsius efficacius attestantur) apertius, & fusius conscripsit: nempe cæci illuminati, suscitati Lazari, miraculum quinque panum, quibus quinque millia hominum refecit, cœlestisque panis, mirabilis (inquam) Sacramenti Eucharistiæ institutionem, & sumptionis necessitatem, pedumq; lotionem; mirabilem dilectionis doctrinam, tanquam vltimi Testamenti Christi potissimam hæreditatem vnus ille Dominici pectoris speculator, fidelissimusq; scriptor reserauit. Gen. 28. 1. Cor. 10. Ad Col. 2. Ioan. 10. In recubitu super pectus Domini mira Sacramenta cognouit Ioannes.

Dum apud Insulam Patmon exularet Ioannes, vidit librum scriptum intus, & foris, signatum sigillis septem: flebatque maximè, quod nullus esset dignus aperire librum, donec agnus occisus illum aperuit. Postea verò vidit in manu Angeli librum apertum, audiuitq; vocem de cœlo dicentem sibi, vt acciperet librum de manu Angeli, & deuoraret. Cumque deuorasset, *fuit in ore eius* Apoc. 5. Apoc. 10.

Liber Christus est. *tanquam mel dulce; sed venter eius amaricatus est.* Liber vtique Christus Dominus est secundùm Bernardi sententiam, serm. 1. de resurrect. In ipso scriptus *numerus* Bernard. *electorum in superna fœlicitate locandus.* Pater namque Ephes. 1. æternus *prædestinauit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Hunc librum accepit Ioannes per amorem, quia amatum est in amante. Deinde accepit illum in cœna in Sacramento Eucharistię: fuitque in ore eius sicut mel dulce: dum post illius sumptionem recumbens super pectus in ecstasim raptus vidit Sacramenta cœlestia: & id August. quidem summa cum dulcedine, quia (vt Augustinus ait) *Vbi amor, ibi sapor. Vbi amor, ibi sapor.* At vbi statim post cœnam vidit Christum amorem suum in horto mœrore circumfusum, sanguineo sudore madentem: deinde ab hostibus captum, flagellatum, consputum, & crucifixum: omnis prior dulcedo in amaritudinem versa est. Tunc venter cogitationis, meditationis, & memoriæ, aspectu dolorum Christi amaritudine repletus est. Cumq; vidit dilectum sibi Iesum in cruce voce valida ad Patrem clamantem, & expirantem: simulque Virginem matrem ibi astantem, dolorisque gladio transfixam contemplatus est: ibi verissimè venter eius amaricatus est, martyriumque crucis, quanquam non corpore, animo tamen duplici Exod. 25. gladio transfixus omninò passus est. Tunc verè impletum est in sacra Virgine, & Euangelista Ioanne, quod Dominus præcepit Moysi: vt duos Cherubinos ex auro purissimo iuxta propitiatorium cõstitueret, qui mutuò sese respicerent. Ecce iam vidisti sacer Euangelista apertum librum, quem clausum prius, atque signatum deflebas; nunc verò, cum apertum cernis, & pectus, atque latus deliciarum tuarum lancea perforatum, maior tibi suppetit flendi ratio, quam antè fuerat lugendi signatum.

Cant. 1. Magno desiderio sponsa rogat sponsum, Cant. 1. *Indica mihi, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Ita forsan sacer Euangelista post sumptionem corporis Domini captus est desiderio sciendi, quo pacto diuinus Pastor supernos illos Spiritus in cœlesti mensa pascat: quod cum corporeis oculis intueri minimè posset, disposuit sic diuinus amor, vt super pectus suum recumbens in sacramentali

cibo

cibo cœlestem escam, & pastum diuina reuelatione cognosceret. O animarum fontem suauissimum! O mensam lautissimam! O sacram cœlestium thesaurorum officinam! Hæc omnia sacrum Christi pectus continet. Hæc cella est vinaria, ad quam Rex gloriæ dilectissimum sibi Ioannem introduxit, atq; in ipso charitatem eminẽter ordinauit, dilectionisq; magistrum instituit, dum supra pectus suum recubitum concessit. *Cant. 2.* *Pectus Christi cella vinaria.*

De pullis aquilæ tradit Plutarchus, quod ille, quem latus cordis fœlici sorte contingit, & confouet: ex potiori communicatione caloris vitalis cæteros pullos volatus agilitate, & oculorum acumine vincit. Sic nimirum Ioannes, vt electus, atq; dilectus pullus cœlestis aquilæ Christi ex ipsius pectore mirabilem vim ita suscepit; & viuificum illum Spiritum dilectionis ita suxit: vt oculorum acumine, mysteriorumq; intelligentia cæteris altius euolauerit: atq; in amorem Christi conuersus nihil aliud in vita sibi gratum contingeret, nisi de amore agere, vel scribere. Sermo illius semper, & vbiq; charitatem cordis eructabat. *Plutarch.* *Ioannes pullus aquilæ, & sublimis est aquila.*

De aquila quoque dixit Iob cap. 39. *In arduis ponet nidum suum, in petris manet, & inaccessis rupibus inde contemplatur escam, & de longè oculi eius prospiciunt. Pulli eius lambunt sanguinem.* Verè Ioannes, vt cœlestis aquila super pectus Domini, quasi supra petram, & inaccessam rupem (*lucem siquidem habitat inaccessibilem*) in sublimem diuinæ naturæ contemplationem eleuatus, in arduis posuit nidum suum. Super nidum dominici pectoris recumbens, sacram escam Eucharistiæ contemplatus, miraq; illius dulcedine in ecstasim raptus fideles omnes tanquam pullos cibi dulcedine proposita inuitat, vt illius sanguinem lambamus, & in Sacramento degustemus. *Iob 39.* *1. Tim. 6.*

Dulcissimo recubitu suo multa nos sacer Ioannes edocet. Primùm quanto iure Dominus à nobis cor, & dilectionem petat, dicens: *Fili præbe mihi cor tuum.* Siquidem ille prior dilexit nos, & cor suum nobis prior dedit. Et ecce per Matthæum nobis dicit: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput suũ reclinet.* Desiderat enim super cor tuũ caput recli- *Prouer. 23.* *1. Ioan. 4.* *Matth. 8.*

Christus merito petit à nobis cor, qui pectus, & cor suum nobis exhibuit. reclinare. Vt igitur cor tuum tu illi præbeas, in quo quiescat, cor suum ille tibi offert, vt tu super illud caput tuum reclines, cogitationesque, & omnia desideria tutò reponas. Ecce Ioannes in cœna nomine Ecclesiæ dulcissimi cordis Iesu, & amore pleni possessionem apprehendit. O immensam dilecti discipuli dignitatem, cui cor, & pectus Domini in reclinatorium datum est!

Hoc videtur fuisse summum amoris pignus, in hoc namque recubitu super sinum Christi altissimam ipsius similitudinem imitatus est. Summum enim, quod fides de Christo docet, est, quod *Verbum erat apud Deum:* & quod *Vnigenitus est in sinu Patris.* Inde habet, quod sit *splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Ioanni ergo in sinum Christi admisso figuram suam, & substantialem imaginem Patris, non quidem impressit, (illa enim est propria Verbi, & omninò creaturæ incommunicabilis;) præbuit tamen illi rem cum nomine, vt sicut filius est in sinu Patris, sic Ioannes fuerit in sinu Filij: illudque fuerit ipsi tanquam nomen proprium inditum: vt verè dicatur, quod Ioannes fuit apud Deum, & in sinu Filij; inde accepit lucem, & cœlestem quendam splendorem, vt enarraret nobis diuinum esse Patris, & Verbi, plurimaque mysteria cœlestia. Et quanquam non accepit substantialem imaginem filij Dei, accepit tamen ipsius accidentia. Nam sicut Filius vocatur dilectus Patris, sic Ioannes dicitur dilectus Filij. Et sicut filius Dei factus est, & vocatus filius Virginis, sic Ioannes verbo Christi factus est, & vocatus filius matris Dei. Hæc diuina accidentia impressit Christus Ioanni super pectus suum recumbenti, veluti sigillum solet signa, & stemmata super mollem ceram imprimere. Simulque impressit illi spiritum charitatis, & humilitatis suæ. Cantic cap. 8 petit sponsus: *Pone me vt signaculum super cor tuum.* Ioannes tanti amoris dulcedine liquefactus Christum, vt signaculum cordis sui, & brachij, atq; calami sui suscepit. Rursusq; ipse Dominus Iesus videtur voluisse habere Ioannem, vt signaculū cordis sui, vt verè illi dicat Dominus: *Inueni virum secundùm cor meum: al talle y para sello de mi coracon.* Quare opportuno tempore cùm ad doctrinam,

Ioan. 1.

Hebr. 1.

Ioannes in sinu fuit filij Dei, qui est in sinu Patris.

Simile.

Cant. 8.

nam, & Ecclesiæ ædificationem necessarium fuit, signaculum incarnati Verbi, & Sacramentorum cœlestium, potentiamq; diuini brachij aperuit.

Deinde cùm omnia creata à Deo suum proprium finem, & centrum habeant, Ioannes super pectus Domini recumbens centrum cordis nostri nobis quasi digito monstrat. Christus enim Dominus centrum est cordis nostri, in quo quiescere debemus. Vt enim ait Diuus Augustinus: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec quiescat in te.* Extra Christum voluntas nostra nunquam quiescit, nec in diuitijs, nec in delicijs, imò quasi extra centrum suum vim patitur. Humana omnia præsidia inania sunt, quę spem illorum fallunt, qui ipsis innituntur; *Vniuersa enim vanitas & afflictio spiritus* Eccles. 1. Sap. 5. impij confitentur: *Lassati sumus in via iniquitatis*, & perditionis. Fœlix anima, quæ super dilectum solum innititur: neque in homine confidit, *nec ponit carnem brachium*, & fiduciam suam: quinimò dilectissimi Iesu amplexibus gaudet, omnem spem in illum collocat, omnem solicitudinem in ipsum proijcit, in ipso quiescit, & pace fruitur, *quæ exuperat omnem sensum.* In illo vera sunt solatia, quæ statim vt Paulus degustauit, quæ prius illi fuerant lucra, arbitratus est vt stercora. Ad hanc diuinam quietem Christus nos inuitat, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Et Cantic. 2. *Veni columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Quasi dicat, in vulneribus meis, & super pectus meum requiesce. Columba, quam Noe extra arcam emisit, non inuenit locum, vbi requiesceret pes eius, quia extra Christum voluntas hominis quiescere minimè potest. In Christo verò columba, & *passer inuenit sibi domum, & turtur nidum, vbi reponat pullos suos.* Psalm. 83. Ea ratione Saluator, qui omnes sitientes ad vitæ aquas inuitat, in cruce pendens brachia extendit, & pectus aperuit, vt omnes excipiat.

Christus Dominus cētrum est cordis nostri.

August.

Sap. 5.

Hier. 17.

Philip. 3.

Matth. 11.

Cant. 2.

Genes. 8.

Olim per Esaiam promiserat Dominus: *Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis.* Id quod, quanquam in Apostolis omnibus impletum est, qui ad vbera Christi suauissimo lacte doctrinæ cœlestis nutriti sunt:

Esa. 66.

sunt: speciali tamen quadam ratione in sacro Ioanne impleta est diuina promissio, qui super vbera, & pectus Christi recubuit. Augustinus tractat. 61. in Ioannem: *Vbera Christi sunt fons diuinæ sapientiæ: In ipso enim sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi.* Vnde manant dona gratiarum, peccatorum remissio: vera Dei, & proximi dilectio, atque dulcedo Spiritus sancti. Illa quoque benedictio, qua Patriarcha Iacob benedixit Ioseph, dicens: *Omnipotens benedicet tibi benedictionibus, benedictionibus vberum*, &c. in Ioanne adimpleta est: gustauit enim delectationem vberum Christi, quæ (vt sponsa ait) *meliora sunt vino, fragrantia vnguentis optimis.* Pectus namque Christi plenum est diuitijs, delicijs, & odoribus cœlestibus. Hoc est, quod Ioannes vidit, cùm aspexit Dominum *præcinctum ad mammillas zona aurea:* hoc est cingulo perfectissimæ charitatis, pleno diuitijs gratiarum omnium, quod efficacius mẽtem cingit, rapit, atque transformat, quam vinum omne mentem inuertat. In eo enim sensu dixit sponsa: *Meliora sunt vbera tua vino.* Vbera igitur, & pectus Christi locus sunt requietionis animæ. Ibi centrum nostrum: *lectulusque noster floridus:* plenus odoriferis virtutum floribus, & cœlestibus emissionibus. Ibi recumbens Ioannes impletum vidit desiderium sponsæ, quo petebat: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo* Super floridum enim Dominici pectoris lectulum requiescens, ineffabiliq; ipsius odore refectus locum requietionis, & pacis nostræ, vberrimaque pascua, vbi cubat in meridie, nobis ostendit. Ad hæc nos Saluator inuitat, dicens: *In me pacem habebitis.* Hunc dulcissimum somnum à longè prospiciens Regius vates optabat, dicens: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam.* O fœlicissimam animam, quæ super pectus Iesu requiescit, super ipsum dormit, per animi quietem, & desideriorum tranquillitatem, omnem curam, & solicitudinem in ipsum proijciens. Sic dormientem sponsam exultans contemplatur sponsus, neque tam grati sibi somni alium vult esse custodem præter seipsum; Id quod intelligens sponsa confidenter ait: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Et iterum sponsus Cant. 8. ait: *Adiuro vos filiæ Hieru-*

[Marginal notes: *August.* — *Vbera, & pectus Christi fons diuinæ sapientiæ.* — *Coloss. 2.* — *Gen. 49.* — *Cant. 1.* — *Apoc. 1.* — *Cant. 1.* — *Vbera, & pectus Christi locus sunt requietionis animæ.* — *Cant. 2.* — *Ioan. 13.* — *Psal. 4.* — *Cant. 5.* — *Cant. 8.*]

Hierusalem, ne suscitetis, neq; euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

Tandem Ioannes super pectus Domini recumbens docet nos cœlestem illam Spiritus sancti philosophiam, quæ Prouer. 30. habetur: *Qui fortiter premit vbera ad eliciedum lac, exprimit butyrum*; id est, lactis pinguedinem, quo sacrum incarnationis mysterium, significatur. Lac enim ex carne, butyrum ex lacte fit. Mysterium est totũ dulcedine plenum; ideò Esa cap. 9 dictum est de Christo Domino: *Butyrum, & mel comedet.* Augustinus quoque in illud Iob cap. 20. *Non videat riuulos fluminis, torrentes mellis, & butyri:* intelligit vbertatem, atque pinguedinem charitatis Christi. Hanc igitur, quam Ioannes ex vberibus, & pectore Christi suxit, nobis ostendit, vt pinguedine dilectionis reficiamur per charitatẽ Dei, & proximi.

Butyrum ex Christi pectore Ioannes expressit, cum incarnationis mysterium cognouit.

August.

Apocal. 19. vidit sacer Euangelista in capite Domini Iesu diademata multa, sicut Imperatores solent tribus coronis inaugurari, ferrea ab Archiepiscopo Coloniensi, argentea à Mediolanensi, aurea à Romano Pontifice. Cœlestis verò Imperator Iesus innumera diademata habet, ex quibus sacro Euangelistę Ioanni plurima contulit: habet enim tres laureolas, Doctoris, Virginis, & Martyris. Inter Apostolos etiam, Euangelistas, Prophetas: & inter Sanctos omnes suam coronam habet. Insigne verò diadema de manu Christi suscepit, dum Virgo sacra cum corona stellarum duodecim in veram matrem, & veluti coronam Regiam sibi à Domino donata est. Cæterùm pectus, & caro Christi Iesu, quæ veluti diadema, non spineum, sed tenerum, amore plenum, atque diuinum, Principis nostri Ioannis caput cingit, & exornat, coronas omnes, & diademata, quæ ab hoc pectore, veluti ex cœlesti horto, ad laureandos Sanctos omnes nectuntur, mirum in modum excellit. Ioannem ergo potentissimum patronum nostrum, atq; intercessorem apud Dominum Iesum habere curemus Quid enim à iusto iudice, atq; clementissimo, pro peccatoribus nõ obtinebit, qui etiam pro ipsis cœlestis curiæ Senatoribus apud Dominum interuenit? Et qui aduocatus fuit summis, quam humiliter implorandus est à minimis?

Apoc. 19.

Per

Per illum deprecemur Dominum Iesum, vt dignos nos efficiat, super quos ipse Dominus requiescere, & caput suum reclinare dignetur. Vtque nos rursus super ipsum dormiamus, veramq; desideriorum quietem, & pacem habeamus, & ab ipso tanquam cœlesti Paradiso odoriferas laureas gratiæ nectamus, & splendidas gloriæ coronas percipiamus, qui viuit, & regnat in secula seculorum. Amen.

IN EADEM SOLENNITATE FRAGMENTA SVPER EVANGELIVM EX Ioann. 21.

1. IXIT *Iesus Petro: Sequere me.* Quanquam Saluator adeò diligebat Ioannem, totque dilectionis pignoribus, familiaritatisque priuilegijs præter cæteros Apostolos decorauit: ne qua liuoris, & inuidiæ daretur occasio, si adolescentiorem, sibique familiarem cæteris senioribus prætulisset, Ecclesiæ sanctæ pastorem instituens; ea ratione Petrum elegit, atque vicarium suum designauit: sicut D. Hieronymus adnotauit: Vt Principes, & Prælatos doceat, vt in munerum, & ministeriorum distributione maximè attendant, vt omnem inuidiæ ansam à subditis tollant. Eademque fortè ratione noluit reuelare, qua morte Ioannes esset moriturus, cum id interroganti Petro respondit: *Quid ad te?* Prius tamen, quam summum Pontificatum Ecclesiæ Petro committeret, ter ipsum rogauit, an se plus cæteris diligeret; tum, quia amor proprius remora est, quæ à Christi sequela retardat: pastoralique muneri reddit ineptum; tum verò maximè, vt trina dilectionis confessione veluti efficaci antidoto trinæ negationis venenum euomeret: tamque sublimi muneri per charitatem Christi redderetur idoneus.

Hieron. *Principes, & Prælati omnem inuidiæ occasionem tollere tenentur.*

Sequere

Sequere me. Martyrium; quod per crucem consummaturus erat Petrus, his verbis illi prędixit Dominus teste D. Augustino. Antequam Saluator crucem ascenderet, *nondum erat propalata Sanctorum via* (vt Paulus docet ad Heb 9.) & vt Ambros. ait serm. de martyr *nullius fuerat temerata vestigio.* Angusta enim erat semita, quam ignorauit auis. *Nemo* (ait Christus) *venit ad Patrem, nisi per me* Postquam verò Redemptor pro nobis cruci affixus est, viam nobis ostendit, exemploq; suo aperuit: ipse enim est via, & absq; vllius erroris timore, quia est veritas, & terminus viæ, & vita. Arduum quidem est iter, & difficilis, atq; angusta semita, ductore indigẽs: Sicut per Esaiam Dominus promiserat: *Ecce testẽ populis dedi eum, ducem, ac praceptorem gentibus* Dum ergo Petro dixit: *Sequere me:* non tãtùm Petrum, sed & Apostolos omnes, & cunctos fideles ad sequelam suam inuitat, quia magna gloria sequi Dominum. Petrum verò ad crucis imitationem speciali ratione vocat. 2. *August.* *Hebr.* 9. *Ambros.* *Iob* 28. *Ioan* 14. *Christus cruci affixus viam nobis ad beatitudinẽ ostẽdit.* *Esa* 55. *Eccl.* 23.

Sequere me. Postquam Dominus ouium suarum pastorem Petrum instituit, præcipit, vt se sequatur. Sed nõne expeditus pastorali munere velocius Dominum sequeretur, *qui exultauit, vt Gigas ad currẽdam viam?* Cæterum hoc discriminis est inter onera mundi, & Christi: quod illa grauia sunt, cursum impediunt, & cor deprimunt. Hæc sunt quinque illa iuga boum, quæ à cœna Domini eum, qui emerat, retardarunt. *At iugum Christi suaue est, & onus leue:* vt ipse ait Matth. 11. Diuus Bernardus simile adhibet de onere lignorum, quæ etiam in minori quantitate portari nequeunt: adhi[illegible] ita tamen maiori lignorum quantitate, maioriq; onere rotarum, quæ ex lignis fiũt, propter artificium & industriam rotarum totum illud pondus facilius portatur. Similiter nau[illegible]s fabrefacta in mare iactata sine onere mali, antennarum, & lapidũ sarcina in profundiori nauigij parte, quæ vulgò dicitur: *el lastre:* donec his oneratur, minimè mouebitur: cum eo verò necessario, & proportionato onere, vela flatibus expansa nauim facilè, imò velocissimè ducunt Sic, qui Dominum sequũtur, & in ipso spem omnẽ constituunt, votorum, & perfectionis vitę onere sibi imposito, *mutabunt fortitudinem* (vt Esa. prædixit) *assument* *Psal.* 18. *Luc.* 14. *Iugũ Christi suaue, & onus leue.* *Matth.* 11. *Bernard.* *Simile.* *Simile.* *Esa.* 40.

pennas sicut aquila, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.

4. *Sequere me. Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Non opes, sed opus dixit Apostolus; dignitatis enim munus pensionem operis habet annexam, sequelæ nimirum, & imitationis Christi. Ille namq; *Princeps est pastorum*, qui perditam ouem summo cum labore, & sudore quæsiuit: Et inuentam super humeros suos patienter, imò exultanter tulit. Sic prælati Christum sequi, atque imitari tenentur *forma facti gregis*. Hoc est, quod Christus Dominus Petro prædixerat, cum oues suas illi commisit: *alius cinget te:* quasi dicat, ex munere tibi iniuncto à subditis cingi debes, tuq; teneris illis coaptari. Cant. 1. ait sponsus: *Si ignoras te*, & munus tuum: *pasce hædos tuos*, id est, subditos, iuniores, inquietos, & insolentes, patienter tolera, *iuxta tabernacula pastorum*, id est, vestigia sequens sanctorum prælatorum, & antiquorum pastorum patientiam, misericordiæque viscera imitatus: Moysi, Dauidis, Petri, Pauli, & successorum in Apostolico, & Pontificio munere.

1. Tim. 3.

Dignitates terrena pensionem habent solicitudinis annexam.

5. *Sequere me.* Dum Petrum totius Ecclesiæ principem ad suam sequelam Dominus vocat, cunctos quoq; fideles ad eandem exhortatur. Nam (vt ait Paulus) *apparuit gratia Saluatoris nostri Dei omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegātes impietatem, & secularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo expectantes beatam spem.* Sobrietatē erga se comitatur iustitia in subditos, & proximos, atq; pietas in Deum. Vbi verò sobrietas abest, necesse est, vt pietas in Deum procul absit, & iustitia in subditos, & pauperes passim violetur. Oportet igitur sobriè agere, & seipsum, & impietatem, & secularia desideria abnegare, vt Christum verè sequamur, qui non sibi placuit, neq; suam voluntatem, sed Patris secutus est, vt verbo, & exemplo nos doceret, quod Luc. 4. ait: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucē suam, & sequatur me.*

Ad Tit. 2.

Sobrietas fundamētum est iustitiæ.

Luc. 4.

6. *Conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus.* Inter priuilegia omnia, & gloriosos titulos, de quibus Ioannes gloriari posset, titulus hic, quod fuerit dilectus Iesu, præstantissimus est: Sine quo cętera omnia

vanitas.

vanitas. Duplex locus hic sese offert dicendi: Alter de dilectione Dei erga nos: de quo Concione secunda huius festiuitatis diximus. Alter locus est contra filios huius seculi, qui gloriosis titulis gaudet, atq; in illis maximam partem suę fœlicitatis constituunt. Contra quos Regius vates Psalm. 4. Inuehitur dicens *filij hominum vsquequo* *Psal. 4.*
graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quaeritis mendacium?

Qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Do- 7.
mine quis est, qui tradet te? Audax est amor, & intrepidus. *Amor est*
Magdalena, quia diligebat Iesum, non trepidat inter *audax.*
noctis tenebras, nec inter milites, nec inter mortuos corpus defuncti Iesu quęrere, vt vngat. Imò neq; pondus cadaueris suis viribus impar: ait enim: *Ego eum tollam.* Ioannes in medio Senatu Apostolico non timet super pectus Iesu recumbere, neq; ipsum arcanum illud interrogare, quod Petrus cæteriq; Apostoli scire summopere optabant, quisnam eum esset traditurus. Ioannes verò, *Cant. 8.*
quia diligebat, & diligebatur à Domino, vtrumq; audet. *Verè fortis est, vt mors, dilectio.*

Domine hic autem quid? Post iniunctum sibi Pontifi- 8.
cium munus Ecclesiæ, iam Petrus Apostolus per se Dominum interrogare audet, qui prius Ioannem sufficiebat, vt interrogaret. Incipitque suorum iam curam gerere, vt prelatos instruat ouium suarum solicitudinem habere. De qua re legatur Diuus Basilius in illud Psal. 28. *Basilius.*
Afferte Domino filios arietum. Maximè verò solicitabat Petrum amor, quo Ioannem diligebat. Atque adeò nolebat illum à se diuidi, & maximè in tam honorifica, & gloriosa Christi Domini sequela. Vel, vt ipsi Ioanni, qui exitum suum scire cupiebat, hac interrogatione vicem alterius interrogationis rependeret, qua innuente sibi Petro Dominum interrogauerat, quis eum esset traditurus.

Sic eum volo manere. Cyrillus legit conditionaliter: 9.
Si eum velim manere, quid ad te? Augustinus affirman- *Cyrillus.*
ter legit: *Sic eum volo manere.* Aliqui contendunt Augu- *August.*
stinum legisse conditionaliter cum Cyrillo, vitio tamen scriptorum irrepsisse: *Sic eum* Alij legunt: *Si sic eum volo* *Chrysost.*
manere. Chrysost. *Si eum volo manere.* Theophyl. *illum* *Theophyl.*

autem si volo eum manere. Et cum hac lectione conueniunt verba subiuncta: *Et non dixit Iesus, non moritur:* quasi dicat, nihil assertiuè dixit Christus, sed dato casu, quod volo eum manere, quid ad te? Laurentius Val. acerbis

Erasmus. conuitiis in Augustinum inuehitur, quod omissa Græci fontis veritate falsò intruserit particulam, *sic.* Erasmus verò pro Augustino patrocinium suscipiens impudentius agit, & peius defendit, quam Laurentius accusat. Ait enim parcendum Augustini imperitiæ, & incredulitati; quia sero venit ad Christianismum. Sed valeant arrogantes, & superbi Grammatici; ne dicam blasphemi in præclarum Ecclesiæ lumen Augustinum; Et meminerint illius dicti Apellis: *Ne sutor vltra crepidam.* Constat enim Augustinum Græcæ linguæ habuisse peritiam.

Trapezũt. Georgius Trapezuntius Græcus eruditissimus modestiùs, & melius ait: Augustinum, aliosque Sanctos, non ex imperitia linguæ, imò ex industria sic transtulisse: quia eadem particula græca, ἐὰν, si iungatur subiunctiuo, accipitur dubitatiuè, & conditionaliter: si verò indicatiuo accipitur affirmanter pro, sic. Atque ea forsan de causa Dominus dictione æquiuoca consultò vsus est: vt consilium suum de Ioannis exitu omninò maneret occultum.

10. *Sic eum volo manere.* Nahum. 1. scriptum est: *Non consurget duplex tribulatio:* quod vulgo dici solet; *Non punit Deus bis in idipsum.* Dum Ioannes crucifixo Domino astitit, calicem ipsius bibit, ibique martyrium passus est, non corporis, sed animæ: cum ipsius animam doloris gladius pertransiuit. *Anima* enim (vt Augustinus

August. ait) *plus est, vbi amat, quam vbi animat.* Si Paulus Christo confixus est cruci, quanto potius Ioannes, qui oculis suis Christum animam suam sic afflictum, crucifixum, & morientem aspexit: quique Virginem sanctissimam simul secum stantem iuxta Crucem filij adeò afflictam, & desolatam contemplatus est, confixus est cruci? Adde, quod seruabatur illi & alia crux, qua in morte Virginis almæ, veræ matris Dei, & suæ transfigendus erat. Satis ergo illi fuit triplici gladio animo transfigi: vt verus martyr dici possit, qui à dulci tyranno, (amore inquam) passus est. Neque defuit illi corporis martyrium,

Ioannes Euãgelista multiplici ter martyr fuit amoris gladio transfixus

cum

cum Romæ in feruentis olei dolium missus est. Quanquam pugilem Christi feruentiori charitatis, & Spiritus sancti oleo perunctum corporale oleum quantumcunque feruens lædere minimè potuit. Intus enim existens prohibet extraneum: sicut & tres pueri diuinæ charitatis igne protecti ab igne fornacis Babylonici seruati sunt. *Dan. 3.* Pro prædicatione etiam Euangelica apud Patmon Insulam exulauit, & longa tandem vita pro ædificatione Ecclesiæ, quasi amarum exilium à desiderata sibi æterna patria, patienter tamen pro bono Ecclesiæ ab ipso toleratum, pro martyrio fuit. Tot igitur martyrij laureis digno nihil necesse fuit crucis coronam adiungi.

Quid ad te? Locus proprius sese offert dicendi contra curiosos, & qui curiosa sectantur. 11. Augustinus eleganter ait: *August.* *Studiosus, & curiosus agitantur cupiditate sciendi: Sed discrimen est, quod studiosus necessaria, & quæ ad se pertinent, inquirit: Curiosus verò ea, quæ nihil ad se attinent.* Act. 19. *Multi ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt eos coram omnibus, & computatis pretijs illorum, inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.* *Act. 19.* Multò verò perniciosior, & damnabilior est illorum curiositas, qui seipsos nescientes, alienam vitam, mores, genus, opes, verba, facta, & consilia inquirunt. Potissimùm verò damnatur curiositas in perscrutandis arcanis diuino consilio reseruatis. *Curiositas vitanda, & maximè circa diuina consilia.* Contra primos dicit Paulus ad Rom. cap. 14. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat, aut cadit.* *Rom 14.* Contra secundos verò Ecclesiast. 3. dicitur: *In pluribus operibus eius non fueris curiosus: non enim est tibi necesse ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis.* *Eccl. 3.* Et Prouerb. 25. *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.* *Prou. 25.* Et Christus Dominus Act. 1. discipulis interrogantibus: *Domine, si in tempore hoc restitues Regnum Israel?* dixit: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* *Act. 1.* Primum peccatum hominum ex curiositate profectum est. Cùm enim dixisset serpens mulieri, *Eritis sicut dij scientes bonum, & malum:* curiositate scientiæ agitata virum impulit, vt pomum vetitum comederent. *Gen. 3.* Cùm Rex Dauid curiositate motus

populum Israel, & Iuda numerari præcepit, iram Domini contra se prouocauit, atque ex tribus malis optione sibi data per Gad Prophetam, cùm in manus Domini incidere potius elegit, *immisit Dominus pestilentiam in Israel, & ceciderunt ex populo septuaginta millia virorum.* Quare curiositatis malum expertus, meliori consilio curiositatis appetitum corrigere nos docet Psalm. 72. dicens: *Existimabam vt cognoscerem, hoc labor est ante me, donec intrem in Sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum.* In illud ergo nouissimum tempus differamus eorum cognitionem, quæ nos latent, & maximè circa diuina consilia, & arcana. Tunc enim, cum veniet Dominus (vt Paulus ait) *illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Sic arcanum consilium de Ioannis exitu sibi soli Dominus reseruauit, ne qua occasio cæteris Apostolis daretur inuidiæ, si reuelasset tunc Dominus, quod solus ipse inter Apostolos cum corpore, & anima in cœlum esset exaltandus. Sic Prouer. 25. scriptum est: *Gloria Dei est celare verbum.*

2. Reg. 24. *Psal. 72.* *1. Cor. 4.* *Prou. 25.*

12. *Ad salutē consequendam plures patent viæ.* *Quid ad te?* Insinuare voluit Dominus Petro non tantum per crucis martyrium patêre viam salutis; sed & aliis modis ad sequelam Christi accessum patêre. In via enim Domini *alius sic, alius sic, ibat.* Id quod indicauit Dominus, cum filiis Israel in terram promissionis tendentibus *diuisit mare rubrum in diuisiones:* Sicut Regius vates cecinit: *Maria quidem optimam partem elegit:* non tamen reprobatur, imò laudatur pars Marthæ, quæ Dominum excepit, & cum solicitudine hospitium illi præparauit. Quare mater Ecclesia rubentes martyrum rosas ita celebrat, vt candida Virginum lilia, & virentes confessorum palmas concelebret. *Vnusquisq; ergo, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat, & ambulet dignè vocatione sua.*

Psal 135. *Luc. 10.* *Ephes. 4.*

13. *Temporalium solicitudo tollenda.* *Quid ad te? Iacta in Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Psal. 54. Ad Abraham dixit Dominus: *Ego protector tuus.* Gen. 15. & Dauid dixit: *Dominus solicitus est mei.* Psal. 39. & iterum: *quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Psalm. 26. Dominus quoq; omnium temporalium solicitudinem

a cor-

à cordibus eradicare desiderans Matth. 6. ait: *Ne soliciti sitis animæ vestræ, quid māducetis, neq; corpori vestro, quid induamini, scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm Regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.*

Exijt sermo inter fratres. Potissima gloria Christianæ gentis in hoc nomine fratris sita est: Tum quia ex vno Patre Deo, & ex vno sanctę matris Ecclesię vtero per baptismum geniti sumus: Sic docet Paulus ad Eph. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma: vnus Deus, & Pater omnium:* Tum quia Christus Dominus nos docuit, vt eo nomine gloriemur, dicens Matth. 21. *Omnes; vos fratres estis.* Imò & per amorem, & dignationem suam nos fratres suos vocauit, & esse voluit. Sic Paulus ad Heb. 2. *Non confunditur eos fratres vocare dicens: narrabo nomen tuum fratribus meis:* & ad Rom. 8. vocat Iesum *primogenitum in multis fratribus* Ipse quoq; Dominus postquam surrexit à mortuis, *occurrens mulieribus dixit: nolite timere: ite nūciate fratribus meis, vt eant in Galilaam, ibi me videbunt.* Matth. 28. Sic noster Ioannes Euangelista Apoc. 1. hoc nomine gloriatur: *Ego Ioannes frater vester.* Et Paulus in suis Epistolis amorem fraternitatis frequenter commēdat. Quod si charitas fraternitatis in cordibus nostris regnaret, regnaret & pax, & nomen fratrum super omnia nomina nobis esset gratissimum. 14.

Nomē fratris simplex & dignissimū.

Et non dixit Iesus, non moritur. Sensus est, quod non dixit Iesus, quod vsq; ad diem iudicij non esset moriturus, vt aliqui falsò intellexerunt: & quod in Paradisum esset transferendus, vt cum Elia, & Enoch veniat prædicaturus tempore Antichristi. Quæ falsa opinio verbis Euangelistæ corrigitur dicentis: *Non dixit Iesus, non moritur.* Eius quoque opinionis falsitas comprobatur ex visione Zachariæ cap 4. quam adhuc explicatius vidit ipse Ioannes Apocal. 11. de duabus oliuis, & candelabris, & duobus filiis olei, quos Ioannes vocat testes Christi, qui prophetabunt mensibus quadraginta duobus. Hi duo sunt Enoch, & Elias. De Enoch Ecclesiast. 44. dicitur. *Enoch translatus est in Paradisum, vt det gentibus sapientiam.* De aduentu verò Eliæ prædixit Malachias c. 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam* 15.

Falsa opinio corrigitur dicentium, quod Ioannes sit in Paradiso cū Enoch, & Elia.

Zach. 4. Apoc. 11. Eccl 44. Malach 4.

 veniat

Veniat dies Domini magnus, & horribilis. Ex quibus locis comprobatur, quod ad conuersionem gentium veniet Enoch ex lege naturæ: ad conuersionem verò Iudæorum veniet Elias ex lege scripta. Ex lege verò gratiæ nullus veniet, neq; opus erit, quia tunc feruentissimi vigebunt Euangelici prædicatores, iuxta temporis illius necessitatem; qui quidem Apoc. 1. designantur per *pedes similes aurichalco, sicut in camino ardenti, & sicut vox aquarum multarum.*

Apoc. 1.

Scio quidem interpretem quendam nostræ tempestatis in eum locum post adductam explicationem Ruperti, qua per pedes similes aurichalco, intelligit Christi Domini humanitatem purissimam, cum diuinitas ipsius, quæ caput est, dicatur aurum optimum, Cant. 5. Rectè humanitas, quæ inferior pars est, similis dicitur aurichalco, quod fit ex ære: siue legamus aurichalcum, quod est purificatum æs, *como Alaton Morisco*: Quod auru apparet: siue legamus chalcolibanum, id est, thus masculũ: quod idem est, ac si dicamus: humanitatem Christi purissimam esse, & odoriferã, sicut in camino ardenti propter persecutiones, & crucem, atq; ardẽtem charitatem. Subdit tamen is nouus interpres, quod probabilius intelligemus per pedes inimicos Domini, & Sanctorũ persecutores Christi pedibus conculcandos iuxta propheticum vaticinium; *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Et Esa. c. 63. *Calcaui eos in furore meo.* Miror tamen virum alias doctissimum non aduertisse, quod pedes non calcantur, quinimò ipsi potius calcant. Quare Dauid eo Psalm. non prædixit inimicos ponendos pedes Christi, sed scabellum, quod pedibus erat calcandũ. Pedes igitur commodius vocabimus Apostolos, & prædicatores Euangelicos: qui inimicos Christi conculcarunt, & conculcabunt. De quibus explicat D. Greg. 19. mor. cap. 11. & 12. illud Iob 29. *Quando lauabam pedes meos butyro*; quia sancti prædicatores, de quibus dicitur, ambulabo in eis, per Spiritum Domini bonorum operum pinguedine replentur. Per pedes igitur Christi ardentes, similes aurichalco, sicut in camino ardenti, commodissimè prædicatores zelo Diuino feruentes designantur: qui in extrema parte corporis Christi,

Cant. 5.

Psal. 109.

Esa. 63.

Pedes Christi Apostoli, & prædicatores Euangelici.

Gregor. 19. mor. cap. 11. & 12.

Iob. 29.

quæ

quæ est Ecclesia, hoc est, in fine seculi futuri sunt: qui magno zelo ad Christi veram, & sinceram fidem infideles reducere nitentur. Ob idque ingentes persecutiones, & supplicia patientur. Eaque ratione Apoc. 10. Vidit iterum Ioannes *pedes eius sicut columnas ignis*. Columnæ vtique sunt propter fortitudinem, & constantiam prædicationis: ignis propter feruorē, zelum, & charitatem. Hæc est pedum pulchritudo, quam Dominus per Esai. c. 52. laudat dicens: *quam pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem.* Minimè igitur oportuit ad hoc munus Ioannem in paradiso detineri, cum Elia, & Enoch, vsque ad diem iudicij. Satis enim fuit per tot annos nempe per sexaginta & octo post Domini passionem superstitem permanere: vt illius authoritate, consilio, & institutione Ecclesia recens, & paruula cresceret, & stabiliretur. Sicut enim Iacob postquam dormiuit supra petram, & luctatus est cum Domino, meruit ipsius benedictionem; mutatoque nomine Iacob, i. luctatoris, vocatus est Israel, id est, videns Deum: post tam illustrem enim luctam cum Domino, non erat æquum, vt amplius cum homine luctaretur. Sic vtique disposuit Dominus, vt postquam Ioannes supra pectus Iesu recubuit, crucique ipsius astans difficilem, & arduā luctam passus est: non pateretur amplius aliam martyrij luctam: sed per suauem mortis somnum cum corpore, & anima in beatas illas immortalitatis oras assumeretur. Ita docet D. Hieronymus: quòd benedictione discipulis data tam extraneus à dolore mortis, quam à corruptione carnis alienus è vita discessit. Et Angelicus Doctor in illum locum Euangelij opinatur cum corpore, & anima in cœlum assumptum. Hæc est stola illa duplex, quam Ioseph dedit Beniamin dilecto, & præ cæteris iuniori fratri.

Apoc. 10. *Esa. 52.* *Gen. 32.* *Hieron.* *S. Thom.* *Gen. 47.*

IN FESTO SANCTORVM INNOCENTVM,

CONCIO PRIMA.

THEMA.

Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valdè: & mittens occidit oēs pueros, qui erant in Bethlehē, & in omnib. finib. eius: à bimatu, & infrà: secundum tempus, quod exquisierat à Magis. Matth. 2.



VANGELIVM hodiernum atrocissimam Herodis Regis impietatem continet: quam in pueros Bethlehemiticos, & confinium populorum *à bimatu & infrà* exercuit: vt inter illos Saluatorem Iesum, quem Regem esse audierat, occideret. *Illa enim regum maxima ira est* (vt Chrys. ait) *quā Regni zelus accendit* Sicut enim bestia vulnerata, quidquid illi occurrit, quasi authorem sui vulneris dilaniat: sic Herodes à Magis delusus super paruulos furoris sui virus effudit. Ex horum infantium sanguine, atque Innocentum nece perfecta fuit diuina laus. Vt nos igitur gloriosos Innocentes, vel Dominum potiùs in illis dignè laudare valeamus, Diuini numinis auxilium per almam Dei genitricem imploremus, dicētes: *Aue Maria.*

Chrysost. Simile.

Sacram pueri Iesu natiuitatem gaudio, & exultatione plenā hisce diebus recolimus. Et ecce crudeli, & impia Innocentū cæde, horrēdoq; innoxij sanguinis effusi spectaculo gaudium nostrum turbari videtur. Nullū enim vnquā atrocius facinus in orbe perpetratum est. Historia hæc fuit vbiq; celeberrima: nam præter Euangelium Matth. describunt illā Philo Iudæus, Macrobi⁹, Cassius Nicæus Græcus, Antonius Sabellicus, & D. Aug. lib. 2. de

Philo Iudæus. August.

consensu Euangelist. c. 11 Macrobius, quamquā gentilis, facinus detestatur: imò addit, quod cū Augustus Cæsar audisset inter cæteros pueros filium quoq; ipsius Herodis occisum, dixisse fertur: *præstat Herodis esse porcum, quàm filiū*: quia, cum esset proselitus, vt Iudæis placeret, à porcina abstinebat. Videns ergo se à Magis delusum, quia ad ipsum nō sunt reuersi, timens pueri nati, & à Regibus adorati sceptrū; decreuit illum occidere. Et quāquā primo anno Romā à Cæsare vocatus impij consilij executionem distulit (vt Aug ait loco citato) proximo tamen anno Hierosolymā reuersus id executioni mandari iussit. Tantæ ergo impietatis atrocitate *Vox in Rama audita est*: hoc est, in excelso, vt Hieron. interpretatur. Et non solum vox eiulatus matrum, vagitus infantum, & vox sanguinis ipsorum in cœlum ascendit, & clamauit ad Dominum de terra: *Que subian los gritos al cielo.* Verum tam impium scelus dignum fuit, vt pulchra Rachel iuxta Bethlehem iam diu sepulta, cunctæque piæ matres ad dignè deplorandam inhumanam adeò sæuitiē, atq; atrocem truculentiam sepulchris consurgerēt. *Macrob.* *Hieron.* *Exageratio est D. Remigij.*

Ecquis nam diuinā hanc tragœdiā conciliare valeat? Nōne tu es Domine, qui dixisti; *ego Veni, Vt Vitam habeant*? Ecce mortē infers. Nonne angeli concinunt in terra pacē? Hæccine pax? Imò bellū: imò sanguinis effusio. *Ioan. 10.* *Luc. 2.*

Respondetur primò cum sacro Euangelista Mattheo id factum esse; vt adimpleretur, quod dictum est per Hieremiam Prophetam: *Vox in Rama audita est, ploratus, & Vlulatus multus: Rachel plorans filios suos, &c.* Septuaginta legunt: *luctus, & fletus.* Hebræi, *fletus amaritudinum*, id est, amarissimus. Quasi dicat: cædes hæc non casu contigit: sed diuina prouidentia sic ordinante: vt prophetia impleretur. Quæ, quamuis ad literam intelligatur defletu causa captiuitatis tribus Beniamin, qui fuit filius Rachelis: Diuus tamen Hieronymus de fletu in Bethlehem futuro propter occisionem Innocentum in sensu etiam litterali interpretatur. Et concinit huic interpretationi verbum ipsum Euangelistæ dicentis: *Tunc adimpletum est, quod dictum est per Hieremiam Prophetam, &c.* Atque id, quod Propheta subdit: *quiescat Vox tua à ploratu, & oculi tui a lachrymis: quia est* *Hiere. 31.* *Hieron.*

quia est merces operi tuo: id est, filijs tuis: quia filij tui sanguinis pro Christo effusi mercedem sunt habituri. *Et reuertentur de terra inimici: & est spes nouissimis tuis, & reuertentur filij tui ad terminos suos*: nam pro terra Herodis inimici possidebunt regna cœlestia. Hæc est spes
Matth. 13. reposita in nouissimis: *cum fulgebunt iusti: sicut Sol in re-*
Ephes. 4. *gno patris eorum*: & lactentes paruuli resurgent *in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

Respondetur secundò cum Christo Domino Matth.
Matth. 10. 10. dicente: *nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium*: sic enim expedit ad vitam, & spiritualem pacem Ecclesiæ. *Veni separare hominem aduersus, patrem suum, & filiam aduersus matrem suam* Sic hodie gestum videmus, cum in ore gladij ab vberibus matrum filij diuulsi sunt. Quid hoc mysterij, quòd semper video diuinam maiestatem, quasi affectam sanguini, & veluti sanguinis sitibundã? Nam initio conditi orbis primi iusti Abel sanguinem à fratricida Cain permisit effundi. In lege quoque veteri populum sibi dilectum sanguinis per circumcisionem
Leuit. 1. effusi signo voluit inter omnes nationes designari: & in
& 4. sacrificijs sanguinem sibi offerri præcepit. Sed quod admirationem magis auget, est videre principem pacis non solum sanguinem proprium vix natum effundere, sed innocentum quoque infantum sanguinis effusionem permittere. Atqui sitis mundi non alio potu quàm Christi, & amicorum sanguine satianda erat. Cum Rex Dauid arcam Domini in Bethlehem intulit, *immolauit hostias, holocausta, & pacifica coram Domino:* sic nunc cũ
2. Reg. 6. arca sanctissima humanitatis Christi in Bethlehem illata est, innocentum puerorum victimę immolatæ sunt.

Mundi sitis Christi sanguine satianda.

Ion. 1. Ecce impletur signum Ionæ Prophetæ: illo enim ascendente in mare tempestas exorta est. Sic nunc Christo verò Iona mundi mare ingrediente, Herodis tempestas insurgit; & contra verum granum frumenti cadens in terram aeris inclementia, & rigor ingruere incipit Ecce
Ioan. 12. gladius, *quem Christus venit mittere in terram* Ante illius enim aduentum maxima siti mundus æstuabat: sicut
Esai. 53. euangelicus Propheta prædixit: *Domine, quis credidit auditui nostro, &c. & ascendet, sicut virgultum coram eo:* vbi le-

vbi lectio Hebræa habet, *ascendet sicut puer lactens facies eius:* vbi pueri Iesu natiuitas explicatur. Et subdit Propheta: *& sicut radix de terra sitienti.* Id quod D. Hieron. de Christo Domino interpretatur, qui quidem *radix est Dauid*, quæ non descendit, sed potiùs ascendit, & ascensionem nostram disponebat. Terram verò sitientem sacram Virginem interpretatur propter munditiã, & integritatem: & quia sitim habebat diuinæ iustitiæ, desideriumque videndi diuinum Verbum. Terra quoque sitiens mundus est, qui diuinam gratiam sitiebat: *quæ per Iesum Christum facta est* (vt Ioan. ait. cap.1.) Quare hanc mundi sitim per Christum satiandam Euangelicus Propheta considerans, diuinoque spiritu illum quasi oculis cernens, cap.55 ait. *Omnes sitientes venite ad aquas, &c.* Et quamquam sitienti Regi Dauid de cisterna Bethlehem allata est aqua, noluit tamen illam bibere dicens, *num sanguinem hominum istorum bibam? Sed libauit eam Domino:* quasi spiritu prophetico intelligens sitim mundi, & suam, neque per aquam, neque per hominum sanguinem explendam: sed per sanguinem Christi. Eo sanguine hortus Ecclesiæ irrigandus erat: illius ædificium inchoandum, augendum: & consummãdum: sicut Paul. ait: *in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino.*

Hieron. *Apoc.5.* *Ioan. 1.* *Esa. 55.* *2. Reg. 23.* *Ephes. 2.*

Sanguis vtique principium est vitæ naturalis, & cordis nutrimentum: sic sanguis Christi initium est vitæ spiritualis Ecclesiæ. Ante ipsum genus humanum vita priuatum erat: hæc per sanguinem Christi erat restituenda. Ea ratione mundus terra erat sitiens: sitiebat enim sanguinem viuificantem. Et cum ab exordio mundi sanguine primi iusti Abel terra irrigata est: veluti in typo promissa est irrigatio per sanguinem Christi futura: Sicut Iacob prædixit Genes. cap. 49. *Lauabit in vino stolam suam: & in sanguine vuæ pallium suum.* Et hoc est mysterium illud, quare Dominus in veteri lege tot sacrificia sibi offerri præcipiebat, altare sanguine aspergi: foresque tabernaculi sanguine vitulæ: Numer. cap.19 postes, & superliminaria sanguine agni Exod. cap. 12. *Omnia enim in figura contingebant illis* (vt Apostolus Paulus ait. 1. Corinth. 10.) *quia impossibile erat sanguine taurorum,*

Sanguis Christi initium est vitæ spiritualis. *Genes. 49.*

Heb. 10. *rorum, & hircorum peccata deleri Quare ingrediens mundum dicit: hostiam, & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocaustomata, & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, ecce venio: vt faciam, Deus voluntatem tuam.* In die ergo circumcisionis primum sanguinis sui pignus exhibere cœpit; in cruce totum prorsus effusurus. Primis illis sanguinis sui guttis totius effusionem pollicitus est: vt genus humanum redimeret: hortum Ecclesiæ irrigaret: mundi sitim extingueret, ædificium Ecclesiæ per sanguinem suum instauraret. Nunc igitur, dum accedit hora crucis, plenæque effusionis pretiosi sui sanguinis, horum innocentum martyrum sanguinem, tanquam pignus, & fideiussionem exhibet.

Meritò ergo illorum martyrium celebrat Ecclesia: Tum quia suo sanguine Christi sanguinem, & vitam redemptionis nostræ pretium seruant. Neque ad coronam martyrij oportet dicere acceleratum fuisse in illis rationis vsum, vt quidam dixere: quos refert Angelicus Doctor 2. 2 quæst. 124. art. 1. ad 1. Sed quòd diuina gratia in sanguinis effusione propriæ voluntatis actum suppleuit: sicut in baptismo. Triplex enim esse martyrium docet Diuus Bernardus in sermone huius diei: sola voluntate, vt Ioannis Euangelistæ, solo opere; vt Innocentum: Tertium martyrium est voluntate, & opere, vt gloriosi Stephani. De Innocentibus Diuus Augustinus lib. 3 de libero arbi. cap. 24. asserit Ecclesiam nō frustra venerari Innocentes, martyrumq; choro adscribere. Tum secundò digni sunt veneratione, qui à sanguine suo mundi sitim mitigare cœperunt: atque hortum Ecclesiæ irrigare. Impletumque est illud Eccle. siast. 24. *Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo partus mei fructum:* Atque illud Cant. 7. *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius: & erunt vbera mea, sicut botri vinea.* Ecce innocentes pueri primi fructus sunt præcoces natiuitatis Christi, de quibus Michæ. 7. *Præcoces ficus desiderauit anima mea.* Hi sunt botri virgæ illius floridæ Aaron, quam in testimonium rebellium præcepit Dominus seruari in tabernaculo. Hi sunt primi flores erumpentis Ecclesiæ, primæque florum gemmæ, quæ fructus vberrimos parturiunt, & pollicentur.

S. Thom. *Bernar.* *D. August.* *Eccles. 24.* *Cant 7.* *Innocentes botri sunt, & præcoces fructus, primitiaque sanguinis Christi.* *Mich. 7.* *Num. 17.*

His

His vtique conuenit illud Esa. 62 *ecce Saluator tuus venit: ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo* Ecce enim iam Saluator noster sanguinis sui in circumcisione effusi primitias; & mercedem operis sui percipere incipit: de quibus canit Ecclesia: *hi empti sunt ex omnibus primitia Deo, & agno.* Hos Innocentes pueros ipsi agno Christo hodie offert Ecclesia illi conformes; & similes. Nam Cant 5. dicit sponsa: *dilectus meus candidus, & rubicundus.* Innocentes pueri simplicitatis, & innocentiæ candore, sanguinisque proprij rubore agni gestant similitudinem. Esai. 62. Apoc. 14. Cant. 5.

Deinde quia sanguine Christi ædificium Ecclesiæ perficiendum erat & consummandum: hodierna die Innocentum sanguinem summus sacerdos Christus consecrat, vt, in ipso sanctæ Ecclesiæ ædificium fœlicissima sortiatur auspicia. Id, quod Euangelicus Propheta videtur prædixisse. c 54. Cum enim proximo capite de Ecclesiæ generatione secundum sensum allegoricum admirãs dixisset: *generationem eius, quis enarrabit?* Tunc illius generationem, ædificium, & incrementum, quasi oculis cerniens: Ecclesiam ex gẽtibus congregatam alloquitur dicens: *paupercula, tempestate conuulsa: & absq; vlla consolatione. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos: & fundabo te in saphiris.* Paupercula quidem erat Ecclesia, donec per Christum ditata est, cœlestibusque thesauris locupletata. Tempestate conuulsa: & errorum procellis fluctuans, atque iactata. Illi ergo prædicitur magnificũ, atq; mirabile futurum ædificium, fundamentaq; in saphiris. Saphirus coloris est aerij, vel cœlestis punctis aureis collucẽs, vt Plinius adnotat lib. 37. c. 9 Per saphiros ergo cõmodè Innocentes martyres intelligimus: Nã de alijs martyribus statim subditur: *Ponam iaspidem propũgnacula tua.* Innocentes verò martyres rectè saphiris cõparantur, quia nõ habuerunt actum propriç voluntatis: sed totũ fuit cœleste donũ, vt meritò splendentes, & cœlestes saphiri dicantur. Scintillæ verò aureæ, quibus coruscant sanguinis pro Christo effusi valor est, & pretiũ. Sic enim Diuus Augustinus homil. 3 in Apoc in ea verba Apocalypsis 3. *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum:* per aurum dicit significari martyrium. Esa. 54. Esai 53. Plinius. Innocentes saphiri sunt super quos fundata est Ecclesia. August. Apoc. 3.

Horum

Horum ergo sanctorum Innocentum sanguine, veluti pulcherrimis saphiris primæ Ecclesiæ suæ fundamenta iecit Christus.

Bernard. *Ex horum ore* (ait Bernardus) *perfecisti Domine laudem tuam*: & in missa canit Ecclesia; *laus tua Deus*. Magna quidem laus est Angelorum, qui gloriam in excelsis concinunt Magna quoque laus est, quam homines bonę voluntatis diuinę maiestati semper tribuunt: magna, quam Stephanus, & Ioannes, Apostoli, & martyres Deo tribuunt. Sed necdum perfecta est diuina laus, donec per infantes pueros perficiatur; quos Dominus ad se inuitat dicens: *sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum.* Hos igitur ad Christum misit Herodis impietas. Et (vt Augustinus ait) *nunquam Herodes beatis paruulis tantùm prodesse potuisset obsequio, quantum profuit odio. Nam quantùm contra eos iniquitas abundauit tantùm gratia benedictionis effulsit. Et si magna fuit tyranni in occidendo sine culpa impietas, maior vtique fuit Christi in coronando sine meritis largitas* Ex horum igitur ore perficitur diuina laus in cœlo, & in terra. In terra quidem dum diuinam gratiam in illis laudamus: in cœlo verò, quia hi sunt, qui sequuntur agnum, quocunque ierit: canuntque canticum illud nouum perpetuæ laudis, & lætitiæ. O felices pueri primitiæ natiuitatis filij Dei, & præcoces fructus vineæ ipsius: qui priùs in capitibus coronas, quam capillos accepistis Qui propriò sanguine baptizati cœlum priùs, quam terram tetigistis: qui palmas sine agone, & coronas sine certamine percepistis: qui priùs triumphum, quam militiam experti estis. O pretiosissimi saphiri, si impius Rex vos ex mundo exterminat, cœlestis verò Rex prima Ecclesiæ suæ fundamenta super vos constituit: atque ad cœlestis Hierusalem hospitium, & tabernacula admittit: vt cum ipso viuatis in secula seculorum. Amen.

Psal. 8. *Matth. 19.* *August.* *Apoc. 14.*

IN EADEM SOLENNITATE,

CONCIO SECVNDA.

THEMA.

Surge, & accipe puerum, & matrem eius: & fuge in Aegyptum, & esto ibi, vsque dum dicam tibi. Futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Matth. 2.

SApien. 1 habetur: *sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum: quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum.* Herodes quærit, vt perdat, & vitam tollat ei, qui venit, *vt omnes vitam habeant.* Ea de causa non inuenit: quia cum ira, & odio quærebat. Sapientia verò diuina *inuenitur ab his, qui diligunt eam.* Quæramus igitur cum dilectione, & comitemur sponsam quærentem: num, *quem diligit anima mea, vidistis?* Et inueniemus illum in vlnis almæ Virginis: si tamen ipsam priùs supplices salutauerimus dicentes: *Aue.* *Sapien. 1.* *Ioan. 10.* *Cant. 3.*

Intestinum odium diaboli contra Dominum Iesum depinxit Ioannes visione illa horribili, qua vidit Apoc. 12. Draconem stantem *ante mulierem, quæ erat paritura: vt cum peperisset, filium eius deuoraret.* Hinc Christus ad Pharisæos sanguinis sui cupidos dixit: *Vos ex patre diabolo estis. Ille homicida fuit ab initio.* Ab initio siquidem illi prædictum est: *inimicitias ponam inter te, & mulierem: & semen tuum, & semen illius.* Quare tortuosus ille serpens nihil vnquam intentatum reliquit, vt sobolem, ex qua Christus nasciturus erat, de terra deleret. Ea ratione Pharaonem incitauit, vt omnes masculos *Intestinũ odiũ diaboli contra Christum.* *Apoc. 12.* *Ioan. 8.* *Gen. 3.* *Exod. 1.*

Hebræorum occideret: quia ex illis carnem assumpturum filium Dei nouerat ex promissione Abrahamo facta. Tunc Moyses in fiscella scirpea Dei beneficio liberatus typum gessit Saluatoris de manu Herodis liberandi. Deinde per Aman conatus est genus omne Hebræorum delere. Tertiò per Athaliam impiam curauit interficere omne semen Regium: ex quo Christus Dominus nasciturus erat. Diuina tamen prouidentia seruatus est Rex Ioas. Quartò per Antiochum 1. Machab. 2 genus omne Iacob, quod in Machabæis vigebat, omnibus viribus extirpare curauit. Nunc tandem per Herodem puerum Iesum quærit, vt illum perdat, & interficiat. Delusus tamen est miser; *quia Dominus dissipat consilia gentium. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum*, vt dicitur Prou 21. Et Esai. 8. *Inite consilium, & dissipabitur*. Et cap. 16. habetur elegans locus, qui Herodi adaptari potest: *Ini consilium; cogita consilium: pone quasi noctem vmbram tuam in meridie: absconde fugientes, & vagos ne prodas: habitabunt apud te profugi mei: Moab esto latibulum eorum à facie vastatoris: consummatus est miser, defecit, qui conculcabat terram.* Mortuus est enim Herodes, & Dominus Iesus in Ægypto seruatus ad terram Israel reductus est.

Gen. 21. *Exod. 2.* *Esther. 7.* *4. Reg. 11.* *1. Macch. 2.* *Sap. 32.* *Prou. 21.* *Esa. 16.*

Ad puerum verò Iesum nostra se se iam conuertat oratio. Nonne tu (puer sanctissime) dux ille es ab æterno Patre per Euangelicum Prophetam promissus cap. 55. *Ecce* (inquit Dominus) *testem populis dedi eum, Ducem, ac præceptorem gentibus.* Quis vnquam dux milites in prælio dimicantes deseruit? Nonne tu bonus ille pastor es, qui Ioan. 10. dixisti: *Ego sum Pastor bonus; Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Mercenarius autem, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & fugit.* Per Matthæum quoque cap. 23 gallinæ te comparare dignatus es, dicens: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas: & noluisti.* Quæ verò Gallina videns miluum in pullos ingruentem, illos deserit, & fugit? Quin potiùs bili percita, tota hispida in miluum constanter aduolans irruit: & quamquam viribus inferior, amor tamen filiorum ex fragilitate virtutem, & vires educit.

Esa. 55. *Ioan. 10.* *Matth. 23.*

Vt huic

Vt huic quæstioni faciamus satis plurima se se offerunt dicenda Primum tamen id constanter asserendum est, quòd diuinus in nos amor adeò testatus est, & operum experimento confirmatus: vt nullus in ea re dubitationi locus dari possit. Quòd si nunc in Ægyptum fugit Herodis crudelitati Innocentibus pueris relictis, multiplici de causa id effecit. Primò quidem, sicut periti duces solent in bello simulare fugam, vt hostem deludant, & aggredientem comprehendant: Sic Dominus Iesus, vt diabolum deludat, & tandem comprehendat, fugam nunc simulat: qua comprehensus est, & delusus miser ab eo, *qui comprehendit sapientes in astutia sua*: & esca carnis, fragilisq; humanitatis inescatus Leuiathan hamo diuinitatis captus est. Deinde Ecclesię sanctæ maximè expediebat, ne Saluator noster in infantia occideretur. Quamquam enim mors ipsius, imò vna Diuini sanguinis gutta æterno Patri fuisset plenè satisfactoria pro redemptione totius humani generis: mille tamen bonis caruisset Ecclesia, quibus viuens Dominus dilectissimam sponsam suam ditauit, atque exornauit. Caruisset namq; illius doctrina, *quam Vnigenitus, qui est in sinu Patris, nobis enarrauit* Ipse enim altissima Trinitatis, & fidei mysteria nobis reuelauit: mores informauit, & omnia tandem, quæ audiuit à patre nota fecit nobis. Caruissemus exẽplo, & ductu ipsius in beatitudinem. Cũ verò arcta sit via, finisque supernaturalis: oportuit, vt Deus ipse nobis efficeretur dux, via; & veritas: quæ nos in doctrina, & via vitæ infallibiliter instrueret. Sic per Matth. dixit cap. 11. *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Et Ioannes 14. *Ego sum via, veritas, & vita.* Et 1. Petri 2. *Christus passus est pro vobis: vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Caruisset quoque mater Ecclesia crucis mysterio, quod potissimum est Christianæ militiæ vexillum: in cunctis necessitatibus tutissimum refugium, vnicumque solatium. Caruissemus tandem Sacrosanctæ Eucharistiæ, & aliorum Sacramentorum institutione: per quæ in filios Dei generamur, nutrimur, confortamur, atque in fœlicissimum portum beatitudinis perducimur. Non ergo mortem Dominus fugit, sed ad tempus nostræ saluti Diuino consi-

Christus fugam simulauit, vt diabolum deluderet.

1. Cor. 3.
Iob. 40.

Ioan 1.
Expediens fuit Ecclesia, ne Christus in infantia occideretur.

Matth. 7.

Matth. 11.
Ioan. 14.
1. Petri 2.

consilio ante tempora destinatum distulit Cum verò illud accessit, Hierosolymam spontaneus venit: imò ipse *præcedebat discipulos: & illi stupebant, & sequentes timebant*: vt Marcus cap 10. adnotauit. In horto quoque volentibus se comprehendere non abscondit se: quin potiùs obuiam illis processit dicens: *Quem quæritis?* Nam (vt Esai dixit) *oblatus est, quia ipse voluit.* Et ipse Dominus ait: *nemo tollit à me animam meam, sed ego à me ipso pono eam: & potestatem habeo ponendi eam: & iterum sumendi eam.*

Marc. 10. *Ioan. 18.* *Esa. 53.* *Ioan. 10.*

Secundò expediens fuit, vt Christus Dominus nunc infans mortem effugeret, & pro ipso Innocentū sanguis funderetur: Tum ad diuinā gloriam: Tum ad ipsorū Innocētum salutē, & beatitudinem. Oportuit enim, vt aduentus Saluatoris, ipsiusq; natiuitas per mortem Innocentum in vniuerso orbe personaret. Voluit enim Dominus, vt nō solùm testes, sed etiam præcones suæ natiuitatis existerent. Vt ait Leo Papa ser. 2. de Epiph. *Vt dū Herodis atroci intentus facinori ignotum sibi puerum indiscreta infantium cæde persequitur, annunciatum cælitus Dominatoris ortum insignior vbiq; fama loqueretur. Quā promptiorem ad narrandum, diligentioremq; faciebat, & supernæ significationis nouitas, & cruentissimi persecutoris impietas.* Sanctis quoq; pueris in maximam gloriam cessit, quòd ipsorum sanguine protegeretur Christus, & glorificaretur Deus Sicut Paulus ait: *Glorificabitur Christus in corpore meo: siue per vitam, siue per mortem Mihi enim viuere Christus est: & mori lucrum.* Maximum vtique lucrum sanctis Innocentibus fuit pro Christo mori. Ante illius enim aduentum in mundum filij à parentibus multis impiè nutriebantur: quidam enim per ignē eos consecrabant Moloch: sicut Psal. 105 dicitur: *Immolauerunt filios suos Dæmoniis, & non Deo.* Quidam vitijs, & voluptatibus tradebant. Fœlicissimi ergo sunt pueri, qui non Dæmoni, non vitijs traduntur: sed Christo sacrantur victimæ: ipsique puero Iesu pueri socij perpetuo adiunguntur: iuxta illud Psalm. 24. *innocentes, & recti adhæserunt mihi.* Et Apoc. 14 *hi sequuntur agnum quocunque ierit.* Matth. 19 *sinite paruulos venire ad me: Talium est enim regnum cælorum.*

Leo Papa. *Philip. 1.* *Psal 105.*

Magnum

Magnum ergo donum, summaque gratia pueris collata est, vt pro Christo paterentur: sicut princeps Apostolorum ait: *hac est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens iniustè.* Hinc Beatus Andreas ad crucem exultans accessit. Et Beatus Ignatius salutares vocabat bestias, ad quas damnatus est: illarumque aduentum peroptabat. Hinc Paulus dicebat: *Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus.* Et iterum: *non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Voluit ergo Dominus omnibus modis à martyribus testimonium accipere: vt quædam futurorum martyrum semina, atque initia statim iacerentur: vt Bernardus serm. huius diei docet. Et vt opere ipso infantes infanti Christo deseruirent. Nostri verò innocentes pueri, quamquam ab Apostolis, & alijs martyribus in voluntate pro Christo patiendi vincuntur: in obiecto tamen immediato, & causa patiendi omnes martyres ipsi superant. Occiduntur enim pro defensione personæ filij Dei: dum enim ipsius persona quæritur, pro eius tutela Innocentum sanguis funditur. Et sicut ipso naturæ impulsu, vt caput seruetur, brachiũ se se opponit gladio: sic possumus sacros pueros brachium Domini nuncupare, quo caput nostrum protectum est. Comam quoque capitis nostri Christi vocare possumus. Coma namque capitis operimentum est protectio, & ornamentum. Illis ergo tanquam comæ caput Iesu protegenti, & exornanti verba sponsi adaptare possumus, quibus inter cætera dilectæ sponsæ suæ comam collaudans Cant. 7. ait: *Coma capitis tui velut purpura Regis iuncta canalibus.* Sicut enim lana, quæ natura sua candida est, muricis, & purpuræ nitidum colorem contrahit, & imitatur; & quo canalium, siue vasis infectorij fluentis vicinior, eò perfectiùs tingitur: & quodammodo in naturam ipsius muricis transmutatur: ita innocẽtissimi, & natura sua candidi pueri propter Christum occisi ex maxima vnione ad ipsum, propter quem sanguine proprio tinguntur, veluti canalibus gratiæ, & charitatis fluentis coniuncti, cœlestem quendam ruborem, & Diuinum nitorem contraxere.

1. Pet. 2.

Rom 5.

Rom. 8.

Bernard.

Simile.

Innocentes brachiũ Domini meritò nũcupantur, & comæ capitis.

Cant. 7.

In hoc quoque voluit Diuina gratia hos sacros infantes

fantes præcellere: quod, quamquam negare nemo possit, quòd vt Ioan ait: *ipse prior dilexit nos*: & cum Paulo confitẽdum sit: *quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Deus quidem prior dedit pueris, tam esse naturale, quàm supernaturale per gratiam: Cæterum illi priores dederunt sanguinem suum pro Christo, quam Christus in cruce pro ipsis sanguinem funderet. Verè tamen ex sanguine Christi, tanquam ex canalibus, & vniuersalis redemptionis origine gloriosi martyres tincti sunt: illorumq; martyrium regiæ purpuræ nitorem, & valorem accepit: quia quamuis sanguis Christi nondum pro nobis in cruce fuerat effusus, in circumcisione tamen iam fundi cœperat: tum verò maximè ex prima illa Christi voluntate, qua ingrediens mundum videns sibi corpus aptatum, vt pateretur: æterniq; patris voluntatem intelligens, illi se se offerens in sacrificium acceptissimum, holocaustumq; odoriferum dixit: *Ecce venio: vt faciam Deus voluntatem tuam.* In qua voluntate (vt Paul. ait ad Hebr. 10.) *sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.* Hæc canalis est, & origo redemptionis, iustificationisq; nostræ. His canalibus sanguis Innocentum coniunctus supra omnem purpuram regiam splendorem accepit. O felicissimi pueri, qui primi flores estis vineę Christi: quos tyranni Herodis impia pruina decoxit. Primi botri, & fructus estis vineæ in vestibulo torcularis crucis calcati, & expressi.

1. Ioan. 4. *Rom 11.*

Innocentes pro Christo prius sanguinem effuderũt, quàm ipse in cruce funderet.

Heb. 10.

Solent in publicis supplicationibus pueri ramis, ac floribus redimiti præcedere turbas: Vita Domini Iesu, veluti quædam publica supplicatio fuit, vsq; ad montẽ Caluariæ: vbi in crucem exaltatus preces, *supplicationesque cum clamore valido*, & lacrymis ad patrem obtulit (vt Paul. ait) Ecce ergo sacri pueri floribus redimiti prę cedunt: cum palmis victricibus, Diuinisque donis exornati. O fœlicissimi pulli, quos sacratissima gallina Christus non tantùm sub alis suis congregauit: sed super alas atq; humeros assumpsit: & in cœlestem nidum, mansionemq; transtulit. O terq; quaterq; beati agni nouelli, quos bonus illę pastor, quamquam ad horam trucidandos lupo permisit: cæterum ad æterna, & amœnissima pascua, semperq; virentia transtulit: iuxta Ezech. vaticinium.

Ephes. 5.

Ezech. 34.

nium. *In montibus Israel pascam eos, in pascuis vberrimis.* De quibus ipse pastor Ioan. 10. dixit: *ingredietur, & egredietur: & pascua inueniet* O fortissimi in Christo milites, qui in corpore fragili, sed Christi virtute constanti breuissimum prælium experti gloriosum trophæum de tyranno retulistis: preciosaq; & amplissima spolia gratiæ, & gloriæ a cœlesti duce Christo percepistis. *Ioan. 10.*

In Euangelium eiusdem solennitatis Fragmenta.

ANGELVS *Domini apparuit* Magna Domini prouidentia super iustos hoc loco ostenditur: sicut Psal. 33 dicitur: *oculi Domini super iustos,* & iterum Psalm. 120. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* Dũ verò apparuit Ioseph, sanctitati ipsius testimonium perhibet Angelus sæpe à Domino ad illum missus Mittitur quoque ad eum, tanquam sponso Virginis almæ: vt discant vxoratæ viris honorem deferre. Vt enim Paulus ait, *vir caput est mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Et quamquam Virgo sanctissima cœlestibus donis gratiæ ineffabiliter excellebat Ioseph, cura tamen domus, & itineris ad ipsum pertinebat: Atque adeò Christus Dominus, & mater ipsius illi erant subditi: Sic docet Paulus mulieres subditas esse viris. Et princeps Apostolorum Petrus Saræ exemplum inducit, quæ obediebat Abrahæ: *Dominum eum vocans.* *1. Psal 33. Psal. 120. Ephes. 5. Vxores viris obedire tenentur. Ephes. 5. 1. Petri 3.*

In somnis. Aristoteles lib. de somno, & vigilia, docet, quòd mens, dum in somnis ab exterioribus omnino rapitur, solet aliquando diuina, & intelligibilia participare. Sic Diuus Dionysius in hæc verba docet, quòd qui à curis terrenis, & seculi negotiis quiescunt, Angelica visione perfrui merentur. Sic sponsa cùm dormit, sponsi vigilia, & amplexibus frui meretur. Id, quod figuratum est in somno ecstatico Adami, Abrahæ, Iacob, & Eliæ: qui in somnis Diuinas reuelationes; visionesque Angelorum habuerunt. Salomon dormiens impletus est spiritu sapientiæ: & sacer Euangelista Ioannes super pectus Domini recumbens Diuino spiritu illustratus super seipsum raptus, eleuatusq; est. Iob. 33. *Quãdo irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo:* *2. Aristot. Per somnũ quies mẽtis significatur. Dionys. Cant. 5. Iob. 33.*

 per

per somnium in visione nocturna: tunc aperit aures virorum & erudiens eos instruit disciplina Id, quod in litteris
Simile. sacris plurimis exemplis comprobatur. Sicut enim ad cibi digestionem, corporisque salutem somnus naturalis omnino necessarius est: sic in vita spirituali somnus à curis temporalibus. Quòd si ille deficiat, necesse est, vt
Eccl. 8. quies animæ detrimentum patiatur. Eccl. 8. dicitur *:est homo, qui diebus, ac noctibus somnum non capit oculis.* Sponsus adeò gaudet, dum sponsam dormientem considerat: quòd adiurat filias Hierusalem. ne suscitent, ne-
Cant. 2. que euigilare faciant dilectam, *donec ipsa velit* Et Psal.
Psal. 67. 67. *inter medios cleros* dormientibus splendent *pennæ columbæ deargentatæ, in pallore auri,* per illustrationem intellectus, & charitatis nitorem.

3. In somnis quoque apparuit Angelus Ioseph: quia di-
Diuina reuelatio mentis quietem requirit. uina reuelatio mentis tranquillitatem, & cordis quieté requirit Sicut aqua quieta vultum intuentis, veluti speculum refert: non sic autem, quando turbata est. Hiere.
Hiere. 22. 22. ait Dominus: *si fuerit Propheta inter vos, per somnum apparebo ei.* Et c. 23 *Propheta, qui habet somnium, narret*
Num. 24. *somnium.* Num. 24. Balaam in somnis visionem habuit: sic enim ait: *dixit homo, cuius obturatus est oculus: dixit auditor sermonum Dei, qui visionem omnipotentis intuitus est: qui cadit,* supple, in lectum dormiens: *& sic aperiuntur oculi eius.* Sic Ioseph in somnis reuelationem habuit, vt fugeret in Ægyptum.

4. *Fuge in Aegyptum.* Potuisset vtique Dominus, absque fuga se, & suos liberare: sicut liberauit Eliam igne de cœlo misso: Elisæum Angelorum exercitu: Danielem à lacu leonum: Populum Israel ab Ægyptiis. Voluit tamen Dominus fugere: Tum, vt verè naturæ humanæ,
Chrysost. quam suscepit, condicionem seruet, vt docet Chrysostomus: tum, quia Christus Dominus datus est nobis omnium hominum tam fortium, quàm infirmorum ex-
Dan. 4. emplum. Arbor est illa magna Danielis 4. in qua erat e-
Tempore persecutionis fugere licet. sca vniuersorum. Docet ergo fideles, licere ipsis tempore persecutionis fugere: sicut fecit D. Athanasius: Et Christus docuit exemplo, & doctrina Matth. 10. dicens: *si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.*

Fuge,

Fuge, Gen 12 præcepit Dominus Abrahæ, *Vt egrederetur de terra sua, & de cognatione sua:* vt faceret eum in gentem magnam Ioseph venditus in Ægyptum in Principem exaltatus est. Moyses fugiens in terrã Madian in Principem populi sui à Domino vocatus est. Fuga hæc Christi Domini ingentium bonorum præsagium fuit, ipsiusq; principatus in gentes. *Gen 12.* *Gen. 41.*

Fuge In sensu quoque spirituali docemur occasiones, & pericula spiritualia fugere. In occasionibus enim Sampson, Salomon naufragium passi sunt: Dauid quoque in occasione lapsus, in fuga remedium constitutum intelligens ait Psalm 54 *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ? Et volabo, & requiescã Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Rectè docet Paulus 1 ad Cor. 5. *Corrumpũt bonos mores colloquia praua.* Et iterum: *cum huiusmodi, nec cibum sumere.* Id quod Leuit. 11 significatum est, dum lege cauetur, ne morticinum tangatur, & qui mortuum tetigerit, immundus iudicatur. 6. *Occasiones & pericula fugienda.* *Psal. 54.* *1. Cor. 5.* *Leuit. 11.*

Fuge Voluit Dominus fuga sua Incarnationis mysterium, naturæq; diuinæ potẽtiam diabolo celare: Et quia refugium nostrum est, voluit fuga sua fugitiuos peccatores ad se reducere. 7.

Futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Locus aperitur ad disserendum de summa diaboli diligentia, qua inuestigat, vbi Christus nascatur: vt animam, in qua nascitur, perdat: sicut in visione illa mirabili Apoc. 12 Ioanni ostensum est: de dracone magno, & rufo habente capita septem, & cornua decem: qui stetit *ante mulierem, quæ erat paritura: vt, cum peperisset, deuoraret filium eius* Ea ratione Eccl. 2. dicitur: *Fili accedẽs ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* 8. *Diabolus insidiatur animæ, in qua Christus nascitur* *Apoc. 12.* *Eccl. 2.*

Qui consurgens. Locus de prompta obedientia. Exemplum habemus in magno Patriarcha Abraham, qui statim, vt habuit præceptum Domini de oblatione filij vnigeniti sui Isaac in holocaustum: de nocte consurgens filium suum cum lignis in holocaustum ducens abijt ad locum, quem præceperat ei Deus. *Nescit vtique tarda molimina Spiritus sancti gratia* Prouer. 22. *Vidisti virum velocem in opere suo? Coram regibus stabit.* Diuites rursus difficilè 9. *Promptitudo obedientiæ commendatur.* *Genes. 22.* *D. Ambro.* *Prou. 22.*

difficilè

difficilè obediunt: mille curis, & negotijs distrahuntur,
Sap. 3. & impediuntur. *At verò iustorum animæ in manu Dei*
Esa. 40. *sunt*: & ad illius nutum facilè mobiles Esa. 40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem: assument pennas, sicut aquilæ: current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient.*

10. *Qui consurgens accepit puerum, & matrem eius.* Non patitur diuinus amor diuisionem à tali matre, cui meritò dicebat Virgo sanctissima verba sponsæ, Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* O Virgo sanctissima, quam citò Simeonis vaticinium experiri incipis! Iam enim gladius animam tuam pertransire incipit. Nunc tibi vox illa sponsæ rectè conuenit: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Sed quanquam myrrha, & amaritudine plenus, *inter vbera mea commorabitur.*

Cant. 2. *Luc. 2.* *Cant. 1.*

11. *Secessit in Ægyptum.* Hier. cap. 14. quasi fugam hanc pueri Iesu, longumq; iter in teneris annis prophetico lumine intuens dixit: *Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum?* Considera labores itineris, indigentiam, & peregrinationis pericula, quibus puer Iesus subiacere incipit. At si futurus est dux, & pastor, opus est, vt laboribus assuescat: duretur à puero, vt discat *ex his, quæ passus est* (vt Paulus ait) *obedientiam.* Et iterum: *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autē per omnia pro similitudine absq; peccato.* Labores igitur, & angustias experiri vult tenellus puer: vt ad illum, tanquam verum Dauid, confugiant *omnes in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo.* Nihil enim amaritudinis habet *calix in manu Domini*, quem nobis propinat, quod maximo solatio non sit mixtum. Dominus enim mero plenum prius degustauit.

Hier. 14. *Voluit Dominus à pueritia labores experiri.* *Hebr. 5.* *Hebr. 4.* *1. Reg. 22.* *Psal. 74.*

12. *Secessit.* Vt intelligamus, quod non *habemus hic manentem ciuitatem, sed futurā inquirimus. Quamdiu enim viuimus, peregrinamur à Domino.* Sic Iacob ad Pharaonem dixit: *Centum triginta annorum esse dies peregrinationis suæ.* Et Paulus ad Hebr. 11. de magnis illis antiquis Patriarchis, tanquam de sanctis peregrinis refert, quod *demorati sunt in terra repromissionis, tanquam in aliena: in casulis habitando: alij verò in solitudinibus errantes, in monti-*

Peregrini, & hospites sumus super terrā. *Hebr. 11.*

montibus, & speluncis, & in cauernis terræ, quibus dignus non erat mundus

In Ægyptum. Si quis quærat, quare in Ægyptum fugit Dominus? facer Euangelista Matthæus protinus respōdet; *Vt adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto Vocaui filium meum.* Hæc enim verba expresse habentur Ose. 11. Diuus tamen Hieronymus opinatur, desumi quoque posse ex verbis Balaam Prophetæ, Num. 23 dicentis: *Deus eduxit illum de Ægypto: cuius fortitudo similis est Rhinocerotis*: quod Christi Domini fortitudini rectè congruit. Impletum quoque est Esa vaticinium, cap 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulacra Ægypti.* Diuus Athanasius adnotauit inde magnam virtutem Ægypto collatam: vt non tantùm ingrediente Domino corruerint idola, & simulacra Ægypti: verùm ex diuino Christi ingressu plantatum ibi fuerit cœlestis gratiæ, & virtutis seminarium: vnde fortissimi martyres, & gloriosi Eremitarum principes, veluti ex equo Troiano prodiere. Hæc est explicatio D. Chrysostomi, Eusebij lib. 6. c. 20. Theodoreti, & Athanasij libr. vnico de Incarnatione Verbi, Cyrilli, & Origenis. Est quoq; D. Hieronymi sententia: qui affirmat in ingressu Domini concidisse omnia idola Ægypti: Et Albertus Magnus addit tunc dicatum altare ignoto Deo, qui prostrauit idola, & sanauit eos a plag s impletumq; est illud Esa. vaticinium, quod citato capite subdit: *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti; & titulus Domini iuxta terminum eius*

13. *Fuga Domini in Ægyptum a Prophetis prædicta.* *Ose. 11.* *Num. 23.* *Esa 19.* *Athanas.* *In fuga Domini in Ægyptum multi mysteriis præsignata sunt.* *Chrysost.* *Theodor.* *Athanas.* *Albertus Magn.* *Esa. 19.*

Addit D Chrysostomus secundam rationem: scilicet venisse Dominum in Ægyptum in signum reconciliationis, vt decem plagas Ægypti vna medicina sanaret: &, vt populus, qui olim fuerat persecutor populi primogeniti, custos fieret vnigeniti. Et, qui violenter dominati sunt filijs Israel, atq; in pœnam tyrannidis in mari rubro submersi, quia suffocauerant filios Hebræorum: nūc veniant spontanei ad aquas baptismi, *seruantq; Domino humero Vno.* Olim tenebris percussi sunt Ægyptij (vt August. adnotauit) nunc sedētibus in tenebris lux veri solis orta est eis. Olim Moyses a filia Pharaonis seruatus est, qui

D. August. *Exod. 2.*

qui verus typus fuit Christi Domini in Ægypto seruan-
Genes. 41. di. Ioseph quoq; in Ægyptum ductus est, vt ipsius proui-
dentia fami vniuersali subueniretur: nunc fames mundi
Ioan 12. per Saluatorē Christum (*qui granum est frumenti*) depul-
sa est. Ægyptus quoque, quia locus captiuitatis est, rectè
Gal. 4. Christo conuenit, *qui formam serui accepit, vt eos, qui sub
lege erant*, à seruitutis iugo redimeret: Seruosq; diaboli
à potestate tenebrarum eriperet, *& in libertatem filiorū
Dei* translatis pro spiritu seruitutis *spiritum adoptionis fi-*
Remigius. *liorum Dei* tribueret. Remigius per hanc Domini fugam
in Ægyptum intelligit transitum prædicationis Euan-
gelicæ ad gentes.

14. *Esto ibi, vsq; ad obitum Herodis* Per septem annos, quos
vixit Herodes, moratus est Dominus in Ægypto, post
quos per Angelum in terrā promissionis reuocatus est.
Vbi enim regnat Herodes, non est locus Christo. Non
2. *Cor.* 6. enim est *conuentio lucis ad tenebras, neq; Christo ad Belial.*
Sap. 1. Et, vt Sapient. 1. dicitur: *in maleuolam animam non intro-
ibit sapientia.*

15. *Tunc Herodes iratus est valdè, & mittens occidit*, &c.
Michaæ 5. Non aduertit prophetiam Michææ, nisi in cortice, quia
ostendit Bethlehem locum esse natiuitatis Christi, non
tamen attendit, quod sequitur: *Egressus eius à diebus æ-*
Psal. 32. *ternitatis. Ille siquidem Dominus est, qui dissipat consilia
gentium, & reprobat consilia principum* Eodem consilio,
quo regnum sibi conseruandum, & stabiliendum puta-
Ira & am- uit, vita, & regno priuatus est. Cæca enim ira est, & non
bitio cæca minus cæca ambitio iracundiæ radix, quæ in mille pec-
sunt. cata homines detrudunt. Saul ambitionis cæcitate su-
1. *Reg* 31. per gladium suum irruit. Absalon ex quercu pendens
2. *Reg* 18. tribus lanceis transfixus interijt.

16. *Occidit omnes pueros* crudelis Herodes, sed misericors
Deus, qui ex hac Innocentum cęde tantum bonum edu-
xit, nempe præclatum aduentus sui testimonium
Innocentum sanguine firmatum, & ipso-
rum Innocentum gloriosam
coronam.



IN

IN CIRCVMCISIONE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI,

CONCIO PRIMA.

De multiplici causa solennitatis, & maximè de congruentia nominis Iesu cum circumcisionis mysterio.

THEMA.

Postquam impleti sunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus. Luc. 2.



HODIERNVM Euangelium quanquam breuissimum, totius anni mysteria velut in summa continet. Circumcisio namque, & filij Dei vix in mundo nati sanguinis effusio, passionis ipsius & redemptionis nostræ mysteria nostris oculis obijciunt. Nomen verò dulcissimum, Iesu, cætera mysteria salutis nostræ, gaudio, atque gloria plena complectitur. Vt igitur tot, tantisque mysterijs fœlix, ac faustum demus initium, Spiritus sancti auxilium per sacræ Virginis intercessionem imploremus, dicentes: *Aue Maria.*

Hodiernæ solennitatis claritas multis nominibus sacram illustrat Ecclesiam. Primò quia præsens dies primus est totius anni: secundò quia octauus est natalis Domini: tertiò circumcisionis mysterium diem consecrat: quartò impositio sacri nominis Iesu omnia gaudio replet. De primo anni videlicet exordio olim apud gentilos

tiles in his Kalendis Ianuarij multæ superstitiones obseruabantur, quę damnantur in decretis c. si quis Kalendas 26. q. 7. Magnus quoq; Tamerlanus hunc diem ea cæremonia celebrare solebat, vt Sacerdos nomen ipsius Principis aurea tabula inscriptū coram omnibus principibus, & populo alta voce pronūtiaret: quod cuncti audientes in faciem procidebāt. Romanis verò primus hic anni dies non minus fuit celebris: Kalendas enim Ianuarij totius anni initium Numa Pompilius II. Romanorum Rex instituit: eoq; die Consules designati Reipublicæ Imperium primò capessebant: cum purpura enim, & fascibus noui magistratus in publicū procedebant, consulatusq; sui munus in Senatu auspicabantur: sicut Ouidius cecinit 1. Fastorum:

Iamq; noui praeunt fasces, noua purpura fulget,
Et noua conspicuum pondera sentit ebur.

Ianuarius dict⁹ quasi anni Ianua, vel Iano dicatus. Hic primus anni dies primus Ianuarij nuncupatur, siue quod sit anni Ianua, vt docet D Hieron. siue quod eo die Iano Deo sacra fiebant: sacrificijsque litabatur opimis: eo etenim die dona propria, quæ dulcedinem præ se ferrent insignem, Iano Deo offerebantur (vt adnotauit Petrus Chrysol. ser 155.) nempe mel, & palmæ caricæ: vt fœlicem annum, dulcemq; vitam offerentibus cōcederet. *D. Hieron. Chrysolog.* Et illi quidem Ianum suum bifrontem, siue biformem depingebant: vel in honorem solis exeuntis, & ad nos redeuntis: (vt quidam volūt) vel in honorē Noe, qui fuit orbis pater, & restaurator, qui per centum annos regnauit in Italia, vt aliqui graues authores tradūt: dictusque est ab illis Ianus ex inuentione vini, quod Hebraicè dicitur Iain, & Armenicè Ian. Depingebatur verò biformis, tum quia vidit duo secula, vnum aquis diluuij deletum, alterum per ipsum, & filios restitutum: vel secundò propter memoriam præteritorum, & prouidentiam futurorum: vel tertiò propter duplicem cognitionem rerum naturalium, & supernaturalium.

Nos verò, qui vana Deorum numina per fidem detestantes diuinum, verumq; numen filij Dei inuocamus, primumq; hunc anni diem ipsi consecramus, illū verum solem iustitiæ, qui cœlum & terram illuminat, agnoscimus, qui exiuit à Patre, & venit in mundum, & iterum relin-

relinquens mūdum, rediјt ad Patrem: nobiſcum tamen ſemper manens vſq; ad conſummationē ſeculi lucis ſuæ radijs Eccleſiam illuſtrat. Ille verus eſt Noe, qui veram requiem nobis conceſſit: Noe namq; ceſſatio, vel requies interpretatur: Typus eſt Chriſti, qui requiem nobis conceſſit, dum culpam abſtulit, legemq; antiquam ceſſare fecit. Ille veri vini fuit inuentor, ſiquidem in vltima cœna vinum in ſuum ſanguinem tranſmutauit. Ille verā arcam Eccleſiæ fabricauit, & mūdum per aquam baptiſmi ſeruauit. Ille vt verus Noe præ amore humani generis in cruce quaſi ebrius, & nudatus fuit Ille Ianus noſter eſt, imò vera cœli ianua: ſicut ipſe ait Ioan. 10. *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur. Ipſe clauis eſt Dauid, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Ille initium anni, & menſis conſecrat, fauſtumq; annum nobis pollicetur, iuxta illud Eſa. 61. *Spiritus Domini ſuper me,* &c. *Vt prædicarem annum placabilem Domino* Ipſius enim ſanguine placatus eſt Pater æternus. Solet initium anni futuri temporis eſſe prognoſticū: ſic ſanguis Chriſti hoc die pro nobis effuſus annum placabilem, & vberrimum nobis prænunciat.

Noe typus fuit Christi re & nomine.

Ioan. 10.

Apoc. 3.

Bifrons quoq; atq; biformis verè noſter Noe Chriſtus dici poteſt: tum quia vno intuitu à ſeculo & in ſeculum reſpicit, neq; eſt vlla creatura *inuiſibilis in conſpectu eius.* Ille nobis initium, & finis eſt vitæ, *α, & ω, principium, & finis.* Ipſius *ordinatione perſeuerat dies:* incipit annus & finitur. Biformis quoq; quia ex duplici natura conſtans, diuina & humana: ſicut Paulus docet ad Philipp. 2. *Qui cum in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens:* & ſecundùm humanam quidem naturam circumciditur, ſecundùm diuinam Ieſus, id eſt, Saluator, appellatur.

Eccl. 39.

In ſacris quoque literis Kalendæ, id eſt, menſium exordia, celebrantur: Numerorum 28 præcepit Dominus in Kalendis, id eſt, menſium exordijs, *offeretis holocauſtum Domino: holocauſtum ſuauiſſimi odoris, atque incenſi eſt Domino.* Et infra: *dies etiam primitiuorum, quando offeretis nouas fruges Domino expletis hebdomadibus, Venerabilis & ſancta erit: omne opus ſeruile non facietis in ea: offeretiſque holocauſtum in odorem ſuauiſſimum Domi-*

Num. 28.

Domino Quę omnia huius diei veritatem in vmbra continebant, cum primo hoc anni die offertur sanguis Christi *in holocaustum suauissimi odoris Domino.* Hic est vetus dies primitiuorum cum expletis hebdomadibus à
Dan. 9. Daniele prædictis offeruntur noui fructus terræ, noua spica frumenti, nouus botrus vineæ, qui hodie exprimi cœpit, nouus flos campi super omnes flores odoriferus hodie sparsus est, qui copiosum fructum nobis promittit. Apud Hebræos verò erat maximè venerabilis primus dies Martij, qui principium erat mensium: ille dies sanguine agni consecrabatur, postes & superliminaria
Exod. 12. eodem sanguine tingebantur: vt habetur Exod. 12. Sic hodiernum diem sanguine agni immaculati Christi verius consecramus. Cum verò vmbræ iam, & typi præcesserint, vt veritatem profiteamur, opus est, vt postes domus cordis nostri, & superliminaria cogitationum, & operum Christi Iesu sanguine tincta vbique splendeant.

Secundò sacri huius diei solennitas augetur, quia octauus dies est nati Saluatoris Tanta siquidem est claritas diuinæ natiuitatis, vt sacer ille dies septem sequen-
Esa. 30. tes solennes reddat; vt impleatur illud Esa. 30. *Erit lux lunæ, sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum, cum alligauerit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ eius sanauerit: Ecce nomen Domini venit de longinquo.* Quæ verba hodiernæ solennitati manifestè conueniunt: imò triplex ratio eo loco explicatur, nempe octaui diei, circumcisionis, & nominis Iesu. Ille verus Samaritanus fuit descendens ab Hierusalem in Hierico, id est, mundi huius mutabilitatem: humanū genus saucium, & à latronibus grauiter vulneratum in-
Luc. 10. uenit, appropians alligauit vulnera: atq; vt percussuram plagæ sanaret, carne sua circumcisa ligari, quasi vitta, voluit, & sanguine suo, quasi pretioso balsamo, perungi, oleoque sacri sui nominis confoueri. Hoc enim significauit Propheta, dicens: *Ecce nomen Domini venit de longinquo:* cui concinunt verba Euangelistæ Matthæi: *quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur.*
Octauus dies circū- Neque caret mysterio, quod octauo die circumcisus sit puer, & nudatus pellicula carnis, quia per hunc sanguinem

nem Christi effusum, & carnis ipsius nuditatem in octaua die, siue ætate vniuersalis resurrectionis *corruptibile hoc* (vt Paulus ait 1. ad Cor. 15.) *induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem.* Hoc significatum est, dum præcepit Dominus octauo die circumcidi pueros cultello petrino, qui typus erat Christi. Sic enim Paulus 1 ad Cor. 10. Christum dicit esse petram, per quam circumcisa omni imperfectione in ipsius imaginem transformati resurgemus. *cisionis typus vniuersalis resurrectionis.*

Duo verò potissima sunt mysteria, quæ hodierno die recolimus circa puerum Iesum peracta: circumcisionis videlicet, & impositionis nominis Iesu. At verò *quæ conuentio luci ad tenebras*? Libet cum Diuo Bernardo interrogare, *quid tibi cum circumcisione, ô dulcissime Iesu*? Non quæro modò cum D. Bern. cur circumcidi voluerit Dominus? circumcisionis enim causas alijs concionibus fusius explicabimus. Nunc conuenientiam tam excelsi nominis cum circumcisionis mysterio inquirimus. Atqui nomen Iesu te Dominum vniuersi, Principemque cœli & terræ testatur: vt audito hoc nomine *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Circumcisio verò te infirmum hominem, legiq; subditum profitetur. Nomen Iesu te medicum, authoré salutis, & vitæ, Saluatoremq; denuntiat: circumcisio verò medela indigentem profitetur. Cum Propheta Abacuc in hac meditatione exclamare possimus: *Domine audiui auditum tuum, & timui: cōsideraui opera tua, & expaui.* Cæterum cum Euangelicus vates præcipiat, dicens: *Notas facite in populis adinuentiones eius:* operæpretium fuerit harum inuentionum Domini conuenientiam aperire. *D. Bernar.* *Philip 2.* *Abacuc 3.* *Esa. 12.*

Primò quidem circumcisus Dominus, & Iesus appellatus duplicis naturæ suæ, diuinæ, & humanæ veritatem à primis natiuitatis suæ exordijs operũ attestatione cōfirmat. Hoc clamat circumcisionis cũ nomine Iesu ineffabilis coniunctio. Circumcisio enim veræ carnis, & humanitatis veritaté astruit: nomen verò Iesu de cœlo delatum diuinitati pueri testimonium perhibet. Mirabile hanc duarum naturarum vnionem, & mysteriorum cōiunctionem in ornamento capitis summi Sacerdotis adumbratam video. Exod. 28. *Facies* (inquit Dominus) *laminam* *Circumcisio & nomē Iesu duplicem ipsius naturam testantur.* *Exod. 28.*

minam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris sanctum Domino: ligabisque eam vitta iacinthina: & erit super Thyaram imminens fronti Pontificis. Humanitas Christi Domini de Spiritu sancto concepta lamina est ex auro purissimo, opere cœlatoris sculpta, & extenuata: tum quia *exinaniuit semetipsum:* tum quia ieiunijs, laboribus, & persecutionibus *attritus est propter scelera nostra.* Vitta iacinthina vnio est hypostatica, quæ ligat laminam Thyaræ, humanam nempe naturam diuinæ Hodie opere cœlatoris: per ferrum circumcisionis insculptum est sanctum Domino. Sacrum enim nomen Iesu veluti ferro, & sanguine immaculati agni cœlatum est. Per hanc fidei confessionem, mirabilemque vnionem confunditur error Apellis, Cerdonis, Bardesanis, Manichæi, & Marcionis asserentium Christum esse purum Deum, & assumpsisse corpus phantasticum, siue aereum. Hos enim circumcisio veræ carnis Christi manifestè damnat. Rursus confunditur hæresis Ebionis, Cherinti, Photini, & Arrij, Christi diuinam naturam abnegantium. Siquidem illum videmus ab Angelis prædicatum, à Regibus & Pastoribus adoratum, & nomine de cœlo allato insignitum: quod diuinam in puero latere virtutem ad saluandum manifestat

Lamina Sacerdotis typus humanitatis Christi.

Secundò sacer noster puer Iesus vtriusque legis antiquæ, & nouæ author erat: verusq; *Sacerdos secundùm ordinem Melchisedec,* iuxta Regis vaticinium Psal. 112. Pauliq; vocem ad Hebr. 7. *Translato sacerdotio necesse est, vt legis translatio fiat* Vt igitur Christus verus Sacerdos legem trāsferret, voluit circumcisionis præceptum honorificè sepelire, dū factus sub lege circumcisus est. Vt authori verò legis gratiæ, & nouæ Ecclesiæ summo Sacerdoti nomen de cœlo imponitur. Circumcisioni finem imponit, & baptismi Sacramentum subrogat

Psal. 112.
Hebr. 7.

Tertiò venit Iesus vt medicus vitæ, sicut Esaias prædixerat ca. 61 *Spiritus Domini super me, eò quod vnxerit me,* &c *vt mederer contritis corde* Humanum siquidē genus contritum & ęgrotum iacebat: *à planta pedis vsq; ad verticem capitis non erat in eo sanitas: vulnus, & liuor, & plaga tumens non est circumligata, neq; fota oleo, neq; curata medi-*

Esa 61.
Esa. 1.

medicamine. Ecce venit Iesus, verus medicus: id enim significat inter alia nomen Iesus à verbo Græco Iaso, quod est medeor. Ipse siquidem medicum se fatetur, Luc. 5. qui venit ad sanãdum eos, qui malè habent. Ecce igitur medicus noster adhuc infans vino sanguinis sui vulnera nostra lauat oleo sacri nominis lenit, & carnis suæ pellicula, veluti cœlesti fascia suauiter ligat. *Luc. 5.*

Quartò venit Iesus vt Redemptor noster. Hoc enim nomen Iesu, & Saluatoris sonat. Meritò igitur cum nomine Saluatoris, & Redemptoris salutis nostræ pretium, illiusq; in cruce exoluendi pignus, in sanguine circumcisionis hodie deponitur. Qua in re nos edocet inanè esse nomen nobilis, vel Christiani, nisi res nominibus conformemus. Ioan. 8. *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite:* & Apoc. 3. *Qui vicerit, ponam super eum nomen meum.* Vt Christi nomen mereamur, mundi delicias, carnis illecebras, & omnes deniq; tentationes, imò & nos ipsos vincamus oportet: qui verò vt fragilis illis succumbit, Christi nomine indignum se comprobat. *Ioan. 8.* *Apoc. 3.*

Quintò hæc duo mysteria commodissimum fuit cõiungi: quia sicut in temporali militia duo maximè militibus necessaria sunt, vt ab hostibus discernatur, scilicet signum, & nomen: similiter in spirituali militia hæc duo omninò necessaria sunt. Et olim quidem circumcisionis signo discernebatur populus Dei, ibique nomen imponebatur: sic enim Genesis 17. cum Dominus dixit ad Abraham: *Non vocaberis Abram, sed Abraham erit nomen tuum, qui patrem multarum gentium constitui te:* statim cum nomine circumcisionis signum coniunxit, dicens: *Et circumcidetur ex vobis omne masculinum.* Mulieres verò circumcisionis signo noluit subijci: vxoris tamen Saræ nomen circumcidi præcepit, dicens: *Non vocabis Sarai, sed Sara.* Vbi latet mysterium, quod cum nomen vxoris circumciditur, perfectius & amplius nomen Abrahæ imponitur: quia cum Christi caro circumciditur, gloriosum de cœlo nomen illi imponitur. Litera quoque He, quæ nomini Abrahæ addita est, in Hebræo Regis Christi æternitatem significat: atque adeò illius literæ additio insinuauit filium Dei ipsius Abrahæ futurum filium: per quem promissio Abrahæ facta, *quia patrem* *In omni militia nomen & signũ necessaria sunt.* *Gen. 17.*

patrem multarum gentium constitui te, verius esset implenda, *qui multos filios* (vt Paulus ait) *in gloriam esset adductur us.* Ecce vidimus in lege veteri nomina cum circumcisione coniungi In lege verò gratiæ, cũ baptismus circumcisioni successerit, cum milites Christi per baptismum designamur, ibi signum fidei cum nomine accipimus.

Hebr. 2.

Sextò tandem, dum circumciso infanti nomen Iesu de cœlo imponitur, edocemur, quantum Deus exaltat humiles: sic enim de Christo Paulus ait: *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit eum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Et ipse Dominus Luc. 24. id insinuauit, dicens: *Nonne sic oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Vt igitur & nos nominis Iesu dulcedinem percipere, & exaltari ab ipso mereamur: oportet, vt sub potenti manu ipsius humiliemur, & spiritualiter circumcidamur.

Philip. 2.

Luc 24.

Explicuimus nominis Iesu cum circumcisionis mysterio multiplicem conuenientiam. Iam verò hæc duo mysteria in typo & figura depicta esse video, cùm pulcherrima Rachel in ipsa regione Bethlehem, vbi Christus natus est, & circumcisus, peperit filium: *Egrediente enim anima præ dolore partus, morteque iam imminente vocauit nomen filij Bennoni, hoc est, filius doloris mei.* Pater verò Iacob altiori consilio vocauit Beniamin, id est, filium dextræ. Id quod hodie in sanctissima, & pulcherrima Virgine impletum video: quanquam enim absque vllo dolore peperit filium Iesum, imò summa cum iucunditate: hodie tamen in circumcisione, & effusione sanguinis pretiosissimi dolorem exoluit: tenelli siquidem infantis gemitus, dolor, & lachrymosi vagitus animam matris transfigunt: vt meritò inclamare potuerit, *Bennoni filius doloris mei.* In media siquidem hyeme vidit in præsepio reclinatum, frigore algentem, & nunc tenella carne vulneratum in vlnis habet. Quid alma Virgo sentiret? Et maximè si ipsa filium circumcidit, vt Hieronymus libro de vera circumcisione, & Bernardus de lament. Virginis, opinantur: quanquam alij in Hierusalem allatum existimant infantem, vt a Sacer-

Gen. 35.

Binominus Beniamin typus Christi circumcisi.

Hieron.
Bernard.

dotibus circũcideretur. Cœlestis verò Pater altiori consilio nomen de cœlo indidit, vocans *Beniamin, id est, filium dextræ:* Ille enim est dextera, brachium, & fortitudo Patris æterni. De ipso cecinit vates Regius: *Iustitia plena est dextera tua.* Et iterum: *Me suscepit dextera tua.* Et sponsa Cant. 2. *Dextera illius amplexabitur me.* Rectè ergo filio dexteræ Patris nomẽ Beniamin conuenit, nomenq; Iesus, de quo Paulus ad Philip 2. *Vt omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in dextera est Dei Patris.* Et vt Marci vltimo dicitur: *Dominus Iesus, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei.* Psal. 47. Psal. 62. Cant. 2. Philip. 2. Marci vlt.

Hæc duo sunt mysteria, de quibus Regius vates Psalmo 61. prædixit: *Semel locutus est Deus, duo hæc audiui, quia potestas Dei est. & tibi Domine misericordia.* Potentiam diuinam nomen salutis declarat: misericordiam sanguinis effusio manifestat. Verba quoque illa Cant. 7. quibus sponsus collaudat sponsam, ipsi sponso Christo, (qui caput est Ecclesiæ) in hoc duplici mysterio adaptare possumus: *Caput tuum sicut Carmelus, coma capitis tui, sicut purpura Regis.* Carmelus mons est altissimus. Est ergo sensus, caput tuum, id est, diuinitas tua, (quia caput Christi Deus) æqualis est æterno Patri: humanitas verò, (quæ veluti comæ caput operit) sicut purpura Regis sanguine circumcisionis conspersa. Deinde Carmelus agnus circumcisus, vel cognitio circumcisionis interpretatur. Verbum igitur diuinum per hypostaticam vnionem cum humana natura agnus est circumcisus: vt verè dicamus, quod Deus circumcisionem experimento cognouit. Hæc duo nobis insinuat mirabilis nominis Iesu cum circumcisione connexio. Hæc est duplex illa cõsolatio, qua in hoc fœlicissimo anni exordio incipit nos consolari sacra mater Ecclesia, iuxta propheticum vaticinium Esaiæ 40. *Consolamini, consolamini popule meus, dicit Deus vester.* Duplicem hanc consolationem hodie nobis offert infans noster Iesus. Quanquam enim infans est, & sine voce: Verbum tamen est Patris, quod sacro suo, & salutis nostræ nomine mirabiliter nos affatur: & sanguine suo loquitur, imò clamat melius, quam Abel. *Loquimini ad cor Hierusalem.* Non præcipit nobis Dominus, vt loquamur verba, quæ aures de- Psal. 61. Cant 7. Ephes 5. Esa. 40.

Ezech. 33. mulceant: ne simus vobis vel *Vt carmen musicum, quod suaui dulciq́; sono canit:* sed præcipit, vt loquamur ad cor nunc deterrendo, nunc emolliendo, nunc beneficiorum largitate, & spe diuinæ clementiæ consolando: *quia suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* Hæc sunt duplicia dona in hoc sacro die nobis collata per effusionem sanguinis, & impositionem nominis Iesu.
Prouer. 31. Ex hoc duplici dono texitur tela, ex qua *omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus:* nempe veste nuptiali gratiæ, & stola glorię: quam nobis pręstare dignetur Dominus noster Iesus circumcisus. Amen.

IN EADEM SOLENNITATE CIRCVMCISIONIS DOMINI,

CONCIO SECVNDA.

De sacro nomine Iesu.

THEMA.

Vocatum est nomen eius Iesus. Luc. 2.



NOMEN hoc dulcissimum Iesus adeò est ineffabile, vt nemo possit illud dicere (secundùm Apostoli doctrinam) *nisi in Spiritu sancto.* Verum cum sponsa illud appellet *oleum effusum,* per quod diuina charitas in nos diffunditur per Spiritum sanctum: vt de hoc sacro nomine dignè dicere valeamus, oleum Spiritus sancti per almam Virginem petamus, dicentes: *Aue Maria.*

Nomina quidem ad explicandas rerũ naturas inuenta sunt: iuxta cognitionem enim, quam de rebus habemus, ipsis nomina imponimus. Vt enim dixit Philosophus: *Voces sunt signa conceptuum.* Sic primus homo à Deo formatus Adam perpensis singularũ rerum naturis ipsis

ipsis nomina imposuit, sicut Genes. cap. 2. dicitur: *Omne quod vocauit Adam, ipsum est nomen eius.* Et Exod cap. 33. Dominus ad Moysem: *Noui te ex nomine.* Homini quidem naturale insitum est desiderium cognoscendi diuinam naturam, atque nomen. Vt patet Genes. 32. Exod. 3 *Dic mihi, quo appellaris nomine?* At verò cum diuina natura adeò sit immensa, pro hoc statu viæ neque videri à nobis, neque intelligi potest: atque adeò neque nominari per nomen proprium, quod ipsius exprimat naturam, & essentiam, donec videamus ipsum, sicuti est. *Tunc erit Deus omnia in omnibus, & nomen eius vnum.* Deus verò sicut creauit omnia, ita & nominat: *& vocat ea, quæ non sunt, sicut ea, quæ sunt Sic numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat:* Psal 146. Ipse verò nomine proprio, & quidditatiuo a nobis nominari non potest, quia incomprehensibilis est cogitatu *Magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus.* Quare Dionysius de diuin. nom. ait, quod *neque nomen, neque opinio diuini nominis à nobis in via haberi potest:* iuxta illud Prouerb. 30. *Quod nomen est eius, & quod nomen filij eius, si nosti?* Imponimus verò varia nomina diuinæ naturæ secundùm varias perfectiones, quas de ipso intelligimus. Vt docet D. Thom. 1. part. quæst. 13. artic. 3 & August. libr. 1. de doctr. Christiana. Sic vocamus Deum, quia prouidens est: Patrem quia gignit: Verbum quia gignitur, &c. Nunquam tamen illum nominare possumus, sicuti est. In patria verò beati sicut cognoscunt, & vident Deum, ita cognoscunt ipsius nomen. Iuxta illud Zachar. vltimo: *Erit Dominus Deus vnus, & nomen eius vnum: quia in die illa* (vt dicit Dominus per Hieremiam 31.) *à minimo vsque ad maximum omnes cognoscent me.* In via verò sicut incognoscibilis est, ita & ineffabilis, atque innominabilis per proprium nomen. Iacob quærenti, *quo appellaris nomine?* responsum est: *cur quæris nomen meum quod est mirabile?* neque mirum: siquidem neque Angelorum nomina propria nosse possumus, sicut nec naturam: vt patet Iudicum 13. vbi patri Sampson quærenti ab Angelo, *quod est nomen tuum, vt honorificemus te?* respondit Angelus: *cur quæris nomen meum, quod est mirabile?*

Natura diuina proprio nomine in statu via explicari nequit.

Zach. 14.
Rom. 4.
Baruch 3.
Dionys.
D. Thom.
August.
Gen. 32.

Exod. 6. Ad Moysem ait Dominus: *Ego Dominus, qui apparui Abrahæ, Isaac, & Iacob, in Deo omnipotenti:* siue diuite, & promittente: *Et nomen meum Adonai non indicaui eis.* Moysi tamen ex magno priuilegio, & familiaritate, cui & essentiam suam manifestauit: nomen quoque illud Tetragrammaton, id est, quadriliterum Iehoua, indicauit, quod est nomen æternitatis: quadrata enim figura consistentiam, & perpetuitatem significat. Hoc erat nomen ineffabile, quod nullus audebat, nec poterat exprimere. Solis Sacerdotibus (teste Hierony.) id concessum erat. Cæteri verò loco illius dicebant, Adonai, id est, dominator Vel Sadai, qui sufficit, qui omnibus sufficiens est. Iehoua verò significat qui est, principium

Psal. 110. totius esse. De quo Psalmo 110. scriptum est: *Sanctum & terribile nomen eius.* At verò postquam *Verbum caro factum est, & in terris visus est, & cum hominibus conuersatus:* apparuitque nobis non in Deo promittente, sicut olim, sed in Deo implente: *Quando venit plenitudo temporis:* vt Paulus ait Galat capite 4. Tunc quia nouum erat mysterium, nouusque homo natus est in mundo: impletumque est Hierem. vaticinium capite 31. *Nouum creauit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum.* Nouo homini Christo nouum nomen debebatur: sicut Euangelicus vates prædixit: *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini locutum est.* Nomen (inquam) illud, quod erat *in desiderio animæ:*

Esa 26. vt dicitur Esaias capite 26. erat enim *desideratus cunctis*

Aggæi 2. *gentibus:* Aggæi cap. 2. Nomen illud nouum, quod Angelus ad Ioseph de cœlo tulit, dicens: *Vocabis nomen eius Iesus.*

Huius quidem nominis impositio huic sacro circumcisionis diei congruebat, vt superiori concione explicuimus. Ipsius verò nominis cognitio, & manifestatio

Psal 21. vnigenito Dei filio seruabatur: sicut Psalm. 21. prædixit Dauid: *Narrabo nomen tuum fratribus meis:* Quod Paulus ad Hebræos capite 2. de Christo interpretatur. Et

Esa. 52. consonat locus Esa. 52. *Iugiter tota die nomen meum blas-*

Diuini nominis cognitio & *phematur. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.* Idcirco Christus Dominus æterno Patri nominis sui, ac mu-

ac muneris rationem reddens ait. Ioan. 17. *Pater manifestaui nomen tuum hominibus.* *manifestatio seruata est Christo.*

At verò si quæras, quodnam nomen nobis manifestauit Christus, cum nullum nomen proprium Deo cōuenire possit, neque ipsius naturam explicare? Respondetur, primò, quod Christus Dominus manifestauit nobis diuinas perfectiones, omnipotentiam, sapientiam, & bonitatem: & nomina illis conuenientia. Secundò manifestauit Sanctissimæ Trinitatis mysterium: docuit enim patrem principium esse totius esse, filium à patre genitum, & Spiritum sanctum ab vtroque procedere: vt patet Ioan. 14. *Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo.* Docuit etiam nomina propria diuinis perfectionibus conuenientia Matth. vltimo: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti:* quæ nomina ante Christum ignorabant. Tertiò quia nomen illud Dei, quod in communi notum erat, scilicet, prouidens manifestauit hominibus quomodo rerum omnium habeat prouidentiam. Nam Matth. 6. ait, *nolite soliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus? scit enim pater Vester cœlestis, quia his omnibus indigetis.* Maximè verò explicuit nobis Diuinam prouidentiam circa salutem humani generis: atque adeò dum vocatur Iesus, id est, Saluator hominum, re ipsa & nomine manifestauit mundo potissimum nomen Diuinum, & naturam, ipsiusque perfectiones, nempe prouidentiam, sapientiam, & bonitatem, quæ in redemptionis opere, & humani generis salute mirabiliter splendent: & in sacro nomine Iesu continentur: *non enim ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit:* vt Paul. docet ad Titum. 3.

Christus manifestauit diuinas perfectiones, & nomen.

Ioan. 14.

Matth. Vlt.

Matth. 6.

Ad Tit. 3.

Deinde in sacro nomine Iesu quatuor litteræ continentur, ex quibus componitur ineffabile illud nomen Diuinum Tetragrammaton, Iehoua; in Hebræo enim scribitur Iehosua: & per additionem vnius litteræ, S, redditur pronunciabile diuinum illud nomen ineffabile, quod neque intellectus capere, nec lingua proferre valet, sed silentio potius venerari: est enim Iehoua nomen non ex relatione ad creaturas compositum: sed ad significatum

Nomen Iesu fecit pronunciabile illud nomē ineffabile Iehoua.

significandam simplicitatem Diuinæ essentiæ, personarumque originem, & distinctionem de cœlo inuentum. Cæterum sicut Diuinum Verbum inuisibile, & hominibus inaccessibile, & intractabile, per incarnationis mysterium factum est tractabile, & visibile: sic nomen Dei ineffabile vnitum nomini Iesu factum est hominibus pronuntiabile: iuxta verbum Christi Domini Ioan. 17. *Pater manifestaui nomen tuum hominibus.*

In veteri quidem lege tres fuere viri hoc nomine Iesus appellati: nempe Iesus Naue dictus Iosue, cuius voci obediuit Sol, quique Israeliticum populum in terram promissionis induxit. Secundus Iesus Iosedech, qui anno primo Cyri Regis Persarum cum Zorobabele templum Salomonis à Chaldæis dissipatum restituit. Tertius Iesus Sirac author libri Ecclesiastici, qui cœlesti doctrina filios Israel erudiuit. Omnes isti typum, & figuram gessere Saluatoris Christi; *qui multos filios in gloriam adduxit,* qui cœlestis Hierusalem ruinas instaurauit, qui tandem cœlestem doctrinam Apostolis, & Ecclesiæ sanctæ de sinu patris susceptam reuelauit: & qui melius quàm Iosue fideles suos in æterna tabernacula introduxit. Et consonat nominis Iesu etymologia, apud Græcos enim Iesus sex litteris scribitur, qui numerus (teste Beda primo libro in Lucam) salutis nostræ mysteria redolet. Continetur enim in eo numerus 888. qui respondet octonario futuræ beatitudinis: sicut prædixit Sibylla Cumana, id quod diligenter adnotauit Syxtus Sen. tom. 1. libro 2 de Sibylla Cumana. Atque idem mysterium significatum videtur, dum octauo die Dominus circumcidi voluit. Quinimo aliqui recentiores obseruant nomen Saluatori impositum non esse idem cum nomine illorum trium antiquorum patrum: sed esse nouum nomen iuxta illud Esaiæ 62. *Vocabitur tibi nomen nouum.* Nomen etenim Saluatoris est Iesuah, id est, Saluator, siue saluans. Nomen verò aliorum triũ habet additam literam, he, Iehosuah, id est, Deus saluabit: quare illi Typum gerebant salutis promissæ, & futuræ, quæ per Christum impleta est. Vnde Diuus Augustinus lib. medit. *quid Iesus, nisi Saluator? ergo propter temetipsum esto mihi Iesus.* Et super nomen Tetragrammaton,

Nomen Iesu alij in typo habuere.

Syxt. Sen.

Esa. 62.

August.

maton, Iehoua, additur litera, sim, Iehosuah, sim, verò apud Hebræos figuram habet lampadis: in quo videtur impletum vaticinium Esa. cap. 62. *propter Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur, vt splendor iustus eius, & saluator eius vt lampas accendatur.* *Esa. 62.*

Nomen salutis non dicit vnum tantùm bonum, sed bonorum omnium plenitudinem, quæ ad salutem necessaria sunt: in salute enim continentur vires, atque vitium omnium, & sensuum, tam interiorum, quàm exteriorum, recta dispositio. Sicut igitur Christus secundum naturam diuinam fons est bonorum omnium, sic secundum humanam naturam omnia medicamenta, & omnia media ad salutem humani generis necessaria secum inuexit. Id quod apertè in ipso Domino in Cruce pendente videmus, dum ex ipsius capite, ore, manibus, pedibus, & corde, vndique salutem nostram profluere cernimus. Hoc est mysterium, quod Psalmo 109. Regius vates cecinit: *Tecum principium in die virtutis tuæ, &c.* id est, in die vniuersalis resurrectionis, *in splendoribus sanctorum*, cum transformabuntur à claritate in claritatem configurati corpori claritatis tuæ, apparebit, quod tu sis principium totius splendoris, salutis, & roris gratiæ. Salutis nostræ negotium tria potissimum bona includit, redemptionem, iustificationem, & glorificationem nostram. Hæc tria Christus Dominus operatus est; qui (vt Paulus ait 1 Corinth. 1.) *factus est nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio*: & ad Romanos 8. *Quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, illos & iustificauit, & quos iustificauit: illos & magnificauit.* Sicut ergo salus naturalis nostra est bonum quoddam consistens in proportione, & harmonia, non tantùm membrorum exteriorum, sed quasi quædam concinna musica, quam inter se humores efficiunt: sic spiritualis nostra salus bonum quoddam excellens est consistens in spirituali quadam proportione, & cœlesti spiritus harmonia, & concentu: quod Christus nostra salus nobis contulit: sicut Paul. ad Colossenses 1. ait, *Complacuit per eum reconciliari omnia in ipso, pacificans per sanguinem crucis*

Nomen Iesu totius salutis plenitudinem complectitur.

Psal. 109.

1. Corin. 1.

Rom. 8.

Colossen. 1.

crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt: & ad
Ephes. 2. Ephes. 2 *ipse est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum, &c.*
Psal. 117. Quare Psalm. 117. dicitur lapis angularis, non tantùm quia consummauit ædificium Ecclesiæ, sed quia componit sensum cum ratione, spiritum cum carne, & denique interiora omnia pacata, & ordinata reddit. Hoc continet sacrum nomen Iesus, scilicet consummatam & perfectam salutem in ordine ad Deum, ad seipsum & ad proximos. Huic saluti quæ in via habetur per gratiam succedit salus æterna in patria per gloriam.

IN CIRCVMCISIONE DOMINI,

CONCIO TERTIA.

De eodem nomine, Iesus.

THEMA.

Vocatum est nomen eius Iesus. Luc. 2.



ACRVM nomen Iesu dulcedine plenum est. De quo prædixit Esai cap. 26. *nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio, animæ.* Vt huic desiderio satisfaciamus, dulcedinem Diuini [illegible] petamus dicentes: *Aue.*

Iam verò Sancti patres inquirunt, cur potius, Christus Dominus Iesus appellatus sit, cum iuxta Esai. vaticinium c. 7. quod retulit Matth Euangelista cap 1 Emmanuel potiùs dicendus foret. Quæstionem mouet Cyril. tom. 1. Conciliorum cap. 2. explicans locum Esai. Chrysost. hom 5 in Matth Theophilatus, Tertullianus, Lactantius, & August serm 8. de tempore, & serm 4. de natiuit. Et primò quidem respondet quòd, cum Deo nullum nomen proprium imponi potuerit, quod ipsius naturam explicaret: debuit imponi nomen officij, & potissi-

D. Cyril. D. Chrys. D. August.

potissimæ actionis sicut Esai. 8. *Vocatur nomen eius, accelera, &c.* similiter cap. 7. vocatur nomen eius *Emmanuel,* quod Matth. interpretatus *est nobiscum Deus.* Similiter Esai. 9 *Vocabitur nomen eius, admirabilis, Deus, fortis, pater futuri seculi, Princeps pacis* Quorum nominum maiestate deterriti 70 interpretes non sunt ausi explicare ea nomina, sed pro illis sex nominibus posuerunt, vocabitur magni consilij Angelus. *Esa. 7.*

Adhuc tamen vrges quare ex his antiquis nominibus nullum impositum sit Christo; sed potiùs vocatus sit Iesus? Huic quęstioni respondetur primò, quòd nouo nomine vocari decebat, qui nouus homo erat, & noua, mirabiliaque in mundo erat facturus: iuxta verbum Esai. 43 *ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini: Ecce ego noua facio omnia*: & Hierem 31 *nouum creauit Dominus super terram, &c.* Sic Esa cap. 62 in spiritu prædixit: *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini locutum est.* Hoc est, dulcissimum nomen Iesu, quod per ministerium Angelorum Ioseph prænunciatum, & ab ipso impositum est Christo. *Hiere. 31. Esa. 62.*

Deinde est secunda ratio Augustini lib. 16. contra Faustum cap. 18 19. 20. quòd sic appellandus erat, qui fideles suos in ęterna tabernacula erat introducturus: sicut Iosue, qui priùs vocabatur Ose; & posteà Iesus: vt re & nomine Typus esset Christi. Augustino subscribunt Hieronymus lib. 1. contra Iouini Iustinus martyr, aduersus Triphontem Iudæum, Origenes homilia 1. in Iosue Tertull lib 3. aduersus Martion. cap 9 & lib. 4 cap. 7 Confirmatur quia 70. interpretes sic appellant Iosue, Iesus Naue. Accedit quoque, quòd in veteri testamento quoties in vulgatâ editione habetur Saluator, vel salutare, Hebraicè habetur, sacrum nomen, Iesus: vt patet Esai 46. *aperiatur terra, & germinet Saluatorem* Et cap. 62. *Ecce Saluator tuus venit*: habetur Iesus Et cap. 12. *Ecce Deus Saluator meus. Factus est mihi in salutem. Et haurietis aquas de fontibus Saluatoris*: Ter habetur nomen, Iesus, vt notauit Procopius Vbi trina repetitione huius nominis summam lætitiam Christiani populi prædixit Propheta: sicut Troianorum lætitiam, cum procul viderunt Italiam, trina geminatione Italiæ expressit Virgilius dicens: *August. Hieron. Iusti. Origen. Esa. 46. Esa 62. Esa. 12. Procop.*

Cum

Cum procul obscuros colles, humilemq; videmus
Italiam: Italiam primus conclamat Achates:
Italiam socij læto clamore salutant.

Sic meritò dulcissimum nomen Iesu ter repetitur: quod (vt Bernar. ait) *mel est in ore, melos in aure, iubilus in corde* Ad hoc prouidit Diuina sapientia (sicut adnotauit August. lib. de spiritu & littera) vt mater Iesu butyrum, & mel comederet iuxta vaticinium Esaiæ, vt dulcem filium nobis generaret.

Bernard. *Nomen Iesus est super omne nomen, omnium nominũ Dei virtutem comprehẽdens.* *August.* *Esa. 7.* *Bernard.*

Iam verò respondetur tertiò ad prædictam quæstionem cum D Bern. serm de circumcisione Domini, quòd hoc nomen Iesus est *nomen super omne nomen*, iuxta doctrinam Apostoli ad Philippen. 2. atque adeò comprehendit virtutes omnium nominum. Iesus enim idem est quod Saluator: sicut Angelus dixit ad Ioseph: *vocabis nomen eius Iesus, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Ad Saluatoris verò munus opus erat, vt esset Emmanuel, id est, nobiscum Deus: quòd sit victor, qui spolia detrahat: Deus, qui solus saluare potest: admirabilis in iustificatione impiorum: fortis in cõseruatione iustorum Admirabilis quoque fuit, quia Deus & homo: consiliarius, quia magni consilij Angelus, Deus, quia *Verbum erat apud Deum*, & Patri æquale. Fortis, cui nulla creatura resistere potest. *Quis enim restitit ei, & pacem habuit?* Iob 9. Pater futuri seculi, quia ipse diuidit sedes Regni cœlorum, sicut æternus Pater sibi disposuit Princeps pacis: quia fecit vtraque vnum *reconcilians nos Deo in semetipso*: vt Paulus ad Ephes. 3. & quia sicut Esaias prædixit: *multiplicabitur eius Imperium, & pacis non erit finis.*

Fuit quoq; admirabilis in natiuitate: Consiliarius in prædicatione: Deus in miraculorum operatione: fortis in passione: Pater futuri seculi in resurrectione: Princeps pacis in perpetua beatitudine. Tertiò quoq; fuit admirabilis, quia fecit noua, & mirabilia signa, natus ex matre Virgine, circumcisus, baptizatus, transfiguratus: Admirabilis in doctrina, & prædicatione, quæ omnes in admirationẽ rapiebant: admirabilis in miraculis, passione, resurrectione, ascensione, & missione Spiritus sancti: vt

Psal. 76. meritò Dauid dixerit, *Tu es Deus, qui facis mirabilia*

Con-

Consiliarius verò fuit in consilijs, & cogitationibus pacis: sicut meritò D. Aug initio conuersionis suæ *non satiabatur considerare altitudinem diuini consilij super salutem humani generis* Consiliarius item meritò dicitur, qui consulit nobis, transitoria relinquere, permanentia, & vera bona prosequi. Sicut enim in periculoso itinere, vel nanigatione, aut bello consiliatijs opus est, multò magis in spirituali nauigatione, qua ad cœlestem portum nauigamus, cœlesti duce, & consiliario indigemus. **August.**

Deus verò est de Deo Ioan. 1. *Deus erat Verbum:* & ad Philippens. 2. *qui cum in forma Dei esset.* Et Baruc 3. *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius præter eum: post hæc in terris visus est.* Fortis verò est sicut Iob. 9 *si fortitudo quæritur, robustissimus est.* Fortis, qui fortem armatum ligauit: dæmonem è mundo expulit. Hic est fortissimus Sampson, *geminæ Gigas substantiæ.* Fortis ad adiuuandum, & protegendum: cuius auxilio fretus Iob ait: *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* Et Paul. similiter: *Omnia possum in eo, qui me confortat:* & Dauid in Psalm. *Dominus fortitudo plebis suæ.* Qua ratione illum ad nostrum auxilium inuocat Psalm. 44. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissimè.* **Iob. 17.** **Psal. 44.**

Pater verò futuri seculi dicitur: *quia longitudo dierum in dextera illius* Princeps verò pacis, *quia ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* De quo Dauid cecinit, *factus est in pace locus eius.* Sic Christus ipse transiturus iam iam ex hoc mundo ad Patrem dixit discipulis: *pacem relinquo vobis*: & resurgens a mortuis pacem illis obtulit dicens: *Pax vobis*, Ioan 20. **Prou. 3.** **Ioan. 14.** **Ioan. 20.**

Hæc omnia nomina sunt officij. Dum enim altitudinem abyssi diuinæ essentiæ contemplamur, *no se le halla pie*, neque inuenitur nomen, quod illius immensitatem exprimat. Cæterùm inter omnia potissimum munus Christi est Saluatoris: atq; adeò nomen Iesus est *super omne nomen.* Explicat enim potentiam saluandi non tantum à corporalibus malis, & pœnis, sed etiam à culpis Multis quidem nominibus appellatur Deus in Scriptura sacra: Vocatur enim Pater, Hierem. 3. *Voca me*

pater

pater meus: Et cap 31 *factus sum Israeli pater.* Et cap. 49. Esa. vocatur mater, *nunquid potest mulier obliuisci infantem suum quem genuit* Et cap. 66. *quomodo si blandiatur mater filio suo, ita ego consolabor vos.* Psal. 21. vocatur frater: & à Paulo Rom. 8 *primogenitus in multis fratribus.* Aliquando vocatur *Rex, dux, Pastor, cibus.* Vnde meritò Aug vno verbo dixit: *Deus meus, & omnia.* Hæc omnia, quibus Deus pleniſſimè replet in bonis deſiderium nostrum, complectitur ſacrum nomen Ieſu. Eſt enim veluti nomen ex infuſione confectum; *como vna quinta esſencia,* vt vulgari ſermone ab Hiſpanis dicitur. Quarè optimè Sponſa dixit: *oleum effuſum nomen tuum.* Continet enim virtutem omnium nominum, tam eorum, quæ per Prophetas olim prædicta ſunt, quàm quæ per Euangeliſtas explicata.

August.

Nomen Ieſus oleum eſt effuſum: in quo quaſi ex infuſione coniunguntur omnia diuina nomina.

Cant. 1.

Bernard.

Oleum (vt Bernard. ait ſermone 15. in Cantica) *lucet, paſcit, vngit, carnem nutrit, ignem fouet, dolorem lenit, luctatores ad luctam diſponit* Oleum lux eſt, cibus, & medicina: ſic nomen Ieſus lucet prædicatum, paſcit recogitatum, lenit inuocatum. Oleum nunquam miſcetur aquę: Imò ſub aquis effuſum illas clarificat, & ſurſum aſcendit: ſic hoc nomen fugit mentes fluidas velut aquas: Tenebras ignorantiæ, & culpæ depellit; & ſuauiſſima luce Diuinæ claritatis cor illuſtrat. Et ſicut oleum ſurſum ſuper aquam aſcendit, cunctiſque liquoribus ſupernatat, ſic ſacrum hoc nomen; aſcendit *ſuper omne nomen:* cunctiſque nominibus excelſius eſt, & excellentius: atque ipſi Dei filio conuenientius Et (vt plures graues Doctores interpretantur) hoc eſt nomen Domini, quo olim à Prophetis, & maximè à Regio vate ſæpe nũcupabatur: de quo dixit, *ſanctum & terribile nomen eius* Pſal 119. Et in alijs multis Pſalmis: Imò omnes antiqui Patriarchæ, quibus vnius mediatoris Ieſu, fides explicita communicata eſt, cum nomen Domini inuocare cœperunt, filij Dei, & Domini Ieſu aduentum inuocabant. Ipſe enim nomen Dei vocabatur: quia iuxta doctrinam Auguſt. 15 de Trinitate, ſicut filius Dei dicitur verbum, & conceptus diffinitiuus Patris, in quantum explicat totam eſſentiam Patris: ita dicitur nomen Dei, in quantum notificat nobis plenitudinem diuinarũ perfectionum, o-

Sub nomine Domini à Prophetis olim inuocabatur Ieſus.

Pſal. 119.

Auguſt.

hum, omnipotentiæ, sapientiæ, bonitatis, misericordiæ, atq; iustitiæ. Hoc est quod Christus ait Ioan. 17. *Pater manifestaui nomen tuum hominibus: Ego te clarificaui super terram.* Quare meritò Rex Dauid creaturas omnes, & præcipuè homines, ad laudandum nomen Domini inuitat: *quia exaltatum est nomen eius solius.* Filio igitur Dei, qui propriè dicitur nomen Dei, rectè impositum est de cœlo, nomen hoc Iesus: quod exaltatum est, & eleuatum super omne nomen. Hoc erat sanctũ illud Domino, quod in lamina aureà insculptum super tiarã frõti sacerdotis imminebat: alijsque nominibus superponebatur. Ecce quam aptè oleum vocauerit sponsa nomen Domini Effusum verò largam, & diuitem muneris largitatem explicat. Nec mirũ (vt Ber ait ser 15. in Can.) quod sponsi nomen effusum dicatur, cum ipsò quoq; effusus sit sicut aqua (vt ait Psal. 21. vt de plenitudine ipsius omnes accipiamus. Cum aqua effunditur, nihil illius vasi adhæret: sic Christus semetipsum exinaniuit: totum nobis se tradidit: totus nobis natus, & datus est Meritò Dauid nos inuitat, vt parem gratiam ipsi rependamus Ps. 61. *effundite coram illo corda vestra* Et Hier. Threnorum 2 *effunde sicut aquam cor tuum.* Effunde (inquã,) sic, vt nihil intus occultum maneat Effunde cor liquefactũ per lacrymas Effusiò quoq; olei bonum odorem Christi significat, quo repletur Ecclesia, repletur & mens nostra Ecce ergo quam aptè dulcedo nominis Iesu, suauitas, atq; odor, per oleum effusum explicentur.

Ioan. 17.
Psal. 148.
Exod. 28.
Bernar.
Psal. 21.
Psal. 61.
Thren. 2.

Oleum tandem durissima quæq; penetrat, & emollit: sic sacrum hoc nomen Iesus corda quantumcunque dura penetrat, emollit, & apta reddit, vt signentur spiritu promissionis sancto. Cantic. 8 petit Diuinus sponsus: *Pone me vt signaculum super cor tuum.* Aurum sine signaculo Regio non habet certum valorem, neque est pecunia, donec signatur: Sic neque opera nostra habent valorem in cœlesti curia, nisi sigillo sacri nominis Iesu consignentur. Ad sigillum verò per huius olei virtutem, & suauitatem disponuntur. O fœlices animæ, quæ hoc sacrum nomen pro sua dignitate venerãtur: illiusq; dulcedinem, suauitatem, & odorem experiuntur. Multæ turbæ comprimebant Iesum, sed cum mulier viua fide acce-

Ephes 1.
Cant 8.
Simile.
Luc. 5.

accedens tetigit Christum, sensit virtutem de se exisse. Vnde dixit: *Quis me tetigit? Como sale vuestra chupado su diuina virtud.* Multi quidem ore proferunt nomen Iesus, & caput inclinant: pauci tamen illius dulcedinem sugunt, & gustant. Oportet vtique comedere, & gustare: sicut Ezechieli præcipitur, vt comedat volumen. Sponsi voto satisfaciens sponsa, illiusque voluntatem intelligens Cantic 5. ait: *comedi fauum cum melle meo.* Quid mirum fauum comedere cum melle? mysterium habet, & proprietatem locutio sponsæ. Multi enim ceram faui sine melle comedunt: nempe qui per fidem intellectus tantum credunt Dominum Iesum. Illius tamen dulcedinem non degustant per voluntatem. Oportet ergo vtrũque comedere, fauum, & mel: hoc est quod Iob cap. 7. petebat. *Dimitte me, vt glutiam saliuam meam.* Id est Iesum, qui saliua est, & sapientia patris à capite ipsius procedens Multi ore tenus deferunt nomen Iesu, sicut aulicæ fœminæ flores ore, vel aure, vel pectore deferunt: *Son como galanes, o damas de Iesus.* Non sic decet fideles Christi sanguine redemptos nomen Iesu ore tenus venerari: sed oportet comedere mel Iesu, deglutire, & in stomachum traducere: sicut Petrus Apost. hortatur: *Dominum Iesum sanctificate in cordibus vestris.*

Dulcedinẽ Iesu oportet ore, & corde gustare.
Ezech. 3.
Cant. 5.
Iob. 7.
1. Petri 3.

Oportet vtique sacrum hoc nomen omnino venerari, quia nomen est pretiosissimum, quod pretio sui sanguinis Dominus comparauit. Atque ea ratione in die circumcisionis, & effusi sanguinis sui voluit sibi hoc nomen imponi. Nomen (inquam) quod (vt diximus) oleũ est effusum. Tu tamen noli sanctum nomen, à quo tot bona nobis proueniunt, effundere. Ab hoc enim nomine manat nobis oleum charitatis, gratiæ, donorum Spiritus sancti, & spiritualis lætitiæ: Oleum rectæ intentionis, quo caput vngere, & faciem lauare debemus. Oleũ est, quòd (vt Aug ait epist. 120 & in Psal 49.) prudentes virgines sumpserunt in vasis conscientiæ. Illud seruare, imò obseruare, & magna cum deuotione venerari oportet. Satis pro te effusum est, noli tu illud effundere, ne effundaris sicut aqua cum Ruben. Vide quod Iesus nomen est admirabile, ipsum admirare, & suspice. Consiliarius est, ipsius consilia amplectere. Deus est: ipsum dilige,

Sacrum nomen Iesu oportet venerari.
August.
Genes. 49

dilige, & honora. Fortis est, in ipso confide. Pater est futuri seculi, in eo spem omnem repone, illiq; placere stude. Princeps est pacis: in ipso quiesce. Iesus est Saluator, ipsius dulcedinem, & gustum suscipe, vt per illum consequaris nunc salutem gratiæ, & in futuro gloriæ.

IN EADEM SOLENNITATE,

CONCIO QVARTA.

De causis, quare Dominus Iesus circumcidi voluit.

THEMA.

Postquam impleti sunt dies octo, vt circumcideretur puer. Luc. 2.



IRCVMCISIONIS mysterium hodierno die celebramus, quo puer Iesus vix natus ex vberibus matris lactis cœlestis guttas sugit, quæ in carnem & sanguinem vertuntur Saluatoris. Et ecce noua iã caro scinditur, & diuini sanguinis pretiosus liquor effunditur. Impletur Zachariæ vaticinium. c. 13. *In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.* Impletum quoq; est mundi desideriũ, Euangeliciq; Prophetæ vaticiniũ c. 45. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustũ.* Hodie cœli ros in Christi sanguine nobis spargitur: Adueniet dies pluuiæ, cũ in cruce totus sanguis pro nobis effundetur. Quid sentiret sanctissima virgo in vnigeniti sui circũcisione, siue illa executrix fuerit, siue testis astiterit, dum sanguis filij, & verus cœlestis ros effusus est? Ecce iam gloriosa mater gladiũ illũ experiri incipit, quem paucis post diebus Simeon vaticinatus est dicens: *Et tuam ipsius animã pertransibit gladius.* Vt hũc salutificum rorem dignè venerari valeamus, rorem diuinæ gratiæ per sacram Virginem petamus dicentes: *Aue.*

Zach. 13.

Esa. 45.

Luc. 2.

Breuissimum quidem est sacrum huius diei euangelium, sed magna, & excelsa mysteria continet. Sanguis enim Christi, quo vinea Ecclesiæ hodie irrigari cœpit, copiosissimũ, atq; vberrimum fructũ nobis pollicetur. Ineffabile verò nomen Iesu per Angelum de cœlo allatum, Redemptoriq; impositum excelsas, atq; ineffabiles ipsius perfectiones complectitur. Salomon Prou 30. quatuor minima terræ dicit sapientiora omnibus sapientibus. Raras enim virtutes rebus paruis diuina manus largita est: vt experimento constat tam in auibus, & piscibus, quàm in cæteris animalibus, lapillis, herbis, & plantis: vt Basil 7.li. Exame eleganter differit. Hodiernum quoque Euangelium breuissimum est, sed magnis mysteriis, doloris, & dulcedinis plenum. Rectè illi aptare possumus quod Ecclesiastici 11 dicitur: *breuis in volatilibus apis, & initium dulcoris habet fructus illius* Sic breuissimum Euangelium præsentis solennitatis, sicut initium est anni, sic initium continet totius dulcedinis. Apis quidem Christus Dominus qui mel misericordiæ ex rore cœlesti conficit: & simul habet aculeum iustitiæ. Aculeo diuinæ iustitiæ pro nobis hodie circumcisus est: sed nomen Iesu mellis dulcedinem superans suscepit. Breuis verò Christus, quia iuxta verbum Paul Rom 9. Ex Esai. c 10 *Verbum consummans, & abbreuians in æquitate: quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram.* Filius enim Dei in terris visus est, & semetipsum exinaniuit: dum suam immensam diuinitatis plenitudinem sub nostra exilitate, & paruitate breuiauit. Verbum quoque Euangelij abbreuiauit, & cõsummauit: quia omnia, *quæ multifarie, multisq; modis olim Deus locutus est patribus in Prophetis*, nouissimè sub breuitate Euangelij, complexus est. Verbo autem Euangelij duplicem perfectionem tribuit Apostolus. Prima ea est, quòd est verbum consummans, id est, perficiens. Non sicut lex antiqua, quæ (vt Paul. ait ad Hebr 7) *nihil ad perfectum adduxit*. Christus verò venit adimplere legem: vt ipse dixit Matth 5. tum quia, figuris, & vmbris legis veritatem adhibuit: tum quia præcepta legis debito modo exposuit, consiliaq; perfectionis illis adiunxit. Secunda perfectio Euangelij est breuitas; quia quantò verbum est perfe-ctius,

Prou. 30. *Basilius.* *Eccl. 11.* *Apis breuis Christus.* *Rom. 9.* *Esa. 10.* *Heb. 1.* *Verbum Euangelij, absolutam perfectionẽ, & breuitatem habet.*

ctius, tantò est altius, simplicius, & breuius Verbũ verò Euangelij fuit abbreuians: quia omnia sacrificia figuralia legis in vno verò sacrificio comprehendit: quo Christus seipsum pro nobis parti obtulit: sicut ad Hebr 10. docet Paul. *Vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos.* Ad hæc omnia præcepta moralia legis in duobus præceptis charitatis constituit: vt Matth. 22. docuit dicens: *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ.* At verò quamquam tota historia Euangelica breuis dicatur, sed hodierna lectio breuissima est, simplicissima, altissima, dulcissimaque duo mysteria sacri nominis Iesu, & circumcisionis continens. De nomine Iesu superioribus concionibus diximus. De circumcisionis mysterio hodierna concione dicendum est.

Circumcisio data fuit olim Abrahamo Patriarchæ, non ad iustificationem, sed in signum fœderis. Nõ enim per circumcisionem iustificatus est, qui ante illã in præputio per fidem iustificatus fuerat: vt Genes 15. dicitur: *credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam:* Iustificatus ergo iam per fidem accepit signum circumcisionis ad pleniorem sanctificationem, & ad purgationem originalis, veterisque peccati? tam pro se quàm pro filiis Genes 17. *Gen. 15.* *Gen. 17.*

Et postea Leui. 12. præceptum circumcisionis datum est Moysi Cum verò originalis culpa traducatur per seminalem generationem, cõmodissimè in ipso generationis membro remedium circumcisionis adhibitum est; quod quidem cõferebat gratiam, non ex virtute circumcisionis, sicut nunc confert baptismus ex opere operato, sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat circumcisio Qui enim circumcidebatur, profitebatur se suscipere fidem Christi venturi: vnde Apostolus ad Rom 4. ait: *quod Abraham accepit signũ circumcisionis signaculum iustitiæ fidei:* quia scilicet iustitia erat ex fide significata. Signaculum verò (sicut docet S Tho in prædicta verba Pauli) accipitur, Vno modo pro expresso signo habente similitudinem rei signatæ, secundum illud Ez. ch. 28 *tu signaculum similitudinis.* Circumcisio verò habet expressam similitudinem fidei Abrahæ quantum ad duo. Primò quantum ad multiplicationem sui semi- *Leui. 12.* *S. Tho 3. p. q 70. ar. 4* *Rom. 4.* *S. Thom.* *Ezech. 28*

nis: Quare congruenter accipitur in generationis mẽbro. Secundò quantũ ad effectũ remotionis culpæ, qui significatur in remotione, & abscissione pelliculæ. Secũdò dicitur signaculũ signũ occultans aliquid reuelandũ amicis In quo sensu Apoc 5 dicitur: *Dignus est agnus qui occisus est accipere librũ, & soluere signacula eius* Sub signaculo ergo circũcisionis claudebatur *magnũ illud pietatis sacramentũ absconditũ à seculis in Deo*, & arcanum Dominicæ incarnationis mysterium ex semine Abrahæ: Quod ipsi, & Sanc Prophetis, & amicis Dei reuelatũ est.

Apoc. 5. *1. Tim. 3.* *Ephes. 3.*

Bernar. Iam verò D. Ber. puerum Iesum dulcissimis verbis affatur, & quærit: *Vt quid tibi circumcisio necessaria, ô, bone Iesu? nunquid in culpa remedium? Atqui patris diuinitas, & matris integritas innocentiæ tuæ testimonium perhibēt.* Plurimas quidem rationes Sancti Doctores assignant: Et præcipuè S. Tho. 3. p q. 37. art. 1. Primò quidem, vt ostendat veritatem carnis suæ contra Manichæum, qui dixit ipsum habere corpus phantasticum. Quam hæresim secutus est Apollinaris dicens, corpus Christi esse diuinitati consubstantiale Confunditur quoq; error Valentini, qui dixit corpus Christi de cœlo allatum. Contra quas hæreses eleganter scripsit Epiphanius lib. contra Hereses Hæresi 30. Atq; hæc veritas fidei comprobatur ex verbis Pauli 1. ad Timo. 5. *Manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne.* Sanguinis enim effusio veram carnem esse probat Secundò voluit Dominus circundi, vt comprobaret se verum filium esse Abrahæ, qui primus circumcisionis mãdatum acceperat Genes 17. Et c 18. promissionem habuit, quod in semine suo benedicendæ essent omnes gẽtes. Circumcisus ergo Dominus verum se filium Abrahę comprobauit: Et promissionem illi factam adimpleuit; sicut Paul. ad Rom. 15. *dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum*

S. Thom. *Ex circũcisione Christi plures hæreses cõfutantur.* *Epipha.* *1. Tim. 3.* *Gen. 17.* *Rom. 15.*

Galat. 4. Tertiò voluit Dominus circumcisionis legi se subiicere, vt legem à Deo Moysi datam comprobaret contra Manichæum: iuxta verbum Pauli ad Gal. 4 *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum natum ex muliere, factum sub lege, &c.* Voluit quartò circumcidi, vt sa-

vt sacrarum legum, & ceremoniarum Ecclesiæ obseruantiam nos doceret Ceremoniæ etenim Ecclesiæ non sunt contemnendæ: siquidem per Spiritum sanctum, vt magistrum Ecclesiæ institutæ sunt. Quinta ratio est D. Tho loco citato: vt Iudæis omnem excusationem tolleret, ne eum reciperent, si esset incircumcisus.

Sexta ratio est quoq; D. Tho vt videlicet legis onus in se sustinens alios à legis onere liberaret iuxta verbum Pauli ad Galat. 4. *Misit Deus filium suum factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret.* Verbum autem, redimeret, duplicem redemptionem significat: vnam à graui præcepto legis circumcisionis: alteram ab omni peccato: sicut iterum dixit Paul. 1. ad Cor. 1. *Christus factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio.* Iugum quidem legis circumcisionis grauissimum erat, de quo Petrus Apostolus Act. 15. *quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus.* Illud igitur graue iugum in præceptum suauissimum baptismi commutauit: ipse enim pro nobis circumcisus est, vt docet Paul ad Colos. 2. *In quo & circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis Sed in circumcisione Christi consepulti es in baptismo.* Vt enim hæredem atq; Dominum vniuersorum, & principem Ecclesiæ tam antiquæ, quam nouæ se comprobaret voluit instaurare omnia antiqua ædificia: sicut solent principes facere, cum principatus sui possessionem apprehendunt. Antiqua ianua Ecclesiæ per circumcisionem augusta erat, & difficilis: illam ergo, in amplam, & regiã commutauit per institutionem baptismi, qui ianua est sacramentorum, & Ecclesiæ: nouã legem tulit, noua sacramenta instaurauit iuxta verbum Esa. c. 43. *Ecce noua facio omnia* Hoc est quod Paul. ad Rom. 10. dixit: *finis legis Christus in salutem omni credenti.* Hoc est magnum illud mysterium, quod adnotauit Aug. lib. 2. super Exod, latere in verbis illis Sephoræ ad Moysen sponsum suum Exod 4. cum circumcidit filium: *sponsus sanguinum mihi es.* Vbi 70. legunt: *stetit sanguis pueri mei*: vel, *finis sanguinis tu mihi es.* Sicut cum gladius scindens carnem peruenit ad os durum, vel lapidẽ, hebetatur, & a scissione retũditur: sic circũcidens Christum, duritiem, & diuinã fortitudinem in se habentẽ, &

Galat. 4. 1. ad Cor. 1. Act. 15. Colos. 2. Simile. August. Exod 4.

1\. Cor. 10. veram petram sicut ait Paul 1. Cor. 10. *Petra autem erat Christus* In illo ergo tanquam durissima, & firmissima petra stetit culter circumcisionis, hebetatus est, & finem habuit.

Ab ipso mundi exordio sanguis videtur institutum in signum diuinæ reconciliationis. Alter sensus apostolici verbi est, quod circumcisus Christus redemit nos a peccato. Circumcisio siquidem illius, & sanguinis effusio fuit veluti solutionis inchoatio, & pignoris inchoatiua redemptio Imò ab ipso mundi exordio sanguis videtur institutus à Deo in signum diuinæ reconciliationis: sicut Apoc 1 dicitur: *Agnus occisus ab origine mundi:* non tantum in diuina prædestinatione, sed & in typis, signis, atq; figuris: quia vt Paul. ait Heb 9. *sine sanguinis effusione non fit remissio.* Sanguis primus Abel Iusti à Caino fratricida effusus sanguinem Christi præsignauit *melius clamantem, quàm Abel:* vt Paul. dixit ad Heb. 12. sanguis enim Abel vindictam fratris clamabat; sanguis verò Christi indulgentiam, & reconciliationem ex vlnis sanctissimæ matris ab indulgentissimo patre postulat. In diluuio humanus sanguis effusus iram Domini placuit Genes. 7 Sanguine quoque agni anniculi præcepit Dominus liniri postes, & superliminaria domorum filiorum Israel, vt à gladio vastatoris Angeli seruarētur: sicut habetur Exod. 12. *erit vobis sanguis in signum* Imò in lege Moysi sacrificium agni Paschalis adeò fuit celebre, vt initium primi mensis, & anni illius effusione consecratum fuerit. Similiter sanguine vitulæ rufæ filios Israel septies aspergi voluit Numero 19. Sanguinem quoque animalium, quæ sibi offerebantur, vt taurorum, hircorum, agnorum, & auiū, præcepit Leuit. 4 specialiter sibi seruari, & offerri: *Et vocabatur sanguis fœderis.*

Apoc. 1. Hebr. 9. ad Heb. 12. Genes. 7. Exod. 12. Num. 19. Leuit. 4.

Genes. 19. Abrahę pręcepit Dominus, vt vnigenitum suum Isaac sibi immolaret, quasi humanum sanguinem sitiret: eidēque Patriarchæ circumcisionis pręceptum iniūxit, quod in manu Moysi posteà confirmauit. Et olim quidem typis, & figuris sanguinis delectabatur Dominus; sicut catulus leonis delectatur sanguine animalis à parentibus occisi iuxta verbum Iob c. 39. *nunquid capies leænæ prædam, & animam catulorum eius implebis?* Et iterum subdit Iob de pullis aquilæ: *pulli eius lābunt sanguinem.* Sic olim vi-

Iob. 39.

olim videbatur delectari Dominus effusione sanguinis; Hi erant ludi, de quibus Prouerb 8. *Delectabar per singulos dies ludens coram eo, &, ludens in orbe terrarum.* Cæterum *omnia in figura contingebant illis: Todo era como ensayo y come dia* Donec verus sanguis Christi effusus est. Ipse enim in effusione sanguinis Abel, in sacrificio Isaac, in coccino Zaræ, id est, orientis, in sanguine vitulæ, ac tandem in sanguine agni præfiguratus est. *Ipse enim verus est agnus, qui abstulit peccata mundi* Atque ea ratione cum illius sanguis funditur, nomen Iesu, id est, Saluatoris imponitur: vt enim Paulus ait ad Hebr. 10. *Impossibile est sanguine taurorum, aut vitulorum peccata deleri: ideò ingrediens mundum dicit: hostiam, & oblationem noluisti: Corpus autem aptasti mihi. Tunc dixi, ecce venio.* Sicut olim post magnum illum terręmotũ, quo tremuit Roma (teste Tit Liuio, lib. 7 primæ Deca. & Paul. Orosio. libr. 3. cap 5.) patuit cauerna magna in media vrbe, quæ omnia inficiebat, & hiatu suo ædificia diruebat. Consultis dijs suis responsum habuere Romani non esse claudendam cauernam, nisi in eam iactata re omnium pretiosissima, quæ Roma haberet. Quare frustra iactatis gemmis, & thesauris multis: tandem Marcus Curtius considerans nil pretiosius animi virtutę, equum ascendit, & calcaribus fortitęr adhibitis in mediam cauernam sese iactauit, & continuò clausa est. Et quanquam illud quidem vanitati potius, & illusioni dæmonum tribuendum est, possumus tamen Ethnicorum gesta tanquam ab iniquis possessoribus in fidei nostræ mysteria vtiliter transferre. Post primam enim culpam protoparentum terra mota est, & contremuit, infernusq; patens omnes absorbebat, neque claudi poterat, donec Christus Dominus crucem veluti equum ascendens, ex cruce in infernum sese iactauit. Hodie igitur dum pretiosissimus sanguis funditur, ignis inferni patentis mitigari incipit: Sicut Paulus ad Coloss. capite 1. dicit: *Pacificans per sanguinem suum, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt.*

Prou. 8. Hebr. 10. Tit. Liui Orosius. Coloss. 1.

Marcus Faunus philosophus libr de sanitate tuenda opinatur, quod si senex sanguinem pueri suxerit, reiuuenescit. Cæterùm, quanquam ea opinio truculenta sit, &

falsa: fides tamen docet, quod qui sanguinem pueri Iesu spiritualiter suxerit, reiuuenescet, & in floridam ætatem secundum hominem interiorem renouabitur. Ea ratione pretiosum hunc sanguinem mundus optabat, vt per ipsum Patri reconliaretur: Et integra purgatio peccatorum nostrorum fieret iuxta verbum Paul. ad Heb. I. *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansq; omnia verbo virtutis suæ, peccatorum purgationem faciens,* &c. Imò & hunc sanguinem optabat æternus Pater, cum Exod. 22. primogenitos filios sibi dari præcepit: & cum circumcisionis præceptum tulit: sciebat enim filium suum vnigenitum pro nobis circumcidendum, ipsiusque sanguine veterem hominem ad iuuẽtutem per vigorem gratiæ sanguinis Christi restituendum, renouandum, imò & viuificandum, iuxta verbum Paul. ad Ephes. 2. *Deus autem, qui diues est in misericordia, propter nimiã charitatem suam, qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo.* Tandem ipse Dei filius tenuem sanguinem hodie pro salute nostra effundit, donec corpus adolescat: *& crescente corpore* (vt Bernard. ait) *crescat & miseratio.* Circumcisio ergo infanti nostro Iesu incessanter gratias agamus, qui per circumcisionis suæ mysterium carnis suæ veritatem comprobauit, Abrahæ, & antiquis patribus promissiones factas impleuit, & nos maximè à graui legis iugo eripuit, sanguinem suum in pignus redemptionis effudit: Patri reconciliauit, imò & adoptionem filiorum concessit, per quam consequamur hæreditatem gratiæ, & gloriæ.

Sanguis Christi à mundo desideratus.

Ad Hebr. I.

Exod. 22.

Ad Eph. 2.



IN

IN EADEM SOLENNITATE,

CONCIO QVINTA.

De alijs causis circumcisionis Domini, & potissimùm de causa amoris.

THEMA.

Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer. Luc. 2.



N Kalendis mensium holocaustum odoris suauissimi sibi offerri præcepit Dominus, Num. 28. Cuius figuræ veritatem hodierno die videmus impletã: Dum primo hoc mensis, & anni die videmus sacrificium pretiosissimi sanguinis pueri Iesu paternis oculis offerri, ipsiq; puero suauissimum, & supra omnium vnguentorum fragrantiam odoriferum nomen imponi. Vt de tam excelso, tamq; digno sacrificio pro nostra salute oblato dignè disseramus, diuini Spiritus opem per almam Virginem petamus, dicentes: *Aue Maria.* *Num* 28.

Euangelicus Propheta Esa. cap. 9 meritò inter cætera nomina pueri nostri Iesu prædixit: *Vocabitur admirabilis, consiliarius:* siue vt legunt 70. interpretes: *Magni consilij Angelus.* Ipse enim est primarius Patris æterni consiliarius: De quo Paulus ad Rom. 11. *Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Quare altitudinem diuini consilij admirans exclamat, dicens: *O altitudo diuitiarum, sapientia, & scientia Dei, quam incõprehẽsibilia sunt iudicia eius!* Et Esa. 40. *Quis adiuuit Spiritũ Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Hoc diuinum cõsilium, de quo per Hierem. c. 23. promiserat Dominus, *in nouissimis diebus intelligetis consilium Dei*, docet Apostolus per Spiritum suum nobis esse reuelatum. Meritò magnus *Esa.* 9. *Rom.* 11. *Esa.* 40. *Hier* 23. 1. *ad Cor.* 2.

magnus ille pater August non satiabitur diebus neque noctibus considerare *altitudinem diuini consilij super salutem humani generis*. Quod Verbum Dei sit factum caro, quod filius Dei immortalis, & ęternus factus sit filius hominis, mortalis, & temporalis, *tremunt videntes Angeli*: sed quod voluerit pro nobis circumcidi *in similitudinem carnis peccati* (vt Paulus ait ad Rom 8.) cœlum stupet, & sublimiora illa cœlestium spirituum agmina nunquam satis pro mysterij dignitate mirantur. Quanquam igitur aliquot mysterij huius rationes ex sanctorum doctrina proxima concione meditati sumus, duas alias vel tres hodierna concione dante Domino explicabimus.

Rom. 8.

Christus circumcidi voluit, vt Incarnationis mysterium Diabolo celaretur.

Prima igitur ea sit, vt Incarnationis mysterium Diabolo celaretur, & esca carnis occultata diuina natura deluderetur antiqui hostis astutia: (vt enim ait Paulus 1. ad Corinth. 2.) *Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Cùm enim Diabolus Christi diuinitatem coniectari cœpit, per vxorem Pilati in somnis perterrita a crucis mysterium impedire satagebat. Diuina verò sapientia opus suum consummare disponebat allucinato tenebrarum principe. Ad hoc Deus mittens filium suum *in similitudinem carnis peccati* (vt Paulus ait ad Rom. 8.) *& de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis*. De peccato, inquit, id est, ex similitudine peccati, quam Christus in circumcisione suscepit, delusit Diabolum, & damnauit peccatum; nosque ab illo liberauit. Rei huius figura præcessit 1. Reg. 21. Cùm Rex Dauid coram Rege Geth immutauit vultum suum, fingens se stultum, & amentem: id quod celebrauit in titulo Psalm. 33 qui inscribitur, *Dauid cùm immutauit vultum suum coram Abimelech: Et dimisit eum, & abijt*. Hinc intelligimus ænigma illud, quod Dominus proposuit Iob, cap. 40. *An extrahere poteris Leuiathan hamo?* Ea sanè extractio, & expiscatio Christo Domino seruabatur, qui acuto & forti diuinitatis suæ hamo draconem magnum expiscatus est, dum carnem suam velut escam illi deuorandam exhibuit: sicut eleganter explicant Hier & Gregor 13 mor cap. 12 Vnde meritò canit Ecclesia: *Hoc opus nostræ salutis ordo depoposcerat,*

Rom. 8.

1. Reg. 21.

Psal. 33.

Iob c. 40.

Hier & Gregor.

ſcerat, Multiformis proditoris art ut artem falleret, Et medelam ferret inde, hoſtis unde laſerat.

Secunda & potiſſima ratio circumciſionis Domini ea eſt; vt amoris, quo nos diligit, efficaciſſimum haberemus teſtimonium: id quod ſignificauit Paulus Apoſtolus ad Tit. 3. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* Benignitas diuinum explicat amorem, vt docet Angelicus Doctor 2. 2. quæſt 88. art 1. ad quartum Dicitur enim benignitas quaſi bona igneitas, quæ dicit diuinam bonitatem, & propenſionem erga humanum genus. De qua Hier. 31. dicitur: *In charitate perpetua dilexi te:* Et quanquam hic diuinus amor in hominis creatione ex parte manifeſtatus eſt: propter culpam tamen per longum tempus fuit abſconditus. Quare Eſa. cap. 63 conquerebatur, dicens: *Vbi eſt zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo viſcerum tuorum, & miſerationum tuarum? ſuper me continuerunt ſe?* At verò diuinus in nos amor ignis erat iuxta illud Deuteron. 6. *Deus noſter ignis conſumens eſt.* Ea ratione Moyſi in igni rubi ardentis apparere voluit, Exod. 3. & ſicut ignis diu abſcondi non poteſt: ſic diuinus amor, *quando venit plenitudo temporis*; in Incarnatione Verbi, & natiuitate vnigeniti filij Dei magna cum vi erumpẽs, manifeſtatus eſt. Tunc verus Ioſeph hominibus ſeſe verum fratrem confeſſus eſt. Et ſicut olim Ioſeph electis foras Ægyptijs coram fratribus *eleuauit vocem cum fletu dicens: ego ſum Ioſeph:* ſic Dei filius ex Virgine natus, & in præſepio reclinatus, quanquam infans ſine voce, verum tamen ſe eſſe Ioſeph fratrem noſtrum apertè confitetur: *Non enim confunditur fratres nos appellare:* vt Paulus ait ad Heb 2. Hodierno verò die pro nobis circumciſus expreſſius adhuc benignitatis, & amoris ſui teſtimoniũ nobis exhibuit: tùm in citiſſima hac, & matutina ſanguinis ſui effuſione: tum verò maximè in ſimilitudine culpæ, quam pro nobis aſſumpſit.

Circũciſio Chriſti amoris ipſius apertũ fuit teſtimonium.

Ad Tit. 3.

S. Thom.

Hier. 31.

Eſa. 63.

Exod. 3.

Geneſ. 45.

Hebr. 2.

Amor non patitur moras: & deſiderium ſalutis noſtræ ab vberibus matris ad ſanguinis effuſionem vocabat: ea ratione Eſa. 8 vocatur nomen eius, *Accelera, feſtina prædare.* Ecce iam redemptionis noſtræ negotium amor ecce-

Amor non patitur moras.

Eſa. 8.

accelerat, & festinus circumciditur: vtinam corda nostra
Simile. prædetur, & in sui amorem rapiat! Cum Sol in aurora rubicundus oritur, caloris indicium esse intelligimus: hodie sol iustitiæ Christus ex vtero auroræ procedens ipso matutino tempore, & natiuitatis exordio rubicundus, & cum sanguineo circulo carnis suæ nobis ostenditur, feruentissimique amoris sui calorem annuntiat.
Luc. 12. O quam verè Dominus dixit, Luc. capite 12. *Ignem veni mittere in terram: Et quid volo, nisi vt accendatur?* cum Euangelicus propheta ex præcepto Patris æterni filium ipsius dixit vocādum, *accelera, spolia detrahe, festina prædari:* rationem nominum explicuit, dicens: *Quia antequam sciat puer vocare Patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum.*
Esa. 8. Ecce hodie auferre incipit fortitudinem Damasci, dum Reges ab Oriente sanguinis sui virtute vocat, atque trahit, & præputio carnis suæ spoliatus Samariæ spolia diripit! Impletur quoque Esa. vaticinium
Esa. 11. cap. 11. *Delectabitur infans ab vbere super foramina aspidis: Et in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.* Velox igitur & cita sanguinis pueri nostri Iesu effusio magnum ipsius in nos amorem patenter ostendit.
Amor similitudine delectatur. Deinde verò, sicut amor non patitur moras, sic similitudine amati maximè delectatur: sicut videmus sponsum sponsæ coloribus delectari, ipsosque imitari, sic diuinus sponsus sponsæ suæ Ecclesiæ similitudinem imitari voluit. Et quia ad id amor impellebat, ipsius amoris vim considerans, Paulus ad Hebr. 2. dixit: *Debuit per omnia fratribus assimilari.*
Hebr. 2. Olim Sichem princeps Salem filius Regis Emor præ amore Dinæ filiæ Iacob circumcisus est, Genes. 34. sic hodie Christus præ amore Ecclesiæ circumciditur.
Gen. 34. Atqui circumcisio signum erat seruorum in seruitutem redigens: ferro serui signantur.
Gregor. *O mira charitatis dignatio, vt seruū redimeres, filium tradidisti!*
Ad Phil 2. Sic Paulus ad Philip. 2. *Cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens,* &c. Vnde in
Psal. 115. Psal. 115. non tantùm seruum se nominat, sed serui nomine, & similitudine gaudens ter se seruum ingeminat, dicens: *O Domine, quia ego seruus tuus: Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ!*

Sed

Sed adhuc explicatur magis vis huius ineffabilis dilectionis: Quia circumcisio non tantùm veræ carnis, & humanæ naturæ similitudinem asserebat, sed omnem hominem circumcisum originali culpæ obnoxium, & medela circumcisionis indigentem testabatur. Nil verò à filio Dei magis alienum, quam culpa: Sap. 14. *Similiter odio sunt Deo impius, & impietas eius.* Ecce quo peruenit diuini amoris excessus, vt etiam similitudini peccati pro nobis voluerit subijci: perinde ac si sponsus pro sponsa habitum pœnitentiæ (qui vulgò dicitur *Sambenito*) indueret, vt sponsam dilectam ab eiusmodi opprobrio liberaret. Hoc est, quod ad Rom. 8. dixit Apostolus: *Deus mittens filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum, Vt iustificatio legis impleretur in nobis.* Vbi sensus est de peccato, id est, propter assumptam similitudinem peccati damnauit peccatum. Secundus sensus est de peccato, id est, de carne Christi, quæ habuit similitudinem peccati. Tertius sensus est de peccato, id est, de pœnis peccati; quas Christus pro nobis suscepit, damnauit peccatum: id quod iterum 2. ad Corinth. 5. dixit Apostolus: *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, Vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* Summa est exaggeratio, sicut rem candidissimam dicere solemus ipsum candorem: sic maximum peccatorem vocamus ipsum peccatum: *es el mismo peccado:* sic iuxta illud, quod de Christo Domino prædixerat, Esa. cap 53. *Posuit super eum Dominus iniquitates omnium nostrum:* dicit nunc Paul. *pro nobis peccatum fecit.* Sic ergo circumcisus Dominus nos seruos peccati in libertatem filiorum transtulit, & Ecclesiam sponsam suam, quam captiuam & pauperem inuenit, pretiosissimi sanguinis sui Thesauris ditauit, & dotauit. Nunc tenues guttas, quasi arrhas, & pignus offert. Inuenit sponsam multis debitis obnoxiam, ratiocinijs obligatam: nunc sanguine suo chirographum delere incipit, & in cruce illud sese affixurum, & prorsus deleturum pollicetur.

Sap. 14. *Excessus amoris similitudini peccati Christum subiecit.* *Simile.* *Rom. 8.* *2. ad Cor. 5.* *Simile.* *Esa. 53.* *Col. 2.*

Rogabis forsan, quónam morbo laborat infans noster, qui in tam tenera ætate sanguinis minutione indiget? Respondebo vtique, quod amore languet. Inuenit siqui-

siquidem sponsam ægram, & infirmam: quia *à planta pedis vsq; ad verticem capitis non erat in ea sanitas: vulnus, & liuor, & plaga tumens.* Vt igitur languori sponsæ medelam adhibeat, amore languet sponsus, & sanguine minuitur: vt impleatur illud Esa. 53. *Verè languores nostros ipse tulit* Magni, & periculosi morbi signum est, quando ex capite fit sanguinis minutio Et verè sic erat periculosa, & lethalis humani generis ægritudo, quæ sine diuini sanguinis medicamento curari non potuit. Sanguinis ergo Christi effusio ægritudinis nostrę medela est: Et diuini amoris efficacissimum argumentum! Sanguis enim sedes est animæ, Leuit 11. *Anima omnis in sanguine est.* Sanguis vehiculum est animæ, initium vitæ, virtutis naturalis nutritiuus, fons est lactis, & pinguedinis, amicus vitæ. Deinde cor domicilium est sanguinis: Quare sanguis, sicut & cor, symbolum est amoris. Vnde, qui viderunt Christum lachrymantem pro Lazaro, & dixerunt: *Ecce quomodo amabat eum:* si vidissent fundentem sanguinem pro Lazaro, potiori iure dixissent: *Ecce quomodo amabat eum.* Nos igitur, qui per fidem videmus puerum Iesum pro nobis fundere sanguinem, diuinum in nos amorem agnoscamus, veneremur, & amore rependamus. Ecce nobis loquitur per Esa. cap 44. *Memento horum Iacob, & Israel, quoniam seruus meus es tu: Formaui te, seruus meus es tu Israel, non obliuiscaris mei. Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua: Reuertere ad me, quoniam redemi te.* Hunc igitur diuinum liquorem, & pretiosissimum sanguinem in memoria iugiter habeamus: Et cum beatis illis spiritibus laudemus, & canticum nouum canamus, dicentes: *Dignus es Domine Iesu aperire librum, & soluere signacula eius, quoniam redemisti nos in sanguine tuo, & fecisti nos Deo nostro Regnum:* & regnabimus nunc per gratiam, & in patria per gloriam.

Esa. 1. *Esa. 53.* *Leuit. 11.* *Sanguis sedes est anima.* *Ioan. 11.* *Esa. 44.* *Apoc. 5.*



IN

IN CIRCVMCISIONE DOMINI,

CONCIO SEXTA.

De spirituali circumcisione.

THEMA.

Postquam impleti sunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus. Luc. 2.

PAVLVS Apostolus ad Rom. 2. Iudæos irridet, qui de lege Moysi, & carnis circumcisione gloriabantur: a veritate tamen, & Spiritu legis alieni omninò erant. *Si tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo*, &c. Et subdit: *Non enim qui in manifesto Iudæus est, neq; quæ in manifesto in carne est circumcisio: sed qui in abscondito Iudæus est: & circumcisio cordis in Spiritu, non litera: cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Docet ergo Apostolus spiritualem circumcisionem esse laudabilem apud Deum. Hanc nos docuit Magister noster Christus, dum hodie pro nobis circumcidi voluit. Hęc fit per Spiritum sanctum, & ipsius charitatem in cordibus nostris diffusam. Vt illam in nobis operetur, & de ea dignè disseramus, salutetur Virgo Maria: *Aue.* Rom. 2.

Præter plures alias rationes superioribus concionibus explicatas, ob quas Dominus noster Iesus visibiliter in carne circumcidi voluit: inuisibilis, sublimior, & spiritualis circumcisio, quam nos docere voluit, hodierna concione nobis explicanda est: quæ omnibus fidelibus communis esse debet. Per remotionem enim, & abscissionem carnalis pelliculæ significare voluit spoliationem veteris hominis esse necessariam: vt docet Apostolus ad Colos. 2. *Circumcisi estis in Christo circumcisione* Colos. 2.

non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi consepulti es in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei. Exterior enim carnis circumcisio in lege gratiæ non tantùm mortua est, sed & mortifera, sicut Paulus docet ad Gal. 5 *Si circumcidamini, Christus nihil vobis prodest.*

Ad Gal. 5.

Circũcisio, & carnis signatura ad vita perfectionem vocabat.

Exteriori quidem illo, & visibili circumcisionis signo voluit Dominus populum suum ab aliis Nationibus dignosci: Non tantùm lingua, & exteriori vestitu, & ornatu, sed & cibo, victu, moribus, & cultu, & hac præcipuè circumcisionis ceremonia: vt hæc corporis distinctio, & signatura, quasi perpetuus quidam monitor ad interiorem circumcisionem, nobilioris que vitæ differentiam homines semper excitaret: sicut habetur Leuit 20. *Ego Dominus Deus vester, qui separaui vos à cæteris populis, vt essetis mei.* Et Ezech. cap. 34. *Vos autem greges mei, greges pascua mea homines estis.* Et sicut greges signantur, vt ab aliis gregibus dignoscantur, sic voluit Dominus antiquum populum circumcisionis signo dignosci: Nouus verò grex Ecclesiæ Christi potiori signo, nempe charactere baptismi, & Spiritu promissionis sancto signatur, & dignoscitur: atque adeò ad spiritualem circumcisionem, maioremque vitæ perfectionem vocatur. Cum Abrahamo circumcisionem Dominus præcepit, pactum intercessit: Quod ipse Deo cultum exhiberet: Deus autem se illi futurum Deum, id est, prouidentem, & protectorem promisit, dummodo pactum seruaret, debitumque sibi cultum redderet. Ea tamen exteriori circumcisionis ceremonia cordis circumcisionem potissimum intendebat. Diuus Hieronymus tom. 4. libr. de vera circumcisione, docet circumcisionem ea ratione non fuisse præceptam in manifestiori membro, sed in occulto: vt intelligamus interiorem iustificationem, & occultam cordis circumcisionem esse præcipuam, quam à nobis Dominus desiderat. Iuxta illud Matth 7. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.* Delectationum ergo studia relinquenda. Eusebius Emiss. homil. in octa. natiu Domini: *Ideò circumcisus est Christus, vt eius nobis significationem commendaret: Vt sicut occultum illud membrum per carnis circumcisionem pellicula expoliatur,* sic

Leuit 20.

Ezech. 34.

Hieron.

Matth. 7.

Eusob.

sic cor nostrum illicitis desiderijs intus expolietur. Sic Deut. 20 *Circumcidite præputium cordis vestri:* & ca. 30. *Circumcidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum ex toto corde tuo.* Deut. 20. Deut. 30.

Prius quidem oportet cor intus circumcidere iuxta verbum Esa. capite 1. *Auferte malum cogitationum vestrarum:* quia ex interiori cordis circumcisione, sensuũ, & operationum exteriorum circumcisio procedit. Esa. c. 1. Post illam tamen spiritualem, & interiorem cordis circumcisionem, oportet quoque exteriora circumcidere, & sensus omnes tam interiores, quam exteriores ab illicitis continere. Sicut qui arborem syluestrem, & infrugiferam inserere parat, prius luxuriantes, infructuosos, & syluestres ramos abscindit, ac deinde surculum electæ, & frugiferæ arboris inserit: ita quisquis diuini amoris Spiritum cordis arbori cupit inserere, prius inordinatum sui, & seculi amorem circumcidat oportet, peccataque deserat, vt diuini amoris surculus cordi vniatur, germinet, floreat, & fructificet oportet per confessionem oris & cordis contritionem peccata quantumcunque occulta, & pudenda manifestare, & ab illis procul recedere. Simile. Circumcisio namque confessionis nostræ typus fuit, vt docet Lactantius libr. 4. diuinar. instit. cap 17. Lactant. Sicut enim, vt vas plenum immundo liquore aliud pretiosum recipiat, prius euacuari oportet immundo liquore: sic mundari oportet cor vt diuini amoris liquore impleatur. Simile. Eleganter D August. *Exinani quod implendum est. Bono implendus es, effunde malum.* D. August. Si melle te vult implere Deus, & tu aceto plenus es, vbi mel pones? Tullius libr. de quatuor virtutibus: *Si continentiam diligis, circumcide superflua, & in arctum des[illegible]onstringe.* Tullius. Seneca à discipulis petebat: *Fr[illegible] nostra populo conueniat, intus omnia dissimilia sit.* Seneca. Quantò potius nos ad id tenebimur, qui per [illegible]m Christi illustrati sumus, qui inter omnes mundi nationes à Christo Domino fidem, & Sacramenta suscepimus, cœlestique lege, à gentium lege dissimili, nempe Euangelica, discreti sumus? Sicut nos admonet Paulus ad Ephes. 4. *Vt iam non ambuletis, sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui tenebris obscuratum habentes intellectum; alienati à vita Dei.* Ephes. 4.

Z 2 Vos

Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis. Deponite vos secundum pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris. Renouamini autem Spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est, in iustitia, & sanctitate veritatis. Idem quoque repetit Apostolus 1 ad Thessal.4. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, &c. non in passione desiderij, sicut & gentes, quæ ignorant Deum.*

1. ad Thess 4.

Circũcisio spiritualis omnia superflua cordis, & corporis resecat.

Hæc spiritualis circumcisio vana, omnia, & superflua cordis, & corporis resecat. Quare oportet primò ab intellectu omnem errorem circa fidem, omnemq; superstitionem circumcidere, vanam curiositatem, & inutiles quæstiones deuitare. Secundo loco oportet volũtatem a terrenis affectibus, & cupiditatibus auocare, omnem fastum, cordis tumorem, & iactantiam per humilitatem procul fugare. Hanc nos docuit Magister humilitatis Christus, tum verbo, cùm Matth. cap. 11. dixit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde:* tum maximè raro, & adorando humilitatis exemplo: Dum pro nobis legi circumcisionis author ipse legis subiacere voluit: & dum circumcisus est, quasi peccato obnoxius peccati medelam suscepit: & (vt Bernardus ait) *nullum vestigium vulneris habens, vulneris alligaturam non refugit.* Et quanquam tota vita Saluatoris nostri Christi absolutissimum fuit humilitatis exemplum: cæterum in hoc circumcisionis mysterio omnem mensuram humilitatis excessit. Nam quanquam natus ex humili matre, pannis inuolutus, & in præsepio reclinatus, magnum præbuit humilitatis exemplum: verùm ab Angelis tunc est prædicatus, & à Pastoribus, & Magis adoratus. In cruce factus Patri obediens, & cum iniquis deputatus, summoperè humiliatus est. Cæterùm Sol obscuratus, cœlum tenebris obductum, terra tremens, Petræ scissæ, velum templi discissum, latro de patibulo clamans, alij percutientes pectora sua, & Centurio filium Dei conficens illum exaltant, dum Innocentiam ipsius, atque diuinitatem confitentur. Cùm ad baptismum Ioannis inter peccatores accessit, maximè quidem humiliatus est, dum se

Matth. 11.

Bernard.

Circũcisionis mysteriũ omnem mensuram humilitatis excedit.

gessit

gessit quasi peccator, infirmus, & baptismo pœnitentiæ quasi medicamento indigens, cùm esset vetus medicus, & totius salutis author. Tunc tamen secundùm humilitatem ipsius manifestata est gloria eius: Nam cœli aperti sunt super eum, quasi ad tantum spectaculum tota cœlestis curia certatim conflueret: vox Patris humilem filium glorificauit: Ac tandem Spiritus sanctus in specie columbæ super ipsum manens innocentiam, & diuinitatem Christi testatus est. Circumcisio verò nullo miraculo, nec exteriori signo illustrata est: quinimò videmus Dei filium quasi peccatorem, & peccati medela indigentem circumcidi, qui peccatorum omnium vnicum erat antidotum. Hoc est summum humilitatis exemplum: vt iniquitates omnium nostrum super se ferens voluerit pro nobis peccatum fieri, vt ex Paul. 2 ad Corinth capite 5 iam supra explicuimus. Puero nostro Iesu sic humiliato aptè conueniunt verba, quæ in illius persona Dauid prædixit: Psalm. 68. *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia* Quasi dicat, profundum humilitatis attigi: siquidem culpæ similitudinem, & pœnam sustineo, cum in me non sit substantia culpæ. Id quod serpens ille æneus à Moyse in deserto exaltatus, Numero 21. apertè figurauit: qui venenosus apparebat, virus tamen non habebat. Aries est, quem vidit Abraham inter veptes hærentem cornibus, Genes. cap. 22. velut rosa inter spinas culparum: hærebat quidem vtroque cornu, id est, virtute diuina, & humana: sed nullo modo pungebatur. Ardebat rubus, sed non comburebatur. Ecce nouissimus Adam sub tunica pelli cea, & Iacob pelle protectus, vt benedictionem Patris nobis obtineat. Hoc est supremum humilitatis exemplum.

2. Cor. 5. *Psal. 68.* *Num. 21.* *Genes. 22.* *Exod. 3.*

Humilitas Christi gladius est, quo circumciditur cor, & omnes animi affectus, sensusque tam interiores, quam exteriores circumciduntur. Spiritualis namque circumcisio cupiditatum omnium, & voluptatum carnalium abscissionem continet: oculorum, aurium, linguæ, manuum, & omnium membrorum continentiam, & honestatem complectitur: gustum à ciborum superfluitate, & delicijs temperat. Hanc spiritualem

Humilitas gladius est, quo fit spiritualis circumcisio.

circumcisionem sępissimè à nobis exigit Dominus, tam
Hier. 4. in veteri, quam in nouo Testamento. Hierem. capite 4.
Circumcidimini Domino, & auferte praputia cordis vestri.
Hier. 6. Et cap. 6. *Cui loquar? Et quem contestabor? Ecce incircumcisa aures eorum, & audire non possunt.* Et Paulus ad Co-
Ad Colos. 3. los. 3. *Deponite vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro: Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, eum, qui renouatur in agnitionem Dei.*
Simile. Si videres hominem, qui nunquam capillos, nec barbam tonderet, neq; vngues scinderet, brutum animal meritò iudicares: sic oportet vngues rapacitatis, & auaritiæ, capillos vanita-
2. Reg. 14. tis, dentesque detractionis circumcidere. Absalon, qui comam nutriebat, neque capillos scindebat, ex illis pe-
Deut. 21. pendit. Deute. 21. præceptum habetur de muliere captiua, vt si in vxorem ducēda sit, prius circumcidat vngues, & radat cæsariem, & deponat vestem, in qua capta est. Id quod typus est animæ, quæ vt in matrimonium Christi copuletur, spiritualiter circumcidi omninò debet.
Ezech. 16. Ezech. 16. *Maledictum semen Chanaan, &c. In die ortus tui non est præcisus vmbilicus tuus.* Oportet omnes prauos affectus, qui ex infectione culpæ procedunt resecare. Vt enim infans, quamdiu intra matris vterum continetur, per vmbilicum sugit alimentum, sic vtique peccator per affectum sugit alimentum mundi, & carnis. Et quanquam per baptismum ex vtero culpæ egressus per sacrum Ecclesiæ vterum, id est, baptismum regeneratus est, sed adhuc mundi, & carnis mores retinet, dum priores affectus repetit, ex antiquo vtero alimentum sugit: nondum præcisus est vmbilicus illius. Quare idem
Ezech. 28. Propheta cap. 28. subdit: *Morte incircumcisorum morie-*
Act. 7. *tur.* Similiter Stephanus Actor. 7. Iudæos increpans ait:
Simile. *Dura ceruice, & incircumcisi corde.* Vitis, & arbores, nisi amputentur, & circumcidantur rami, non facient fructum, quinimò citò arescent. Aquila, si rostrum aduncum ad petram allidat, & circumcidat, renouatur, & reiuuenescit: sic fidelis anima ad Christum veram petram allisa circumcidi debet, vt renouetur *vt aquila iuuentus*
Ad Tit. 2. ipsius. Hoc est quod Paulus docet ad Tit. 2. *apparuit gratia Saluatoris nostri Dei omnibus hominibus, erudiens nos,*

nos, vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, & iustè, vt piè viuamus in hoc seculo. Et ad Philipp. 3. *Nos sumus circumcisio, qui Spiritu seruimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu, & non in carne fiduciam habentes.* Philip. 3.
Hoc significatum est in cultris lapideis, quibus Iosue ca. 5. circumcidit populum: qui typi erant Christi, (vt Paul. 1. ad Corinth. 10. ait) *Petra autem erat Christus.* Eandem circumcisionem nos docuit Christus, Matth. 18. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projce abs te.* Etsi oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te. Quibus verbis quid aliud nos edocet Saluator, nisi vt pretiosissima quæque resecemus, si obseruantiam diuinæ legis impediant? Eandem circumcisionem nos docuere Apostoli, dum relictis retibus, & omnibus Christum Dominum expediti secuti sunt. Hoc est signaculum veræ circumcisionis, quod sponsus Cant. 8. ab anima petit, dicens: *Pone me vt signaculum super cor tuum.* Super cor sic verè, & perfectè circumcisum dignè ponitur signaculum nominis Iesu. Hoc signo bonus ille, & supremus pastor oues suas signat, atq; dignoscit: de quo Apostolus ad Ephes. 1. *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto.* Terram promissionis nullus incircumcisus ingressus est. Vt igitur æternæ beatitudinis ingressus nobis pateat, oportet, vt ex circumcisione pueri nostri Iesu spiritualem circumcisionem cordis, & corporis addiscamus; vt circũcisi Domino terrenos omnes affectus præscindamus: & noua germina virtutum producamus: Fructus (inquam) humilitatis, charitatis, & gratiæ, qui sunt semen gloriæ, ad quam nos perducat ipse Iesus Christus pro nobis circumcisus. Amen.

Iosue 5.
Matth. 18.
Cant. 8.
Ephes. 1.



IN EADEM SOLENNITATE CIRCVMCISIONIS DOMINI FRAGMENTA, siue meditationes in verba Euangelij.

1. POSTQVAM impleti sunt dies octo. Ecce filius Dei Patri consubstantialis, & coæternus, qui nullis temporis mensuris subiacet, imò est supra omne tempus, & cœlorum motus: numerũ dierum secundum humanam naturam experiri incipit. Hæc est illa fœlix temporis plenitudo, de qua Paulus ad Gal 4.
Gal. 4. *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum.* Hæc est, quæ impleuit *menses illos vacuos, & noctes laboriosas*, quas Iob c. 7 habuit, & enumerauit. Hæc plenitudo impleuit oleo vasa vacua viduæ Ecclesiæ: legis siquidem antiquæ, & synagogæ infirma, egena, & vacua elementa puer noster Iesus sanguinis sui pretio, & sacrati nominis Iesu oleo repleuit. Illius pretio debitá nostra persoluta sunt, & de reliquo viuimus.
Iob 7.
4. Reg. 4.
Gal. 4.

2. *Dies octo:* impletur illud Exod 22 & Leuit. 22. *Bos, ouis, & capra, cùm genitæ fuerint, septem diebus erunt sub vbere matris, die autem octauo, & deinceps, offerri poterunt.* Hic est dies octauus celeberrimus Domino, quo Numer. 29. præceptum est offerri holocaustum *in odorem suauissimum Domino:* & in Kalend. mensium, Numer. 28.
Exod. 22.
Leuit. 22.
Num. 29.
Num. 28.

3. *Postquam impleti sunt dies octo.* Ad tam citam sanguinis pueri Iesu effusionem non solùm amor impellit: sed ipse properat, vt doceat nos Magister noster infans in sanctarum legum obseruantia, & in virtutum operibus non protrahendas moras: sed diligentia, & celeritate opus esse: Vt enim ait Ambrosius: *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Hierem. cap. 48. *Maledictus qui facit opus suum negligenter.* Quare Eccl 9 dicitur: *Quodcunq; potest manus tua instàter operare:* manꝰ (inquã) tua, quasi

In operibus virtutũ, & maximè pœnitentia nõ protrahẽda mora.

quasi dicat: noli per manus hæredis satisfacere, sed propria manu debita exolue, eleemosynas largire, & pietatis opera exerce. Sic Abraham Genes. 18. cùm Angelos in ipso feruore diei in tabernaculum suum suscepit: notanter dixit scriptura: *Cucurrit in occursum eorum: Festinauit in tabernaculum ad Saram: dixitq́ ei, accelera, &c. Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum: deditq́ puero, qui festinauit, & coxit illum.* Quare meritò laudatur à Paulo Abrahami pietas: per quam dicit placuisse Domino *Angelis hospitio susceptis.* Sanctissima quoque virgo Maria statim, vt ex Archangeli Gabrielis nuncio cognouit Elisabeth cognatam suam concepisse filium, *exurgens abiit in montana cum festinatione*, Luc. 1. Puer quoque noster Iesus vix natus tenue illud lac, quod ex Virginis vberibus suxit, in sanguinem diuinum conuersum grato animo festinanter exoluit. Gen. 18. Heb. 13.

Campus hic aperiebatur dicendi de gratitudine contra ingratos: & de solicitudine in virtutum operibus præstanda: & maximè in pœnitentia peccatorum agenda: iuxta illud Ecclesiast. 5. *ne tardes conuerti ad Dominum*: & Ecclesiast. 9. *nescit homo finem suum: sed sicut aues capiuntur laqueo, & pisces hamo, sic capiuntur homines in tempore malo.* Matth. 24. *Veniet Dominus serui illius in die, qua nescit.* Luc. 12. *Stultè hac nocte repetent animam tuam.* In morbis acutis, & periculosis citò medici vocantur: *nam serò medicina paratur, cùm mala per longas conualuere moras.* Vnde Apostolus ad Hebr. 13. ex Psal. 94. ait: *hodie si vocem eius audieritis, &c.* Cras, vox est corui. Sophoni 2. *Vox cantatu in fenestra, coruus in superliminari.* Coruus peccator est carnis desiderijs affectus. Qui per negligentiam, & dilationem pœnitentiæ semper dicit cras, cras. Et sicut coruus egressus ab arca Noe non est reuersus: sic peccator à gratia Dei egressus nescit reuerti. Eccl. 9. Luc. 12. Hebr. 13. Sopho. 2.

Vt circumcideretur puer: *Rex gloriæ, qui numerat multitudinem stellarum*; qui solem iussit stare, & iterum retrocedere, non dedignatur puer appellari. Neque mirum: siquidem homo pro nobis, & quasi vnus ex nobis factus est: *Imò cum in forma Dei esset, non rapinam arbi-* 4. Phil. 2.

tratus esse se æqualem Deo, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens Valeat superba hominum iactantia, fastus, & titulorum arrogantia, qui (vt Dauid dixit Ps. 48) *vocauerunt nomina sua in terris suis.*

5\. *Vt circumcideretur puer.* Pueri ab ipso lacte in legum
Eccl. 7. obseruantia, & rectis moribus instituendi sunt. Eccl 7. *filij tibi sunt, erudi illos: & curua illos à pueritia illorum.*
Thren. 6. Thren. 6. *bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua.* Antequam induretur planta, dirigenda est. Et (vt est in prouerbio) *à teneris assuescere magnum est.* Equus ab hinnulo domandus est, & docendus, & fræno
Leuit. 26. corrigendus. Leuit. 26. leuitæ à pueritia diuino cultui consecrabantur.

6\. *Vt circumcideretur.* Locus disserendi de legum obseruantia, quam puer Iesus exemplo commendauit Lacedæmones legum Licurgi fuere obseruantissimi. Leges mundi, honoris, carnis, & sanguinis, hodie præualent: Et tamen diuinæ leges contemnuntur. Audiamus Da-
Psal. 118. uid dicentem Psal. 118. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis:* id est, magno zelo, rigore, atque obseruantia: quoniam magnum Dei beneficium fuit voluntatem suam per legem hominibus manifestare: Id quod agno-
Psal 129. scens Rex ipse iterum ait: *Propter legem tuam sustinui te Domine.* Contemptores verò legum adeò diuinis ocu-
Psal. 88. lis displicent, vt acriter comminetur Psal. 88. *si autem dereliquerint filij eius legem meam, visitabo in virga iniquitates eorum: Et in verberibus peccata eorum.* Locus quoque se se offert ad dicendum de iustitia in condendis legibus seruanda: Et contra iniquos legum conditores, *qui alligant onera grauia, & imponunt humeros hominum*: vt Dominus dixit Matth. 23. Christus
Matth. 23. verò legem suam meritò vocat *iugum suaue* Matth. 11.
Matth. 11. iugum quidem, quia ipse à puero nobiscum portat: suaue verò, tum ex suauitate legis gratiæ, tũ ex suaui ipsius consortio: tum verò ex suauitate olei nominis Sancti sui, quo iugum vngit.

7\. *Vocatum est nomen eius Iesus.* Suauitas diuinæ prouidentiæ ita disposuit, vt dolorem circumcisionis dulce-
Psal 93. do nominis Iesu excipiat: iuxta illud Ps. *secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ latifi-*

lætificauerunt animam meam: Et Prouer 15. gloriam pręcedit humilitas. Ioseph ex vinculis eductus in sceptrum regni exaltatus est, Mardochęus ab Aman despectus per Assuerum Regem honorificatus est Esther. 6 Iustorum afflictionibus tanta succedet gloria, quòd videntes impij dicent (vt habetur Sapient. 5) *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.* Qui pro Christo nunc circumcidit honores, diuitias, & delicias, & temporalia omnia: tunc apparebit in gloria adoptionis filiorum Dei. Cùm filijs Israel Ægypti alimenta defecerunt; tunc misit illis Dominus manna de cœlo.

Prou. 15. *Gen. 41.* *Sap. 5.* *Exod. 16.*

8. *Vocatum est nomen eius Iesus*, id est, Saluator. In omni lege tam naturali, quàm scripta semper manifestauit Dominus hominibus nomen, quo inuocaretur. In lege naturæ Sadā, vel Sadai, quod interpretatur, qui sufficit: vel omnipotens, qui omnia potest. Et sub hoc nomine benedixit Abraham, Isaac, & Iacob. In lege verò scripta indicauit Moysi nomen illud ineffabile Tetragrāmaton, Iehoua: quod sacerdos gerebat insculptum in lamina aurea, Exod. c. 28. Et solis sacerdotibus licebat illud proferre. In lege verò gratię manifestauit nobis sacrum nomen Iesu, quod virtutem omnium nominum continet. Hoc enim nomen ostendit ipsum esse Sadai, omnipotentem, siquidem saluare potest: sufficientem, & diuitem *in omnes, qui inuocant illum*: vt Paul. ad Roman. 10. Continet quoq; nomen ineffabile, Iehoua, addita litera, Sin, propter humanitatem assumptam. Hoc nomen adorant Angeli, tremunt Dæmones, veneratur Ecclesia. Et illi omne genu flectitur: vt dixit Apostolus ad Phillip 2. Hoc nomen adorauit Iacob, *cum adorauit fastigiū virgæ Ioseph*, siue sceptri illius: sicut legit Paul. ad Hebr. 11. secutus translationem Septuaginta: In fastigio enim, & culmine virgę crucis Christi scripsit Pilatus hoc nomen Iesus: atq; illud in figura adorauit Iacob in fastigio virgæ Ioseph. In hoc nomine vincuntur dæmones, serpētes tolluntur, & morbi curantur. In hoc tandē nomine in quacunq; necessitate exaudimur à patre. Locus se se offert ad dicendum de maxima reuerentia diuino nomini exhibenda; & contra iuramentorum abusum.

In omni lege manifestauit Dominus hominibus nomē quo inuocaretur. *Exod. 28.* *Rom. 10.* *Heb. 11.*

Quod

9 *Quod vocatum est ab Angelo.* Solent pharmacopolæ varijs titulis, & nominibus vasa medicamentorum inscribere, vt medicamenta dignoscantur. Puer noster

Ecclef 43. Iesus *vas est admirabile, opus excelsi.* Ecclesiast. 43. vas (inquam) plenum odore omnium cœlestium medicamentorum, quæ nec calamo, neque lingua explicare,

Nomen Iesu titulus est de cœlo allatus, quo Christus tanquam vas pretiosum insignitur. imo nec cogitatione assequi valeamus. Meritò igitur titulus tam sacri vasis per Angelum delatus est: Cùm dixit ad Ioseph. *Vocabis nomen eius, Iesum.* Ipse quoque Dominus per Dauid Psalm. 30 vocat se vas dicens: *Factus sum tanquam vas perditum*: quia fracto vase in cruce liquorem gratiæ effudit in nos abundè. Et odore gloriæ repleta est Ecclesia. Ipsa enim vidua est, cuius *vir non est* visibiliter *in domo sua*, quia in die ascensionis *abiit viam longinquam*: in *die tamen plena luna* reuersurus est

Psal. 30. *in domum suam* Vasa tamen omnia illius vacua. id est,

Prou 7 pauperes spiritu, & veri humiles replentur diuino spi-

4. Reg 4. ritu, qui liquor est cœlestis ex Christo, tanquam sacro vase se se diffundens. Ex hoc vase repletus est cœlesti balsamo vas electionis Paulus: vt portaret dul-

Act. 7. cedinem nominis Iesu *coram gentibus, & Regibus, & filiis Israel.*



IN

IN VIGILIA EPIPHANIÆ,

CONCIO,

De fuga pueri Iesu in Ægyptum: & reditu in terram Israel.

THEMA.

Defuncto Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto dicens, surge, & accipe puerum, & matrem eius: & vade in terram Israel. Matth. 2.



HODIERNVM Euangelium, puerum Iesum vix natum, patria exulem, iram Herodis in Ægyptum fugientem, & ad terram Israel redeuntem, nobis proponit. Vt nos *exules filij tua* in patris nostri cœlestis gratiam reconciliati ad terram Israel, cœlestem (inquam) patriam redeamus: Pueri Iesu, & spiritus illius boni ductu indigemus, qui deducat nos in terram rectam. Itineris verò, atque exilij sui comitem indiuiduam habuit Christus indulgentissimam matrem Mariam. Per ipsam ergo ductum Domini Iesu, & spiritus ipsius confidenter petamus dicentes: *Aue Maria.*

Tua pater prouidentia ab initio cuncta gubernat. Sapient 14. Magna vtique Dei optimi in rebus omnibus splendet prouidentia: Multò tamen maior erga hominem, quem ad imaginem, & similitudinem suam effinxit: Et *Quamquã diuina prouidentia omnia*

suauiter gubernat, maximè verò iustos, & amicos. xit: Et adhuc maior ostenditur prouidentia erga amicos, & filios, quos tenere diligit. Semper enim illos Angelus Domini comitatur, & protegit iuxta illud Psalm: *immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum: Et eripiet eos*: & subditur, *custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur.* Et Christus Dominus

Psal 53.

Matth. 10. Matth. capite 10. *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Huius rei exemplis plena est scriptura sacra: In qua celebratur prouidentia circa Abraham exulem, Isaac iam iam à patre immolandum, circa Iacob fratris Esau iram fugientem, Ioseph à fratribus venditum, & in carcerem missum, Moysen in flumen proiectum, Dauid à furore Saulis sæpius ereptum, Eliam per coruum, & Angelum pastum, Danielem de lacu leonum, & tres pueros de camino ignis Babylonici liberatos. Vnde Dauid hanc summi Dei erga iustos prouidentiam sæpius exaltat: vt Psalm. 90. promittit Domini protectionem dicens: *qui habitat in adiutorio altissimi, in prote-*

Psal. 129. *ctione Dei cæli commorabitur*: & Psalm. 129. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* Elisæus

4. Reg. 6. quoque ab Assyriis circumdatus nil extimescens dixit puero: *noli timere, plures enim sunt nobiscum, quàm cum illis.* Et facta ad Deum oratione, vt aperiret oculos pueri, *vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi.* Longum esset omnia exempla scripturæ sacræ nunc recensere. Quantò igitur maiorem prouidentiam haberet æternus pater super filium suum vnigenitum Iesum, humanique generis vniuersalem Redemptorem?

Meritò igitur miramur, dum videmus Dominum Iesum in tam tenera ętate tam cito à patre in exilium mitti, tamq; arduum, & difficile iter in Ægyptum capessere, vt Herodis furorem fugiat, quem potuisset fulmine de cœlo vibrato in Tartara mittere. Nonne tu es (ô bone Iesu) tám anxiè ab hominibus desideratus, atq; postulatus? Sic nimirum vocabatur à Prophetis *desiderium collium æternorum*: Gen. 49. & Aggæi. 2. *veniet desideratus cunctis gentibus.* Pater quoq; æternus ex intima humani generis dilectione dedit nobis filium suum, vt Ioan. 3. dixit Christus: *sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnige-*

Vnigenitum daret. Neq; minori dilectione, & affectu venit filius Dei in mundum: siquidem Prou. 8 ait: *delicia mea esse cum filiis hominum.* Meritò Hierem c.14. inquirit: *Quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus, & fortis, qui non potest saluare?* Esaias quoq; consilium Domini admiratur c. 40. dicens: *quis adiuuit spiritum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Et c. 45. diuinum hoc consilium admirans ait: *verè tu es Deus absconditus.* Dilecta sponsa meritò Cant. 2. sponsi opera semper recogitans ait: *fasciculus myrrha dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur* Deum absconditum oportet semper inter vbera, & cordis cogitationem absc condere. Siquidem ipse ab vberibus matris Doctor noster, & præceptor à Deo Patre constitutus in hac fuga in Ægyptum, & reditu in terram Israel multa nos edocet. *Omnis enim ipsius actio nostra est instructio.*

Cant. 2. *Deus absconditus intra cor abscondendus.*

Quamquam enim paruulus adhuc, & tenellus in sacræ Virginis vlnis, vir erat perfectus à primo instanti conceptionis suæ sicut Hieremias prædixit c. 31. *Nouum creauit Dominus super terram: fœmina circumdabit virũ.* Sic explicat Basil. illud Matth. 1. *quod in ea natum est:* quia & si in vtero erat, perfectus homo erat. Concinit locus Paul. ad Hebr. 10 *ingrediens mundum dicit, &c.* Primò igitur infans noster Christus nos edocet: Iustis non defuturas persecutiones: vt ipse dixit Ioan. 15 *si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Et Paul ad Rom. 8. *quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* Id quod Exod. 25. figuratum est in calamis ex candelabro procedentibus: qui ex auro ductili sicut & ipsum candelabrum præcepto Domini fabricati sunt.

Christus à primo instanti conceptionis suæ vir perfectus fuit. *Hiere. 31.* *Basil.* *Heb. 10.* *Exod 25.*

Secundò docet patientiam, & mansuetudinem in tribulationibus seruandam. *Patientia siquidem opus perfectum habet*; vt Iacobus ait: sicut & de Christi patientia Euangelicus Propheta cap. 42. prædixit: *Ecce seruus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Non clamabit, neque audietur vox eius foris. Calamum quassatum non conteret: Et linum, siue, lignum fumigans non extinguet.* Id est adeò patiens erit, *que suffrira al humo a las narizes.* Docet quoque licere iustis perse-

Iacob. 1. *Esai. 42.*

persecutiones fugere: sicut fugit Athanasius, & alij san-
Matth. 10. cti. Imò ipse Dominus id licere docuit Matth. 10. *cum persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.*

Altiùs tamen citam hanc, & præcocem Domini fugam in Ægyptum tertio loco ego considero. Cùm enim vniuersalis Redemptor esset Christus, voluit non tantùm Iudæos, sed & Ægyptios, & gentilismum visitare, & inter illos conuersare. Impleturque vaticinium Esaiæ
Esa. 19. cap. 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulachra Ægypti à facie eius* Virgo sanctissima nubes fuit cœlesti rore, & pluuia plena, super quam descendit Spiritus sanctus: & quamquam plena verbo Dei incarnato, & spiritu ipsius non grauis nubes, sed leuis: sicut & Diuinus spiritus, qui ipsam repleuit: super vlnas huius sacræ nubis ingressus est Dominus Ægyptum: & per ipsius ingressum expulso Dæmone commotis simulacris sanctificata est Ægyptus, facta seminarium religionis, schola sanctitatis, & pœnitentiæ. Ibi floruere primi illi Eremitæ Paulus, Antonius, Hilarion, & reliqui Sancti Patres, qui, *vt greges caprarum*, desertum incolebant. De quibus Apostolus ad Hebr. cap. 11. ait: *circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & cauernis terræ.*

Christus fuga in Ægyptum sanctificauit, & religionis seminarium effecit.

Cant. 4.
Heb. 11.

Quarto loco nos edocet Christus, quòd cùm omne bonum nostrum in Domini præsentia, & ipsius aspectu situm sit: Atque illius *deliciæ sint esse cum filiis hominum:* peccatores tamen, qui per peccata vertunt ad Dominum terga, & non faciem, fugant Deum à se, & exulem faciunt. Angustum enim est cordis habitaculum vt
Esa. 28. Deum, & peccatum capere possit. Esai cap. 28. *coangustatum est pallium, vtrumque operire non potest. Dios, y peccado no caben en vn saco:* Ecclesiastici cap. 23. *omnis homo, qui transgreditur, expellit timorem Domini à se.* Vbi est Herodes, fugit Christus. Nullum damnum maius euenire
Ose. 9. potest animæ quam fuga Dei. Ose. cap. 9. *Væ eis, cùm recessero ab eis.* Vbi vox, væ, intimum dolorem cordis ex cõsideratione summę infœlicitatis explicat. Qua-
Hier. 6. re Hier. 6. ait Dominus: *& nunc erudire Hierusalem, ne fortè*

Peccata Deum fugant ab anima.

fortè recedat anima mea à te. Væ obstinatis in peccatis, qui verterunt terga Domino: væ impijs, qui fugiunt a Deo nemine persequente Prouerb 28. *Quia nemo potest corrigere, quem ille despexerit* Ecclesiastici 7. Quare qui in tam graui miseria se constitutum viderit, ad summum pastorem per spem, & pœnitentiam eleuatis oculis dicat cum Dauid: *erraui sicut ouis, quæ perijt, require seruum tuum Domine.*

Quinto tandem nos edocet Christus, quod omnes sumus peregrini, & hospites super terram: sicut Paul ad Hebr. 11. de antiquis illis, & sanctis Patriarchis dixit: *iuxta fidem defuncti sunt non acceptis repromissionibus: sed a longe eas aspicientes, & salutantes*: quasi nautæ a longe videntes portum, & præ gaudio salutantes: sic illi partes Christum fidei, & spei suæ, & nostræ tutissimum portum per fidem viderunt à longè salutantes: *& confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram* Sicut iterum 2. ad Cor 5 docet Apostolus: *quamdiu viuimus, peregrinamur à Domino* Cęterùm post exilium Ægypti cœlesti nuncio per Angelum delato, *rediit in terram* Israel, id est, visionis: *& secessit in partes Galilææ*, id est, transmigrationis, siue transmutationis: *& habitauit in Nazareth*: vt portum illum fœlicissimum beatitudinis post huius peregrinationis, & exilij cursum nobis præstitutum ostendat, & vltimum illum finem, vbi vera est requies, & pulchritudo pacis, quæ in visione Dei sita est. Tunc erit vera transmigratio, & transmutatiò, cùm dicent beati: *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati* Tunc erit perpetua habitatio in Nazareth. per visionem Saluatoris Iesu, qui Nazaræus vocatus est: & iuxta nomen totus est floridus, *totus desiderabilis Flos est campi, & lilium conuallium* Cant. 2. Flos est de virga, *& de radice Iesse* egressus Esa. 11. Totus odoriferus, qui Ecclesiam Diuino replet odore, & cœlesti patria exules nunc reficit per odorem gratiæ, & ibi satiabit fructu Gloriæ.

Peregrini sumus omnes viatores.

Ad Heb. 11.

Psal. 125.

Cant. 2.

Esa. 11.

IN SOLENNITATE EPIPHANIÆ DE MAGO-rum vocatione, & aduentu ad Christum,

CONCIO PRIMA.

THEMA.

Cùm natus esset Iesus in Bethlehem Iudæ, ecce Magi ab Oriente venerunt. Matth. 2.



RIENTALIVM Regum iter, amplissimam regalemque processionem, miraculosumque aduentum ad Christi Regis Regum, & Principis gloriæ cunabula hodierno die celebrat Ecclesia: Cùm præcedente stella veluti crucifera, & sacræ processionis duce ab oriente vsq; Bethlehem per mediam Hierosolymam venerunt, & ex thesauris munera offerentes Christum, vt verum Dominum Dominantium adorauerunt Dies est totus Maiestate, & magnificentia plenus, in quo solent Reges terræ, magnates, & nobiles munera liberali manu largiri: & (vt vulgo dicitur) *es dia de aguinaldo.* Pater æternus hodie liberalitatem suam in humanum genus satis ostendit: *sic* Ioan. 3. *enim dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Filius, vt Princeps gloriæ paternæque liberalitatis, & amoris vnicus hæres, *nascens se nobis dedit socium:* & Reges ab Oriente vocat, vt ab illis terrena munera suscipiens donis cœlestibus repleat. Virgo sanctissima Regina cœlorum est, gratiæque mater, quæ pia intercessione sua gratiam nobis de cœlo semper impartitur. Hodie verò copiosius munus expectare possumus: dum enim frumentum est in area, nec dum in horreum reconditum, liberalius distribuitur. Nunc virgo Sanctissima Christum verum frumentum habet in area Bethlehem:

lehem: ad ipsam igitur supplices accedamus petentes, vt ipsius gratiam nobis de cœlo mittat Angelicum offerentes: *Aue.*

Ecce Magi dictio: *Ecce:* Emphasin habet in scriptura sacra. Ea siquidem præcipua mysteria designantur. Atque adeò pro rei dignitate ea dictione attentio captatur, vt mysterium, quod quasi digito monstratur, meditemur, & ipsius maiestatem veneremur. Sicut & Hispanis syllaba, ce, leniter prolata in more est, tam ministros aduertere, quam lepores, ferasque excitare, atque sistere, vt, dum attendunt, sagitta vel igneo globo transfigant. Sic dictio, *Ecce,* in scriptura sacra veluti sibilus est Spiritus sancti, quo nos ad intelligentiam alicuius mysterij excitat. Cyril de vocatione gentium ad fidem sine strepitu, interpretatur illud Zacha. 10 *sibilabo eis, & congregabo illos, quia redemi eos.* Sic videmus magnitudinem mysterij incarnationis ea dictione, *ecce,* explicari multis scripturæ locis: Esa cap. 7. *Ecce Virgo concipiet:* Et c. 12. *Ecce Deus Saluator meus* Zach 9. *Ecce Rex tuus venit tibi.* Malach 3. *Ecce ego mittam Angelum meum qui præparabit viam, &c.*

Per dictionem, ecce, præcipua mysteria designantur.

Cyril.

Zach. 10.

Sub hac igitur dictione, *ecce,* multa nobis, attentius expendenda docet Spiritus sanctus. Primum quidem Iudæorum somnum, obliuionem, & obstinationem: qui Saluatorem mundi Christum adeò desideratum cũctis gentibus, tam anxijs precibus à patribus, & prophetis efflagitatum, inter ipsos natum, & in propria veniẽtẽ neq; cognouerunt, neq; receperunt Et, *ecce,* Gentiles Idolatræ ab Oriente veniunt Hierosolymam illum quærentes, vt incredulos à somno excitent, & fide sua illorũ infidelitatem, & somnolentiam confundant: vt verè illis conueniat verbum Hieremiæ 6 *& nunc erudire Hierusalem* Et illud Esa. 23 *Erubesce Sidon, ait mare.* Specialiter tamen illos admonet idem euangelicus Propheta plusquam linceis oculis procul intuens hodiernum mysterium, c. 60. *Surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuũ, & gloria Domini super te orta est: & ambulabũt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.* In te siquidẽ ortᵒ est *sol iustitiæ* Christus, cuius splẽdor oriẽtẽ illustrãs, stellã noua luce replens, Magorũ ducem esse

Magorum diligentia & fides Iudæorum somnum, & incredulitatem confundit.

Esa. 23.

Esa. 60.

voluit *Ecce* Magi tanquam testes præordinati à Deo Christum tibi prædicant, vt à somno infidelitatis surgas. D. Chrysost Homil. 15 in cap. 11. Ioan. & Homil. 16. ex varijs in Matthæ. *ipse aduentu tuo Magos ab Oriente vocasti, & Euangelistas eos ad sua remisisti.* Ecce ergo Magi dantur tibi in magistros, & euangelistas. Attende ergo, & caue, quod Iunior filius tibi surripit benedictionem: vt Hiero adnotat super Esa. ca. 1 Ecce Iacob commutat manus, & dexteram extendit super Ephrain minorem. Christus Angelus est ille fortis Apoc. 10. *qui pedem dextrum posuit super mare*, id est, Gentilismum: vt interpretatur Aug. illud Psal. 76. *in mari via tua.* Ecce filius prodigus ad patrem rediens excipitur, & stola prima induitur Luc 15.

Chrysost. *Hieron.* *Gen. 48.* *Apoc. 10.* *August.*

Ecce attendite figurarum, & vaticiniorum multitudinem impleri. Nam quid aliud coniugium Iacob cum Lia, quæ lippis erat oculis, & cum Rachel pulchra significauit? Vt explicat August serm 80 de tempore. Quid coniugium Moysi cum Æthiopissa? Sampsonis cum alienigena, vt docet Ambros lib. 2 de Spiritu sancto: Et iterum cum meretrice apud Gazam, quid nisi matrimoniũ Christi cum Ecclesia gentium ; quæ priùs cum Idolis fornicata fuerat, designauit? Vt docet August ser. 107. de tempore. Quid vxor fornicaria, quam Oseas ducere præcipitur? Ose. 1. Quid coniugium Assueri cum Regina Esther, repudiata Vasthi? Esth. 4.

In aduentu Magorum multa figuræ, & Prophetarum oracula impleta sunt. *Gen. 19.* *August.* *Exod 4.* *Iudic 14.* *Ambr.* *August.*

Ecce Moyses in aquas proiectus, in filium filiæ Pharaonis adoptatur. Exod. 4. *Ecce* Elias viduam Sidoniam, & Gentilem eligit 3. Reg. 17 *Ecce* Ioseph à fratribus repulsus in sceptrum Regni exaltatur. *Ecce*, ros sparsus in vellere Iudaico aream Gentilismi perfundit Iudic. 6 *Ecce* templum Salomonis ex lapidibus Iudaicis constructũ à Libano Gentilismi lignis cedrinis adductis perficitur. 3 Regum. 4. Naaman Gentilis ab Elisæo ad aquas baptismi sanatur. 4 Reg 5 Isti sunt exploratores terræ promissionis, qui botrum ; & fructus dulcissimos fidei, & charitatis gentibus deferunt. Num. 13.

Meritò Dauid ad Domini laudem gentes semper vocat Psal. 46. *omnes gentes plaudite manibus:* & Psalm 85. *omnes gentes quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te*

ram te Domine Et Psal. 2. *postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam:* & aliàs sæpe vocationis gentium mētionem facit. Euangelicus quoque Propheta c 8. ait, *antequam sciat puer vocare patrem, & matrem, auferetur fortitudo Damasci:* & c. 9. *populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* c. 49. *parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas Tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas. Dedi te in lucem gentium.* Et cap. 60 *ambulabunt gentes in lumine tuo.* De hac re Euthymius 1. p. Panopliæ tit. 8. de Ecclesia ex gentibus explicat eleganter ex Greg. Nisseno illud Esa. 35. *Exultet solitudo, & floreat quasi lilium Hæc* (inquit) *nunquam sensu facta sunt, neque fient; spiritu autem plane contigerunt: Nam gentium Ecclesia nullos antea fructus ferentium erat quadam veluti solitudo, in qua degebant vitiorum feræ: hac Dei cognitionem, salutemque sitiens lætatur, & exultat, & floret fructuum pulchritudine, & suauitate decorata Data est illi gloria Libani,* hoc est, antiqui populi: quem & Carmelum vocat: cuius gloria, & honor est pietas, & religio, & amicitia Dei: diuinorum munerum copia, atque gratiarum abundantia. Et rursus cap 54. *lauda sterilis, quæ non paris.* Sterilis enim erat olim Ecclesia: at postquam pietatem, & religionem amplexa est, multorum filiorum facta est mater, & Synagogam fœcunditate vicit. Et c. 49. *ecce dedi te in fœdus gentium:* Et c. 62 *videbunt gentes iustum tuum & cuncti Reges inclytum tuum.*

Esa 8 9. 49. 60.

Euth. 19.

Nissen. Esa. 35.

Esa 54.

Esa 62.

Occasione huius oraculi quod euangelicus vates de gentium vocatione, & Regum aduentu prædixit: & iterum cap 60. prædixerat, *ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui,* circa hodiernum euangelium, & verba pro themate proposita offert se se quæstio, an hi Magi fuerint Reges, & an fuerint tres: an verò fuerint sapientes, vel arioli, & malefici, seu incantatores, vt videtur insinuare Augustinus sermone 2. in Epiphania, vbi ait: *prævalet imperitia in rusticitate pastorum, & impietas in sacrilegiis Magorum* Et Origenes lib. 1 contra Celsum, quòd viso prodigio stellæ, vsi incantationibus, vt intelligerent significationem, videntes Dæmones suos à Christo victos conticuisse, con-

August.

Origen.

iectarunt hominem illum, quem stella indicabat, potentiorem esse Dæmonibus, atque adeò statim decreuisse illum inquirere, & adorare. Idem asserit Homil 13. in Numeros Huic sententiæ fauent Basil. Homil de humana Christi generatione, & Iustinus Mart. contra Tripho. circa medium: & Ignat Mart. Epist. 14. ad Ephesi. circa finem. De qua re legatur Sanctus Thom. 3 p. q 31. a.3 ad 2. Fundamentum huius sententiæ sumitur ex ipso nomine Magiæ, quæ à Romanis legitur interdicta, & punita magnis suppliciis.

Basil. *Iustin.* *Ignatius.* *S. Thom.*

Ad quæstionem propositam dicendum est primo, hos Magos tres fuisse numero iuxta communem sanctorum sententiam Leo Papa serm. 1. 4. & 5. de Epiphania: *tres Magos stella præuia perduxit.* Idem asserit Diuus August serm. 1 Epiphaniæ: In illis tribus, & tribus muneribus significatum Trinitatis mysterium. Rupertus lib 2 in Matthæum, *tres homines tribus partibus orbis Asia, Africa, & Europa fidei confessionis, & adorationis exempla existere meruerunt* Eiusdem sententiæ est Diuus Anselmus, quamquam existimat singulos tria munera obtulisse: Cùm Augustinus singulos singula obtulisse censeat Tandem tres fuisse ex communi sensu, & picturis Ecclesiæ confirmatur. Et videtur impleri parabola illa Christi Matth. cap. 13. de Diuina sapientia, quæ misit fermentum in farinæ satis tribus, ex quibus tota Ecclesia gentium fermentata est. Denique Beda in collectaneis horum trium virorum nomina, vultusque describit. Primus Melchior senex, & canus, barba prolixa aurum obtulit, quasi Regi magno. Secundus Gaspar iuuenis, imberbis, rubicundus, thus quasi Deo obtulit. Tertius adolescens, fuscus, integrè barbatus Balthasar, Myrrha oblata filium Dei mortalem professus est. Hi tres ab Apostolo Thoma baptizati, & Episcopi in Oriente instituti sunt. Horum corpora tempore Alexandri Tertij ex Mediolano Coloniam translata sunt.

Magi tres fuere numero. *Leo Papa.* *August.* *Rupertus.* *Anselm.* *Matth. 13.* *Beda.* *Beda triũ Regũ nomina, vultusq; describit.* *Illesc. lib. 1. hist. pont. c. 16.*

Secundò dicendum, quod est valde probabile istos tres viros fuisse Reges: sic enim appellantur ab August. lib 3. de mirabilibus scripturæ capit. 4. Et serm 43. ad fratres in eremo: *audistis sanctissimos Reges Dominum diligenter quæsiuisse.* Hæc est sententia Leonis Papæ, Hiero-

Valde est probabile tres Magos fuisse Reges. *August.* *Leo Papa.*

Hieronym. Athanaſ. de varijs quæſtione 2. Tertullianus lib. 3. contra Iudæos. capite 9. Iſidor. lib. de paſſione Domini capite 15. Eiuſdem ſententiæ eſt Anſelmus, & Theophyl. in ſecundum caput Matthæi. Et confirmatur ex officio Eccleſiæ, quæ in capitulis & reſponſoriis huius ſolennitatis vtitur nominibus Regum ex Pſal. 71. *Reges Tharſis, &c.* Et ex Eſa 60 *ambulabunt gentes in lumino tuo, & Reges in ſplendore ortus tui* Deinde confirmatur ratione, quia Magi fuere quaſi legati, & procuratores totius Gentiliſmi, qui venerunt nomine Regum omnium, & ſubditorum, vt in Bethlehem (vbi Dauid per Samuelem in Regem vnctus fuerat. 1. Reg. cap. 16.) puerum Ieſum Regem Regum, & Dominum dominantium profiterentur, & adorarent. De ipſis quoque Hilarius, Tertullianus, Cyprian & Ambroſ. interpretantur vaticinium Eſai. cap. 45. *Viri ſublimes ad te tranſibunt: tui erunt, & poſt te ambulabunt, vincti manicis pergent: Et te adorabunt, teque deprecabuntur: tantùm in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. Verè tu es Deus abſconditus.* Quæ verba, veroſimile eſt dixiſſe Magos, cum procidentes adorauerunt puerum Ieſum. *Hieron. Athan. Tertull. Iſidor. Anſelm. Eſa. 60. 1. Reg. 16. Hilar. Cyprian. Eſa. 45.*

Dicendum tertiò, quòd conuenientiſſimè viri iſti ab Euangeliſta Matth. Magi dicti ſunt: non ab arte Magica ſed à ſapientia: vt Anſelmus ait in hunc locum Matthæi: *non malefici, ſed ſapientes Aſtrologi fuerunt.* Similiter Rupertus vocat ſapientes. Cyprianus ſermone de ſtella, & Magis, *arte Mathematica vim, & diſcurſum nouerunt planetarum, & aſtrorum miniſteria certis experimentis obſeruabant:* Idem ſentit Iſidorus, lib. de paſſio. Domini, cap. 14. Reges ergò cum fuerint, appellantur Magi, & Sapientes: Tum quia apud Chaldæos, & Perſas, Magis, & Sapientibus, Regni, & Imperij principatus deferebantur. Et quidem meritò, quia per ſapientiam *Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt.* Prou. 8. Deinde quia (vt dicitur Sapien. 6.) *melior eſt ſapientia quàm vires*: Et cap. 17 *prapoſui illam regnis, & ſedibus, & diuitias nihil eſſe dixi in comparatione illius.* *Reges Magi ſic dicti quia Sapientes. Anſelm. Rupertus. Cyprian. Iſidor.*

Præterea conſultò Magi dicuntur, & non reges, quia ſicut coram Sole ſtellę abſcondunt lumen ſuum: ſic coram

iectarunt hominem illum, quem stella indicabat, potentiorem esse Dæmonibus, atque adeò statim decreuisse illum inquirere, & adorare. Idem asserit Homil 13. in Numeros Huic sententiæ fauent Basil. Homil de humana Christi generatione, & Iustinus Mart. contra Tripho. circa medium: & Ignat Mart. Epist. 14. ad Ephesi. circa finem De qua re legatur Sanctus Thom. 3 p. q 31. a.3 ad 2. Fundamentum huius sententiæ sumitur ex ipso nomine Magiæ, quæ à Romanis legitur interdicta, & punita magnis suppliciis.

Basil. *Iustin.* *Ignatius.* *S. Thom.*

Magi tres fuere numero. *Leo Papa.* *August.* *Rupertus.* *Anselm.*

Ad quæstionem propositam dicendum est primo, hos Magos tres fuisse numero iuxta communem sanctorum sententiam Leo Papa serm. 1. 4. & 5. de Epiphania: *tres Magos stella præuia perduxit.* Idem asserit Diuus August serm. 1 Epiphaniæ: In illis tribus, & tribus muneribus significatum Trinitatis mysterium. Rupertus lib 2 in Matthæum, *tres homines tribus partibus orbis Asia, Africa, & Europa fidei confessionis, & adorationis exempla existere meruerunt* Eiusdem sententiæ est Diuus Anselmus, quamquam existimat singulos tria munera obtulisse: Cùm Augustinus singulos singula obtulisse censeat Tandem tres fuisse ex communi sensu, & picturis Ecclesiæ confirmatur. Et videtur impleri parabola illa Christi Matth. cap. 13. de Diuina sapientia, quæ misit fermentum in farinæ satis tribus, ex quibus tota Ecclesia gentium fermentata est. Denique Beda in collectaneis horum trium virorum nomina, vultusque describit. Primus Melchior senex, & canus, barba prolixa aurum obtulit, quasi Regi magno. Secundus Gaspar iuuenis, imberbis, rubicundus, thus quasi Deo obtulit. Tertius adolescens, fuscus, integrè barbatus Balthasar, Myrrha oblata filium Dei mortalem professus est. Hi tres ab Apostolo Thoma baptizati, & Episcopi in Oriente instituti sunt. Horum corpora tempore Alexandri Tertij ex Mediolano Coloniam translata sunt.

Matth. 13. *Beda.* *Beda triũ Regũ nomina, vultusq́ describit.* *Illesc. lib. 1. hist. pont. c. 16.*

Valde est probabile tres Magos fuisse Reges. *August.* *Leo Papa.*

Secundò dicendum, quod est valde probabile istos tres viros fuisse Reges: sic enim appellantur ab August. lib 3. de mirabilibus scripturæ capit. 4. Et serm 43. ad fratres in eremo: *audistis sanctissimos Reges Dominum diligenter quæsiuisse.* Hæc est sententia Leonis Papæ, Hiero-

Hieronym. Athanas. de varijs quæstione 1. Tertullianus lib. 3. contra Iudæos. capite 9. Isidor. lib. de passione Domini capite 15. Eiusdem sententiæ est Anselmus, & Theophyl. in secundum caput Matthæi. Et confirmatur ex officio Ecclesiæ, quæ in capitulis & responsoriis huius solennitatis vtitur nominibus Regum ex Psal. 71. *Reges Tharsis, &c.* Et ex Esa 60 *ambulabunt gentes in lumino tuo, & Reges in splendore ortus tui* Deinde confirmatur ratione, quia Magi fuere quasi legati, & procuratores totius Gentilismi, qui venerunt nomine Regum omnium, & subditorum, vt in Bethlehem (vbi Dauid per Samuelem in Regem vnctus fuerat. 1. Reg. cap. 16.) puerum Iesum Regem Regum, & Dominum dominantium profiterentur, & adorarent. De ipsis quoque Hilarius, Tertullianus, Cyprian & Ambros. interpretantur vaticinium Esai. cap. 45. *Viri sublimes ad te transibunt: tui erunt, & post te ambulabunt, vincti manicis pergent: Et te adorabunt, teque deprecabuntur: tantùm in te est Deus, & non est absque te Deus. Verè tu es Deus absconditus.* Quæ verba, verosimile est dixisse Magos, cum procidentes adorauerunt puerum Iesum.

Hieron. *Athan.* *Tertull.* *Isidor.* *Anselm.* *Esa. 60.* *1. Reg. 16.* *Hilar.* *Cyprian.* *Esa. 45.*

Dicendum tertiò, quòd conuenientissimè viri isti ab Euangelista Matth. Magi dicti sunt: non ab arte Magica sed à sapientia: vt Anselmus ait in hunc locum Matthæi: *non malefici, sed sapientes Astrologi fuerunt.* Similiter Rupertus vocat sapientes. Cyprianus sermone de stella, & Magis, *arte Mathematica vim, & discursum nouerunt planetarum, & astrorum ministeria certis experimentis obseruabant:* Idem sentit Isidorus, lib. de passio. Domini, cap. 14. Reges ergò cum fuerint, appellantur Magi, & Sapientes: Tum quia apud Chaldæos, & Persas, Magis, & Sapientibus, Regni, & Imperij principatus deferebantur. Et quidem meritò, quia per sapientiam *Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Prou. 8. Deinde quia (vt dicitur Sapien. 6.) *melior est sapientia quàm vires:* Et cap. 17 *præposui illam regnis, & sedibus, & diuitias nihil esse dixi in comparatione illius.*

Reges Magi sic dicti quia Sapientes. *Anselm.* *Rupertus.* *Cyprian.* *Isidor.*

Præterea consultò Magi dicuntur, & non reges, quia sicut coram Sole stellę abscondunt lumen suum: sic corā

pueto Iesu Rege Regum Reges omnes coronas deponunt: sicut vidit Ioan. Apocal. 4. Vident Regem cœli,& terræ in forma serui,non igitur expedit coram eo habere nomina,neque coronas Regum: sed illi confiteri: *Dignus es Domine accipere gloriam, & honorem, & benedictionem.*

Vocantur tandem Magi, quia fides nostra magis roboratur sapientum, quàm Regum testimonio: & quia puer ipse Iesus,quem Magi procidentes adorant,*sapientia* est æterni *patris*; neque vult appellari Rex: quia vt ipse ait,*filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.*

Matth. 20.

Magi ab Oriente meritò vocati.

Neque caret mysterio,*quod ab Oriente venerunt Magi*: vt sicut naturalis Solis radiis eminentiora Orientis loca illustrantur: sic diuini Solis iustitiæ primi radij Regibus Orientis affulgeant. Impleturque illud Esa. 46. *Vocans ab Oriente autem,siue iustum*(vt habet alia lectio) *Et de terra longinqua virum voluntatis meæ* Magi meritò vocantur aues: tum quia de iustis dicitur Esai. capite 40. *qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem: assument pennas sicut aquila,volabunt,& non deficient.* Tum maximè, quia gloriosi Reges breuissimo tredecim dierum spacio longissimum iter velocissimè peragrarunt. Nam iuxta probabiliorem patrum sententiam eodem anno,quo natus est Saluator, tertio decimo die in Bethlehem peruenerunt; vbi ipsum adorauere. Fuit verò fœlicissimum iter ex Arabia Fœlice, quæ distat à Bethlehem circiter trecentis leucis, quæ itineris distantia à Dromedariis cursoribus, qui equis velociores sunt, tredecim diebus commodè pertransiri potuit Et quãquam verba illa Prophetæ: *Vocans ab Oriente autem, siue iustum, & de terra longinqua virum voluntatis meæ*; plerique de Cyro Persarum Rege explicent: commodissimè tamen conueniunt Abrahamo Patriarchæ, qui verè fuit iustus: sic enim illum vocat Paul. ad Romanos, capite 4. & ad Hebræos, capite 11. & Esai. capite 41. *quis suscitauit ab Oriente iustum, vocauit eum, vt sequeretur se*? Vocatur quoque auis propter obedientiæ promptitudinem, & velocitatem: qui etiam fuit vir voluntatis diuinæ,& secundum cor Dei: siquidem,vt obediret diuinæ volũtati,propriam negauit: tum ex

Esa. 46.

Esa. 40.

Abraham ab Oriente vocatus.

tum ex præcepto Domini propriam patriam deserens: tum immolatione vnigeniti filij Isaac sese accingens. Ille igitur velocitate auis, obedientia iustus, vir diuinę voluntatis de terra longinqua, & ab Oriente, nempe de Vr Chaldæorum, siue de igne, quem Chaldæi adorabant, ab illa regione idolorum culturę dedita magno Dei beneficio segregatus, & vocatus est, vt esset pater fidei, & constitueretur *pater multarum gentium:* similiter Magi tanquam hæredes fidei Abrahæ ab Oriente vocantur, vt sint primi prædicatores, & Euangelistæ, atque parentes totius multitudinis Gentilismi. *Gen. 12. Gen. 22.*

Deinde ab Oriente vocati sunt, vt sicut ab Oriente cœpit humani generis creatio, & propagatio naturalis, sic & Ecclesiæ vocatio, fideliumque spiritualis per fidem generatio ab Oriente incipiat. Sicut enim qui habitant in ea regione, vbi Sol oritur, dicuntur esse ad Orientem, sic cui radius diuinæ lucis oritur, diuinaque illuminatio refulget, dicitur esse ad Orientem: iuxta illud Ioan. c. 6. *Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Christus Dominus, ad quẽ venimus, vir ille est, de quo Zach. cap. 6. *Ecce vir, Oriens nomen eius* Vnde Petrus Chrysologus acutè ait: *Ab Oriente in Orientem veniunt: Ex Oriente temporali in Orientem sempiternum:* de quo Zacharias, pater Ioannis, Luc cap. 1. cecinit: *Visitauit nos Oriens ex alto* Remigius: *Ab Oriente veniunt, quia ab ipso, & per ipsum veniunt.* *Sicut naturalis generatio in Oriente cœpit, sic & spiritualis. Ioan 6. Zach. 6. Chrysolog. Remigius.*

Aliam rationem meditatus est Damasc. libr. 4. de fi. Orthod. capite 4 quia origo culpæ cœpit in Oriente. Primi namque parentes in Paradiso ad Orientem constituto serpentis suasu cecidere; Cain fratrem Abel occidit: ædificium turris Babel, & idolorum cultus in Oriente initium habuere. Natus ergo Saluator, qui *in hoc apparuit, vt dissoluat opera Diaboli,* vt verus Medicus debiliori, & infirmiori parti opportunè prouideat, Magos ab Oriente vocat: imò & versus occidentem crucifigi voluit, quasi proijciens *post tergum peccata nostra,* atque præteritas culpas obliuioni tradens, *in se recõcilians vna summis Ipse enim est pax nostra, qui euangelizat pacem his, qui longè, & his, qui propè:* vt Paulus ait ad Ephes. capite 2. *Vt à solis ortu vsque ad occasum laudabile sit nomen* *Damasc. 1. Ioan. 3.*

Domini. Nos ergo fratres chariſſimi, qui fidei Sanctorum Regum hæredes ſumus, quibus cœleſtis ſtellæ in Oriente baptiſmi ſplendor illuxit, nobisq; intus loquitur, *ecce Magi*, & quaſi digito Chriſti miſericordiam oſtendit, *qui vult omnes homines ſaluos fieri*, primæ Timoth. cap. 2. quique omnes ad ſe vocat: humiliter deprecemur, vt horum Regum exemplo nos ad ſe trahat: vtque illorum ſolicitudinem, & conſtantiam in inquirendo Ieſu, qui cœleſtis eſt theſaurus, imitemur: vt illum inuenire mereamur: coram illo procidamus, & ex intimo cordis theſauro munera proferamus, quibus verum & vnicum Regem noſtrum profiteamur, atque adoremus, qui nunc regnet in nobis per ſuam gratiam, & in futuro per gloriam.

IN EADEM SOLENNITATE,

CONCIO SECVNDA.

De Regno Chriſti, & de Magorum ſolicitudine in ipſius inquiſitione.

THEMA.

Vbi eſt, qui natus eſt, Rex Iudæorum. Matth. 2.

REGNVM cœlorum ſimile dixit Chriſtus eſſe *theſauro abſcondito*, Matth 13. filius Dei *Theſaurus infinitus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei.* Sapien. 7. Quia verò *theſaurus eſt abſconditus*, oportet illum cum Magis diligenter inquirere: Qui illum *inuenerunt cum Maria matre eius*: illa eſt ager plenus flo-

nus floribus, in ipsa absconditus est thesaurus gloriæ Vt illum inueniamus, indigemus ductu stellæ gratiæ: non enim comparatur *argento, vel terrena commutatione*, sed desiderio, & precibus: has offeramus almæ Virgini, dicentes: *Aue Maria*

Vbi est, qui natus est, &c. Per Zachariam Prophetam promiserat Dominus, capite 13. *Erit fons patens domui Iacob, & omnibus habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.* Hunc fontem iam natum, omnibusque patentem procul intuitus est Euangelicus Propheta, cap. 55. dicens: *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac* Omnes vocat, *quia non est personarum acceptor Deus: imò vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Inuitat verò Propheta omnes sitientes ad aquas mirabiles, quæ vini fortitudinem, & lactis habent dulcedinem. Aquæ sunt vitæ, quæ sitim animæ satiant, cibus sunt, & pabulum cordis. Vnde subdit: *Emite, comedite vinum, & lac.* Panis est vitæ in Bethlehem, id est, domo panis natus. De his aquis, capite 12. prædixerat idem Propheta: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Explicat verò qui sint fontes isti, dum subdit: *Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel.* Cùm cœlestem vim fontis aquarum viuentium diuino Spiritu afflatus Rex Dauid agnouit, anxiè sitibundus dixit: *O si quis daret mihi potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem! Tunc irruerunt tres viri fortissimi per medios hostium cuneos, & tulerunt aquam Regi. Rex verò noluit oblatam aquam bibere*, quia potiorem aliam sitiebat. Ecce hodie videmus vmbram illam veritate comprobatam, dum tres Reges Magi ab Oriente longo itinere confecto Hierosolymam Herodis Regis curiam constanti pectore ingrediuntur, Regem natum inquirunt, & ad Bethlehemiticum præsepe fontem inuenientes procidunt, aquas hauriunt puerum Iesum adorantes, quibus sitim Regis Dauid, suam, Iudæorum, & gentium omninò satient. Sic enim Ioan. cap. 7. dixit Christus: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat, & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.*

Zach. 13.
Esa. 55.
1. Tim. 2.
Esa. 12.
2. Reg. 23.
Ioan. 7.

Cùm

Cùm senuisset Rex Dauid, & Adonias filius per tyrannidem Regnum Israel vsurpasset; tres viros elegit, qui Salomonem filium, Regni sui hæredem, & successorem,
3. Reg. 1. omnibus prædicarent, sicut matri Betsabee promiserat. Sic nunc Regnum Israel per tyrannidem obtinente Herode, tres Reges mittit Pater æternus, qui Iesum filium vnigenitum, verum Regem cœli, & terræ, omnibus prædicent: sicut per Angelum Virgini matri promiserat, Luc.
Luc. 1. 1. *Dabit ei Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.* Id verò prædicant habitatoribus Hierusalem inquirentes: *Vbi est, qui natus est, Rex Iudæorum?*

Isti quoq; tres Reges figurati sunt in exploratoribus, qui missi a Moyse tulerunt ex terra promissionis in gen-
Num. 13. tem illum botrum vuæ: in cuius sanguine pallium Eccle-
Gen. 49. siæ abluendum erat iuxta vaticinium Iacob Genes. 49. *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum* Illi terram lacte, & melle manantem nunciarunt, sed fortissimos Gigâtes habitatores: isti verò Reges puerum Iesum nunciant, *qui Gigas est geminæ substantiæ:* à quo omnis dulcedo suprà lac, & mel emanat; dum dicunt: *Vbi est, qui natus est, Rex Iudæorum?*

Christus est verus Rex Regũ. Apoc. 19. Magi Christum verum Regem natum confitentur, & prædicant. Ipse enim ille est, in cuius fœmore Ioannes vidit scriptum, Apoc. 19. *Rex Regum, & Dominus dominantium* Ipse est Rex, cuius Regnum diuino lumine afflatus Patriarcha Iacob in sceptro Ioseph agnoscens ad-
Gen 47. orauit. Gen. 47. sicut Paulus ad Hebr. 11 secutus transla-
Ad Heb. 11. tionem septuaginta explicuit, dicens: *Fide Iacob moriens benedixit filios Ioseph, & adorauit fastigium virgæ eius* Vbi virgam illam per fidem prospiciens adorauit, de qua
Psal. 109. Psalm. 109 scriptum est: *Virgam virtutis suæ emittet Do-*
2. Reg. 7. *minus ex Sion.* Rex ille est Dauidi promissus, 2 Reg. 7. *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo Regnum eius, & stabiliam thronum eius vsque in sempiternum.* Quod oraculum non est impletum in Salomone, sed in Christo. Et iterum Psalm. 131 *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Vnde ipse Dauid Psalm. 2. introducit Christum, dicentem: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo.* Et iterum Psal. 144. *Regnum tuum*

Regnum

Regnum omnium seculorum. Et Daniel. 7. *Potestas eius potestas aeterna, quæ non auferetur*. Similiter Angelus Virgini sanctissimæ filij Iesu Regnum annuntians, dixit Lucæ 2. *Dabit ei Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in aeternum: Et Regni eius non erit finis*: & ipse Christus, postquam surrexit à mortuis, dixit discipulis, Matth vltimo: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*. Titulus quoq; cruci inscriptus à Pilato Christum Regem confitetur. Rex est adeò potens, vt Ioan. viderit in capite ipsius diademata multa, Apoc. 19. & cap. 5. viginti quatuor seniores Principes procidentes, & deponentes coronas suas, adorantes agnum *viuentem in secula seculorum*. Meritò ergo Reges Magi Christum Regem inquirunt, & prædicant: & cum inueniunt, procidentes adorant. Dan. 7. Matth. vlt. Apoc. 19. & 5.

Ecce impletur Esaiæ vaticinium, cap. 65. *Quæsierunt me, qui antè non interrogabant. Dixi: Ecce ego, ecce ego, ad gentem, quæ nesciebat me, & quæ non inuocabat nomen meum*. Vbi Hebræa lectio habet: *Inuentus sum ab his, qui non quærebant me*, id est, qui olim in tenebris ignorantiæ, & idolatriæ sedentes non agnoscebant me, neq; quærebant. Id quod ad Rom 10 interpretatur Apostolus de gentibus; quod fuit opus summæ misericordiæ: & ad Rom. 15 *Gentes autem super misericordiam honorare Deum, sicut scriptum est, propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo cantabo*. Et multis aliis Scripturæ testimoniis diuinam misericordiam in vocatione Gentium commendat Et cap. citato Esa 65 post laudatam Gentilis populi solicitudinem in inquisitione Dei, Iudæorum somnolentiam, & nostram desidiam, negligentiamque exprobrat, dicens: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas. Populus, qui ad iracundiam prouocat me, ante faciem meam semper Qui dicunt, recede à me, non appropinques mihi* At qui ab inquisitione, & inuentione Dei totius vitæ animæ ratio pendet. Ille thesaurus est absconditus, in cuius inuentione omnis nostra fœlicitas, salus, & vita reposita est. Hinc Dauid Psal. 68. *Quærite Deum, & viuet anima vestra*. Amos 5. *Quærite me, & viuetis*, August. *Quæram te, vt viuat anima mea:* Esa. 65. Rom. 15. Esa. 65. Psal 68. August.

viuet

viuit enim corpus meum de anima mea, & anima mea de te. Imò ipsa Dei optimi inquisitio replet mentem gaudio, sicut Psalm. 104 dicitur: *Lætetur cor quærentium Dominum.* Cœlestis est hic thesaurus, *nescit homo pretium eius*, Iob 28. ideò negligenter quæritur, sicut canis non insequitur leporem, nisi illius odore, & Spiritu prius excitetur. Sic necessarius est Spiritus Dei, vt ipsum inquiramus. Hoc diuino Spiritu afflati Reges Magi Dominum inquirunt, dicentes: *Vbi est, qui natus est, Rex Iudæorum?*

Iob 28.

Simile.

Creatura omnes in Deum tanquam in finem tendunt.

Omnes quidem creaturæ suo modo Deum inquirunt, vt finem vltimum: *Quia omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* In illo consequuntur perfectionem suam. Homo verò maximè, vtpote ad imaginem Dei creatus Deum habet finem supernaturalem, adeò quod in nullo alio fine quiescere potest, iuxta verbum August. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec quiescat in te.* Sed proh dolor, *omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi*, Philip. 2. vnde ad Colos. 3. ait Paulus: *Quæ sursum sunt, quærite, quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram Quia bonus est Dominus animæ quærenti illum*, Thre 3 oportet igitur temporalia omnia postponere, & ex toto corde Dominum quærere. Audiamus Euangelicum Prophetam c. 55. dicentem: *Audite me, qui sequimini quod iustum est. Attendite ad petram, vnde excisi estis, ad Abraham patrem vestrum.* Illi enim à Domino vocatus egressus est de terra sua nesciens, quò iret. Dauid cum lachrymis Deum inquirens, Psal. 41. dicebat: *Fuerũt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi per singulos dies, vbi est Deus tuus?* Simili cura, & solicitudine, anxioque desiderio sponsum quærens sponsa petit: *Indica mihi, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Et cap 3. ait: *In lectulo meo quæsiui per noctem quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni, non enim inuenitur in terra suauiter viuentium*, Iob 28. Quare de lecto surgens, & solicitè quærens, dilectum inuenit. August. serm 43 ad fratres in eremo; *Quærendus est Christus non in platea, non in foro, non in curia, quia non inuenietur.* Quærendus est intra cor, & ex toto corde, vt dicitur Hier. 29. & Sapient. 1. *In simplicitate cordis quærite illum:* Quia,

August.

Colos 3.

Esa. 55.

Iob 28.

August.

Quia, *&a duplici corde.* Multi sunt,de quibus Dominus per Esa.cap.58.conqueritur,dicens: *Clama ne cesses,quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domus Iacob peccata eorum. Me etenim de die in diem quærunt:* quasi dicat, qui procrastinando negligenter me quærit,potius me offendit:neque dignus est, vt me inueniat. Nos ergo charissimi fratres,quos stella fidei diuina misericordia ducit, atq; docet nobis natum esse Christum,pro nobis crucifixum, atq; per ipsius crucem ineffabile illud præmium nobis esse propositum, *quod neque auris audiuit, nec in cor hominis ascendit,præbeamus corda nostra, & animas nostras, vt quaramus Dominum.* Ecce Dauid Rex nos inuitat,Psalm.94 *Venite exultemus Domino, venite adoremus, & procidamus ante Deum.* Reges quoque Magi exemplo suo nos ducunt, dum Christum inquirunt,& inuenientes coram illo humiliter procidunt, & adorant. Nos igitur ipsum verum Regem nostrum agnoscamus, neque labiis tantùm, & ore tenus,sed corde ipsius legibus obediamus,operibusque Regem profiteamur: *Neque regnet iam peccatum in nostro mortali corpore:* sed verè,& ex animo dicamus puero nostro Iesu,&vero Regi:ô formose puer,Rex Regum, & Domine dominantium da nobis re diligenter inquirere:indica nobis,vbi nascaris,*vbi pascas,vbi cubes in meridie:* vt mereamur te verum Regem nostrum constanti pectore profiteri:Vt verè & ex animo tibi dicamus: *Adueniat Regnum tuum:* Vt in nobis nascaris,pascas, cubes, quiescas, & regnes nunc per gratiam,& in futuro per gloriam, Amen.

1. Cor. 2.
1. Para. 22.
Rom. 6.

IN

IN EADEM SOLENNITATE,

CONCIO TERTIA.

De stella, quæ apparuit Magis, deq; illius conditione, & significatione.

THEMA.

Vidimus stellam eius in Oriente.
Matth. 2.

August. PSALTES Regius Psalm 97. cuius titulus est in Salomonem, id est, Christum Regem pacificum: iuxta sententiam Augustini, & Cassiodori, ad nouum canticum excitat Ecclesiam propter salutem sibi per Christum concessam in dextera, & brachio forti: & quia *notum fecit Dominus salutare suum: In conspectu gentium reuelauit iustitiam suam.* Id quod hodierno die adimpletum est. Hodie siquidem tripliciter manifestatus est Christus. Ea ratione meritò vocatur dies Epiphaniæ, id est, apparitionis, siue manifestationis. In hoc enim die manifestatus est in baptismo testimonio Patris in voce, & Spiritus sancti in columba. Manifestatus est primo miraculo, quo in nuptiis aqua in vinum conuersa est. Manifestatus quoque est Magis per ductum fulgentissimæ stellæ. Vt illius luce hodie fruamur, necessaria est lux Solis, à qua stellæ omnes naturales, & supernaturales, lumen participant. Hæc est lux inaccessibilis diuini Spiritus, vt ille ad nos accedat, supplices postulemus per mulierē illam, quam Ioannes vidit Apoc. 12. amictam sole: sanctissimam dico Mariam, dicentes: *Aue.*

Ioan. 2.

Apoc. 12.

Gen. 28. Patriarcha Iacob, postquam vidit in somnis mysticam illam scalam, Gen. 28. Et expergefactus mysterium intel-

intellexit, quod per Christum erat reserandum cœlum, & porta cœli aperienda: in eius veritatis testimonium *erexit lapidem in titulum, & fudit oleum desuper.* Vbi nobis typicè depinxit hæc mysteria, quæ hisce diebus celebrat Ecclesia: Christi natiuitatem in erectione lapidis: circumcisionem & impositionem nominis Iesu in effusione olei. Vocationem verò Regum in vtroque Christus siquidem lapis est, qui statuam comminuit, dum Reges traxit: vt Infantem iacentem in præsepio procidentes adorarent, qui *creuit in montem magnum:* de quo Danielis 2. De ipso enim dicitur Esa. 2. *Venite ascendamus ad montem Domini, & docebit nos vias suas:* mons, qui docet, Christus est. *Ipse quoque lapis est angularis, qui fecit vtraque vnum*, vt Paulus ait ad Ephes. capite 2. in solennitate proxima circumcisionis vidimus puero nostro imponi nomen Iesus, quod sponsa dixit esse *oleum effusum:* quod lucet, pascit, emollit, & penetrat. Ecce hodie vsque in Orientem penetrauit: & quanquam paleis coopertum, adeò tamen odoriferum, quod fragrantia sua trahit ad se Reges. Impletur sponsæ desiderium Cant. 1. Postquam enim dixit: *Oleum effusum nomen tuum.* Subdidit: *Trahe me post te. curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Ecce Magi ab Oriente trahuntur, & in odorem vnguentorum Christi magna celeritate currunt. Impletur quoque illud Psalm. 132. *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Christus caput est Ecclesiæ, isti Reges barba sunt, & honor Ecclesiæ. Vnguentum gratiæ Christi illos perunxit, & ab illis tanquam primis gentilitatis Magistris vsque ad oram extremam vestimenti Christi, id est, infimos Ecclesiæ filios descendit. *Sicut ros Hermon*, id est, destructionis, *qui descendit in montem Sion.* Christus ros est ab Esaia desideratus, capite 45. rorate cœli desuper. Ros est, qui prius fuit in vellere, id est, in Iudaismo, & postea in area Gentilismi, Iudicum 6. Ros, æstus siccitatem refrigerat, herbas languescentes viuificat, plantasque fœcundat: Et in summitatibus herbarum, ac florum sese colligit, sic Christus Dominus velut ros purus, fœcundus, semper beneficus super hos tres Reges, capita, & flores gentilismi descendit, illorum corda leniuit,

Dan. 2. *Esa. 2.* *Ephes. 2.* *Cant. 1.* *Psal. 132.* *Esa. 45.* *Iudic. 6.*

fœcundauit, illustrauit, & ad pedes suos prostratos traxit. Videturq; impletum illud Esa. 26 *Ros lucis ros tuus, & terram Gigantum detrahes in ruinam.* Vbi septuaginta interpretes legunt: *Ros matutinus ros tuus.* Ros lucis, Hebraismus est, id est, ros lucidissimus, qui matutino tempore de cœlo descendit, qui intellectum illuminat, & magna suauitate voluntatem emollit: qui Gigantes, Regesq; potentes trahit, & prosternit. Hi namq; Reges, Christi gratia tanquam cœlesti rore perfusi, quasi primi paranymphi, & gentilitatis oratores ad Christum proni, humilesq; venerunt.

Esa. 26.

Sed quonam incitamento, vel consilio ducti tam longum, tamque periculosum iter isti Reges aggressi sunt? Atqui stella in Oriente apparens nouitate lucis suæ, & motus, illos excitauit. *Vidimus* (inquiũt) *stellam eius in Oriente:* ac si dicant, noua stella nouum Regem, cuius nutu mouetur, natum nũtians, à nostris sedibus nos vocauit, atq; huc perduxit. De stella, quæ Magis apparuit, concors sanctorum Patrum sententia est, non fuisse aliquam ex cœlestibus: ita sentit Angelicus Doctor 3. p. q. 36. art. 7. vbi plures rationes adducit sumptas ex Chryso. hom 6. in Matth. Quas Damasc. lib. 2. c. 7. his verbis cõplectitur: *Sydus, quod Magis apparuit, nõ ex illis erat, quæ ab ipso mundi ortu condita sunt. Id quod ex eo manifestè cõstat, quod noua stella nouo motu mouebatur: nunc ab ortu ad occasum, nunc à Septentrione ad Austrum progrediebatur: nunc delitescebat, nunc sese rursus aperiebat; Id quod à syderum ordine, & natura discrepat.* Eiusdem sententiæ est Basil. hom. de humana Christi generatione: Et Origenes lib. contra Celsum. Eandem sententiam eleganter confirmat D August. lib. 2 contra Faustum, c 5. & ser. 3. & 6. de Epiphania: *Stella illa sydereas vias non tenuit, sed Christo nascente lux noua est in stella reuelata, quo moriente, lux antiqua est in sole velata* Fulgentius sermone de Epiphania, & Leo Pap serm. 3. de Epiphania nouum sydus illud appellant Et hæc videtur probabilior sententia, siue fuerit stella denuò creata, siue ad hoc ministerium de suo cœlesti situ, & loco diuulsa. Adde, quod stella hæc illustrior, & pulchrior fuit cæteris astris: sic enim sentiunt Leo Pap. serm. 1. & 3. Epiphaniæ, D. Ignatius

Stella, quæ Magis apparuit, non fuit aliqua ex cœlestibus.

S. Thom.

Damasc.

Basil.

August.

Fulgent.

Leo Pap.

Leo Pap.

tius Epistola 14. ad Ephes. & Chrysostomus homil. 6. in Matth. *D. Igna. Chrysost.*

Quod si roges, cuius naturæ fuerit stella, ex natura ne cœlesti, an elementari? Verosimilius est fuisse ex materia aerea, seu elemētari formata per Angelum, qui illam luce splendidissima repleuit, ipsamq; regebat. Motus enim illius erat veluti progressiuus, vt Chrysostomus, & alij Sancti docent. Et colligitur ex illis verbis Euangelij: *Ecce stella antecedebat eos, vsque dum veniens staret supra, vbi erat puer.* Ibat igitur, progrediebatur, & stabat. Et hymni verba id confirmant: *Ibant Magi, quam viderant, stellam sequentes præuiam.* Angelus verò motor secundum diuinæ voluntatis ordinationem aliquando stellam mouebat, aliquando sistebat, aliquando ostendebat, & aliquando occultabat, sicut apud Hierusalem, vt ibi de Rege nato Iudęorum inquirerent, atq; interrogatione sua Iudæorum excæcatio, & obstinatio conuinceretur, & maximè testimonio Michææ de loco natiuitatis ab ipsis signato: vt Leo Pap ser 2. de Epiphania ait: *Magna vtiq; stella lux, & mirabilis vu omni natura maior, omni splendore superior.* *Stella, quæ apparuit Magis, ex materia elementari creditur formata per Angelum, qui illam luce repleuit. Chrysost. Leo Pap.*

Adhuc tamen quæres, qua ratiōne noua illa stella noui Regis ortum indicabat potius, quam rem aliam? Sæpè enim in cœlo apparuere cometæ, fasces, flammæ, columnæ, lanceæ, scuta, Dracones, viri armati, & id genus multa, vt ex historijs tam sacris, quam prophanis manifestè constat. Nam eo anno, quo Mahometus natus est, apparuere duæ cometæ horribiles in Septentrione, & apud Constantinopolim. Similiter eo anno, quo Mitridates regnare cœpit, teste Vincentio, & Iustino. Similiter in morte Constantini duæ terribiles cometæ apparuere, teste Paulo Orosio. Et eo anno, quo Ludouicus Balbus Rex Galliæ mortuus est, hora nona visæ sunt stellæ claræ Et quo anno Tamerlanus Baiacetum vicit, terribilis cometa apparuit. Anno quoque 1532. Venetiis apparuerunt tres soles mense Aprili: & similiter Romæ eo anno, quo Franciscus Sforcia mortuus est Quo igitur signo cognouere Magi stellam illam noui Regis ortum indicare? *Sæpè in cœlo apparuere cometæ, & alia plura signa.*

Fuit quorundam sententia Christi Domini natiui-

tatem potuisse à Magis per Astrologiæ scientiam, & Astrorum constellationem agnosci. De qua re fusius disserit Syxtus Senensis libr. 6. Biblioth. sanctæ, not. 10. in Matth. In qua re primò certum est, & de fide, quod nulla stella fatum pueri Iesu præsagire potuit. Secundò tamen salua fide dici potest, quod quanquam Christi conceptio, & natiuitas omnes cœlorum, syderum, & naturæ vincant vires, & facultates: neque stellarum subiaceant motibus, aut indicio: siquidem Dominus illa creauit, *& super omnem dispositionem stellarum inuenitur prior*, vt dicitur Sapientiæ 7. probabile tamen est, quod ipse Dominus, *qui extendit cœlum, sicut pellem*, Psalm. 103. *& qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*, Psalm. 146. & cui vocanti *stellæ lætatæ sunt, & dixerunt, adsumus*: Baruch 3. sic disposuerit; vt in sua natiuitate astrorum virtutes tanquam ancillæ Domino suo famulantes amica lumina, & benignos aspectus, quos ab ipso acceperant, nascenti puero Iesu largissimè suppeditarent. Atque sic possibile fuit, Magos præter stellæ illius miraculosæ, quæ illos duxit, nouum lumen, quo interius corda illustrauit, ex nouo, benigno, inusitato, & vndique mirabili astrorum concentu, atque aspectu præscisse natiuitatem pueri religione, imperio, & gloria insignis. Quem, cum noua stella illis apparens certius prænuntiauit, diligentius, & alacrius illius ductum secuti inquirentes, & in Bethlehem inuenientes adorauerunt. Et ita videtur natus Dominus Iesus sub ascendente Virginis. Vnde dixit Albumasar Astronomus in suo maiori introductorio tractat. 6. *Ascendit Virgo pulchra, & honesta habens in manu sua duas spicas, & nutrit puerum: & quadam gens vocat ipsum puerum, Iesum.* Cui sententiæ videtur fauere, quod Diuus Hieronymus ait in capite 47. Esaiæ circa finem: Magos agnouisse stellam, vel ex artis scientia, vel ex vaticinio Balaam Prophetæ sui. Vbi mens Hieronymi non est, quod ex astrorum cognitione potuerit cognosci Christus, neque enim puer propter stellas, sed stellæ propter obsequium pueri ordinatæ sunt: sed vult Hieronymus, quod Magi ex naturali syderum cognitione iuuari potuerunt ad intelligen-

Syxtus Senens.

Probabile est astra cœlestia in Christi natiuitate amica lumina, & benignos aspectus in creatoris sui obsequium præstitisse.

D. Hieron.

ligendam natiuitatem singularis, eximiique Principis: eamque stellam esse nouam, & insolitam. Et Chrysostomus ait, quod *Viderunt stellam in forma pueri pulcherrimi gestantis crucem.* Et addit Diuus Augustinus, quod *cùm vellent adorare stellam, admoniti sunt ab Angelo, vt stella ductu puerum adorandum inquirerent.* *Chrysost.* *August.*

Cæterùm vtcunque fuerit, ad Quæstionem propositam dicendum est: Magos simul cum externo lumine stellæ, habuisse internum lumen, ac diuinam illustrationem: ita docet Angelicus Doctor, Tho. 3. p. q. 36. art. vlt. Est quoque doctrina Leonis Pap. ser. 1. de Epiphania: *Dedit aspicientibus intellectum, qui præstitit signum: & qui fecit intelligi, fecit inquiri: & se inueniendum obtulit requisitus.* Et ser. 3. *Magnitudinem significationis intelligunt: agente hoc sine dubio in eorum cordibus inspiratione diuina, vt eos tantæ visionis mysterium non lateret: & quod oculis ostendebatur insolitum, animis non esset obscurum.* Deus ergo, qui dedit visionem, dedit & intelligentiam. Iterum serm. 4. *Praerat huic miraculo gratia Dei. O perfectæ scientia mirabilem fidem, quam non terrena sapientia erudiuit, sed Spiritus sanctus instituit!* Idem sentiunt Fulgent. ser. de Epiphania, Chrysost ser. 156. & August. to. 10. ser. 2. Epiphaniæ: *Stella Magis quasi lingua fuit cælorum:* & ser. 7. *Hanc stellam admirati, cuius etiam esset, consequenti reuelatione nosse meruerunt* Et Chrysost. hom. 6. in Matth. Non enim venerunt ad Christum sola cogitatione, aut spe Regni temporalis, neque tanto periculo se exposuissent nouum Regem in alieno Regno, in ciuitate Regia, & coram Herode Rege, qui tunc regnabat, tam audacter prædicantes, neque infantulum pauperem adorassent nulla Regis videntes insignia, si temporalem tãtùm Regem crederent. Eò vel maximè, quod sua procidẽtia, humilitate, adoratione, & muneribus, sublimem quandam de Christo cognitionẽ declararunt: vt eleganter Fulgentius sermone de Epiphania dixit: *Attende quid obtulerũt, & agnosce quid crediderunt.* Insignem enim animi virtutem, fidem, religionem, charitatem, animi constantiam, & perseuerantiam ostenderunt. Eadem sententia cõfirmatur ex gaudio illo magno valdè, quo vidẽtes stellam *Magi simul cum externo lumine stellæ habuerunt internum lumen.* *S. Thom.* *Leo Pap.* *Fulgent.* *Chrysost.* *August.* *Chrysost.* *Fulgent.*

gauisi sunt. Fuit enim verum gaudium, eximium, & cor replens in Spiritu sancto. Ac tandem responsum in somnis ab Spiritu sancto acceptum, ne redirent ad Herodem, confirmat diuinum quoq; initio itineris habuisse oraculum, vt ad puerum Iesum adorandum venirent. Cognouerunt ergo stellæ significationem diuino lumine. Hæc est interior doctrina, qua diuinus Spiritus loquitur animæ: de qua Ose. 2. dicit Dominus: *Ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Hæc est diuina illa vnctio, de qua 1 Ioan. 2. *Vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est.* Nos ergo, qui internum lumē fidei per diuinam misericordiam accepimus in Oriente baptismi, ipsius Spiritum deprecemur, vt vnctione sua sancta corda nostra perungat, quæ nos doceat, dirigat, & in terram illam deducat, vbi puer Iesus à Regibus prostratis, & Angelis adoratur in sæcula sæculorum. Amen.

Ose. 2.
1. Ioan. 2.

IN EADEM SOLENNITATE,

CONCIO QVARTA.

In qua explicantur conuenientes aliquot rationes, quare Dominus voluit Magos per stellam ad se ducere.

THEMA.

Vidimus stellam eius in Oriente.
Matth. 2.



ERBA sunt Magorum puerum Iesum inquirentium, qui stellæ ductu illum inuenerunt, adorauerunt, & munera obtulerunt, vt nos eundem Dominum Iesum inquirere, & inuo-

inuenire possimus, petamus ductum stellæ, & lucis diuinæ gratiæ, accedamus humili corde ad maris stellam Mariam, dicentes: *Aue.*

Ioan 6. dixit Dominus: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Hæc verò Patris æterni tractio summa cum suauitate fit. De ipsius enim sapientia dicitur: *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Cum ergo diuina sapientia hos tres Orientales Reges ad agnitionem Iesu Christi filij Dei tanquam primos fidei parētes trahere voluerit, id summa cum suauitate perfecit. Atq; adeò non tantum interiori luce eos illuminauit, sed etiam sensibili, & visibili stellæ signo eos perduxit. Id verò multis rationibus fuit conuenientissimum. Primò quidem, quia Magi paruuli erant, & imperfecti in fide initio vocationis suæ. Stellæ verò lumina sunt, quæ in mediis noctis tenebris nos cōsolantur, & itinerantes, ac nauigantes dirigunt. Commodissimè ergo populo, *qui ambulabat in tenebris* (iuxta Esaiæ vaticinium cap. 9.) ostensa est lux magna, vt à somno excitaretur, & à tenebris infidelitatis, & ignorantię veniret ad lucem fidei. De Oryge scribunt Phisici, quod dormit medietatem anni, & quod in ortu stellę Caniculæ caput erigit. Sic vsq; ad ortum Christi (qui fuit ortus diuinę charitatis ardore flagrans) dormierat Gentilitas: in ortu verò ipsius caput erexit, & à somno surgens venit ad lucem fidei. Rectè verò Christum Dominum, qui stella Canicula est, *& stella candida, & matutina,* stella indicat, & Reges ducit: impleturq; Esa. vaticinium c. 49. *Parum mihi est, vt sis mihi seruus ad saluandas faces Israel.* Pastores siquidem fæces Israelitici populi iam ad Christi natiuitatem fuerant vocati. *Ecce dedi te in lucem gentium.* Et sicut Sol, statim, vt oritur, per totum orbem radios mittens, tenebras pellit, & omnia illustrat: sic natus Christus verus Sol iustitię suis radiis Orientem illustrat, & nouam stellam, quæ Magos ad se ducat, nouo lumine replet.

Ioan. 6.
Sap. 8.
Esa. 9.
Esa. 49.

Deinde secundò hæc est suauis diuinę prouidētiæ dispositio, vt per ea, quæ cuiq; Magis nota sunt, & familiaria, vnūquemq; ad se trahat: sicut Sap. 7 dicitur de diuina sapientia: *Cum sit vna, omnia potest, & in se permanens*

Suauis Dei dispositio trahit ad se per ea,

quæ cuiq; magis sunt propria. *omnia innouat, & per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei, & Prophetas constituit. In animas* (inquã) *sanctas se transfert*, id est, cuiusque animæ captui sese accommodat. Ea ratione Sap 16. diuina sapientia dicitur *nutrix omnium* Sicut nutrix paruuli necessitati sese attemperat in vberum exhibitione, loquela, blanditiis, & gesticulationibus: sic diuina sapientia variis moribus, & studiis hominũ sese attẽperat Sic Moisem Ægyptiorũ scientia eruditũ, & in aula Regia educatũ elegit, vt Regem Pharaonem constanti pectore alloqueretur. Et (vt adnotauit Chrysostomus) ad piscationem Euãgelicam piscatores eligit: & ad diuinum amorem Magdalenam vocauit, quæ amare nouerat: similiter nunc Reges Magos Astronomiæ peritos per stellam vocauit, & duxit Hæc est ratio Diui Thom. 3 p. q 36. art. 5. Id quod eleganter dixit Petrus Chrysologus: *Vt materia errorũ fieret illis salutis occasio.*

Sap. 7.
Sap. 16.
Chrysost.
D. Thom.
Chrysol.

Leo Pap. Tertia ratio est B. Leo Papæ: quia isti tres Reges hæredes fuere fidei Abrahæ, & ab ipso secundum carnem propagati per Ismael. Abrahæ verò in syderum multitudine posteritatis suæ multiplicationem Dominus promisit. Et quanquam Ismael eiectus est ad tempus cum ancilla, nunc verò, *quando venit plenitudo temporũ*, vocatur in Magis. Quare & sapiens illa Regina Saba ex Ismael originem ducẽs, audita fama Salomonis, *à finibus terra venit tentare illum in ænigmatibus*, an esset filius promissus Abrahæ, & obtulit ei munera. Cùm igitur hi Reges non solùm secundum carnem, sed secundum fidem filij sint Abrahæ, quem Paulus ad Rom. 4. vocat patrem *omnium credentium* Meritò igitur hæredes Abrahæ ortu noui syderis excitantur: vt sicut illi in multitudine syderum multitudinis filiorum facta fuerat promissio, sic istis stellæ famularetur obsequium.

Magi hæredes fuere fidei Abrahæ.
3. Reg. 10.
Rom. 4.

Basil. *Cyprian.* *Leo Papa.* *Hieron.* Quarta ratio est D. Basil. Cypria. Leonis Papæ, Orig. Chrysost. & D. Hier. in Matth & Ambrosij in secundum caput Lucę: Quod quia isti Reges Prophetę Balaam generis, & scientiæ erant hæredes, ostensa diuinitus stella meminerunt antiquum illud, diuq; conseruatum, & ab ipsis expectatum oraculum, à Propheta suo, Nu 24. prędictum: *Orietur stella ex Iacob, & cõsurget virga de Israel, & per-*

Magi hæredes fuere generis, &

& percutiet duces Moab. Quibus verbis ortus Christi, & potestas ipsius prædicebatur: simulque ortus stellæ, quæ illum erat indicatura. Multi quoque non contemnendi authores sentiunt Magos Sibyllinis versibus edoctos, maximè Erithreæ, & Sambetis: neque aspernanda esse Sibyllarum oracula, quæ ad docendos Gentiles spiritu prophetico missæ sunt, docet D. Aug. 18. de ciuitat. Dei c. 18. Neque dissonum est, quòd Daniel, qui per longam ætatem apud Babylonios moratus est, & Chaldaica lingua scripsit, aliquam cognitionem Messiæ maioribus tradiderit. Et mirabile est, quòd eo tempore, quo Christus natus est, per totum fere orbem opinio percrebuerat nouum quendam Regem nasciturum. Tobias quoque senior captiuus apud Niniue de hoc Magorum aduentu, & adoratione prædixit cap. 13. *Hierusalem ciuitas Domini luce splendida fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te: nationes ex longinquo ad te venient, & munera deferentes adorabunt in te Dominum:* Et iterum cap. 14. *relinquent gentes idola sua, & venient in Hierusalem, & gaudebunt in ea omnes Reges terræ adorantes Regem Israel.* Id quod impletum videmus, dum isti fœlicissimi Reges egressi ab Hierusalem *videntes stellam, gauisi sunt gaudio magno valde.*

scientia Balaam. Num. 24. D. August. Tob. 13. Tob. 13. Tob. 14.

Sit iam quinta ratio, quare conueniens fuerit puerum Iesum per lucem stellæ Magis ostendi: Quia quamquam puer Iesus in præsepio iacebat, *vt Deus absconditus*, verus tamen erat *sol iustitiæ, qui in sole posuit tabernaculum suum: & quia lucem habitat inaccessibilem*, per Magos accessibile, & perceptibile lumen indicari oportuit: & sicut solent scriptores asterisco, seu parua stella in margine indicare insigniores, vel absconditas sententias: sic stella hæc indicauit Magis verbum, & conceptū diuinum filium Dei absconditum. Vt enim ait Diuus Augustinus: *Quamquam in stabulo natus, in cœlo per stellam edicta proponit*: vt omnes veniant ad adorandum Deum absconditum. Apud veteres siquidem stella diuinæ naturæ hieroglyphicum fuit: quasi ex stellarum motu, & pulchritudine Deum ipsarum authorem, & motorem intelligentes.

Christus inaccessibilis lux per lucem minorem conueniēter ostenditur. Simile. D. August.

Addatur sexta ratio, quia puer Iesus Apocal 22. vocatur *stel-*

Apoc. 22.

Christus stella candida est, & matutina.

tur *stella candida, & matutina* Candida vtiq; est, quia *candor est lucis æternæ*. Sapient. 7. & ante Luciferum genitus ab æterno patre ante omne tempus, tanquam à sole, & primaria luce: & ex tempore natus ex Virgine tãquam radius ex sydere. Sic enim canit Ecclesia: *sicut sydus radium profert Virgo filium pari forma.* Commodissimè igitur stella matutina per stellam indicatur. *Et sicut illo moriente sol obscuratus est* (ait Leo Papa) *sic nunc illo nascente stella splendore illustratur.* Stella corpus est cœleste luce solis irradiatum: sic corpus Christi luce diuinitatis ornatum: sicut Paul ait, primæ ad Corinth. 15 *primus homo de terra terrenus; secundus homo de cœlo cœlestis.* Deinde Christus Dominus stella est splendidissima, & potentissima, quæ splendore suo tenebras, & ruinam tertiæ partis stellarum restaurauit: congruè igitur per lumen stellæ indicatur. Veniebat quoque Dominus Iesus totus dulcis, & suauis: vt butyro, & melle à virgine matre nutritus: vt Diuus Augustinus adnotauit. Dulcedine ergo sua incipiebat rollere stellę illius amaritudinem, quam Ioan. Apocal 8. Absinthium vocari dicit, quæ de cœlo cecidit. Erat quoque *lux Vera* secundum diuinam naturam, *quæ illuminat omnem hominem Venientem in hunc mundum*: atque adeò illuminauit per stellam fœlicissimos hos Reges. Secundum humanam verò naturam Christus rubus est spinis laborum, & persecutionum circumdatus iuxta illud Psalmi, *exarserunt sicut ignis in spinis*, sic Iudæi contra Christum: rubum verò vidit Moyses ardere, & non comburi: vbi flamma diuinæ naturæ circundans Christi humanitatem, præfigurabatur. Quare sicut Moyses rubi nouitatem admirans accessit dicens: *Vadam, & Videbo Visionẽ hanc magnam*: sic Magi stellæ nouitatem admirantes veniunt ad videndam visionem hanc magnam.

Leo Papa. — *Apoc. 12.* — *Esa 7.* — *D August.* — *Apoc. 8.* — *Psal 117.* — *Exod. 3.*

Stella Magos praeueniẽs typus est diuinæ gratiæ præuenientis.

Tandem mirabilis hæc stella, quæ Magorum iter indicat, prævenit, excitat, & vocat: typus est diuinæ misericordiæ, & gratiæ, quæ nos præuenit iuxta illud Psalm. 58. *Misericordia eius praueniet me*: & Esai. 65. *& erit antequam clament, exaudiam eos* Sicut enim in crepusculo auroræ, cum nondum radij solis apparent, illustrari incipit terra, & rore perfusa, luceque illustrata exhilaratur, &

tur, & veluti respirat: sic qui vel ad limina domus Dei accesserit, statim diuinis splendoribus repletur iuxta illud Ecclesiast. 14. *Beatus vir. qui in sapientia morabitur, & qui respicit per fenestras illius, & in ianuis illius audiens: qui requiescit iuxta domum illius, & in parietibus illius figit palum*: sumpta metaphora à peregrinis viatoribus, qui dum requiescunt, ferrum baculi in terra defigunt: *Hincan el bordon, o dardo.* Prouerb. 4. dicitur: *Iustorum semita quasi lux splendens, procedit, & crescit vsque ad perfectam diem:* ac si dicat: *Que el mismo camino se les haze luz: y entre los pies les saltan resplandores del cielo*: sicut filijs Israel, statim vt terræ promissionis iter aggressi sunt, apparuit columna illos ducens. Diuus Hieronymus in Psalm. 118. Vbi nos legimus, *declaratio sermonum tuorum illuminat*: legit, *ostium sermonum tuorum illuminat*: quia initia verborum Dei illuminant paruulos. Hoc figurabant specula mulierum in ostio tabernaculi: Quia in ipso ingressu domus Dei splendere incipit Diuina lux. Quid si intima penetralia domus Dei ingredi cœperis? Ioannes 1. cum Christus dixit Nathanaeli, *cum esses sub ficu vidi te*: Quasi radio quodam lucis illuminatus, & Christum agnoscens dixit: *Rabbi tu es filius Dei, & Rex Israel.* Cum Saulum *circumfulsit lux de cælo*, dixit: *Domine quid me vis facere*? Hinc Dauid Psalm 33. ait: *accedite ad eum, & illuminamini:* & statim subdit, *gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* Quasi dicat: *Por poquito que proueys de Dios, sentireys tanto gusto, que os comays las manos tras el* Sicut solet dici infirmo, qui prostratum habet appetitum, & propinatur illi potus substantialis, pretiosus, & suauis, si vel parum degustaueris, appetitus aperietur, comedere poteris, & salutem consequeris. Sic Dauid ait: *gustate & videte:* gustui enim Diuinæ bonitatis statim succedit lux.

Prou 4.
Initia virtutis statim iuuat Diuina lux.
Exod 13.
Hieron.
Exod 38.
Ioan. 1.
Gustui Diuina bonitatis statim succedit lux.

Isaac statim vt sensit fragrantiam vestimentorum Iacob, in oscula, & benedictiones prorupit. Abraham statim, vt audiuit vocem Dei, *egressus est de terra sua* obediens Diuino præcepto: & (vt Paulus ait ad Heb 11.) *nesciens quò iret*: statim Dominus illi apparuit in via, & per Angelos visitauit, & in ipsius semine omnes nationes

Gen. 37.
Gen. 12.

Gen.18. tiones terræ benedicendas promisit. Ille qui thesaurum
Matth. 13. inuenit, *abscondit, vadit, & vendit omnia quæ habet, vt agrum emat*, & thesaurum acquirat. Sic iusti, quibus Diuinæ sapientiæ thesaurus manifestatur, omnia contemnunt, & arbitrantur vt stercora, vt verum thesaurũ, qui Christus est, lucrifaciant. Hunc cœlestem thesaurũ inquirebant magna solicitudine sancti illi patres, de
Ad Hebr. 11. quibus Apostolus ad Heb.11 ait: *circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti.* Hunc thesaurum inquirunt Magi visa stella illius ductum secuti, nescientes quo irent: sicut hæredes Abrahæ, sic & illius fidei, & obedientiæ imitatores. Non deest nobis stellæ ductus: stella nostra fides est, quæ à Christo vero sole iustitiæ lumen accipit: stella est doctrina euangelica: stellæ sunt Apostoli: & inter illos Paulus, qui nos doctrina,
Philip. 3. & exemplo ducit dicens ad Philip.3. *Non quòd iam acceperim, aut perfectus sim, sequor autem si quomodo comprehendam.* Sequamur igitur & nos, vt comprehendamus.

Stellæ quoque sunt sancti Doctores, atque prædica-
Danie. 12. tores: sic enim dicitur Danie.12 *qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Stellæ sunt isti gloriosi Reges, qui stellæ lucem secuti magna cum velocitate venerunt veluti quatuor illa animalia sancta E-
Ezech. 1. zechi 1. oculis, & lumine vndique plena, quæ quocunq; ibat spiritus, ferebantur, & secum ducebant rotas. *Ambulemus* ergo charissimi fratres, *dum lucem habemus, ne fortè tenebræ nos comprehendant*: vt Christus Dominus
Ioan. 9. dixit Ioan. 9. Sicut enim Diuina misericordia manifestatur, dum nobis lucem communicat; sic reuelatur *ira Dei de cœlo super impietatem hominum eorum, qui veritatem*
Rom. 1. *Dei in iustitia detinent.* Lux fidei veritas est à prima veritate nobis infusa. Impij peccatores sceleribus suis hanc veritatem quasi captiuam, & incarceratam deti-
Iob. 21. nent. Hi sunt, de quibus Iob 21 dicitur: *ipsi fuerunt rebelles lumini*: Et in illo tremendo mortis, & iudicij die
Sap. 5. dicent verba illa, quæ Sapientiæ 5. ipsorum nomine scripta sunt: *ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* O fœlicissimi Reges, quibus iustitiæ lumen illuxit, & sole intelligentiæ orto stella micans ad ipsius solis aspe-

ctum,

ctum, cultum, & adoratinoem perduxit. Hos fidissimos testes, atque duces Ecclesia nobis hodierna die proponit. Horum ductum sequamur: lucem fidei peccatis nostris ne detineamus, sed eamus *de virtute in virtutem* Psal. 83. Christum inquirentes, & munera nostra deferentes: ipsa enim lux Domini, & veritas fidei deducent nos in Psal. 42. montem sanctum Dei, & in tabernacula ipsius, quæ plena sunt splendore, & lumine: nunc emittunt lumen gratiæ: & in futuro replent lumine Gloriæ.

IN EADEM SOLENNITATE Epiphaniæ de stella fidei, quæ credentes omnes ad Christum ducit,

CONCIO QVINTA.

THEMA.

Vidimus stellam eius in Oriente.
Matth. 2.

INGENS illud, eximium, & singulare beneficium hodie magna cum veneratione recolimus, quod Orientales Reges à Domino perceperunt, dum stella duce matutinam stellam apud Bethlehem inuenerunt, & adorarunt. In illa verò stella, quæ illis in aere visibilis ostensa est, stella fidei, quæ in baptismo nobis affulsit, tam Magis, quàm nobis promittebatur Stella splendida Magos ab Oriente vocauit, & in Bethlehem perduxit, vt pueri Iesu gratissimo fruerentur aspectu. Stella fidei nauim Ecclesiæ, cunctosq; fideles intra eam veluti intra arcam Noe (vt Petrus Apostolus dixit,) nauigantes inter maris 1. Petr. 3. mundi huius tumentes fluctus, & vehementes procellas

ad beatitudinis portum tuta nauigatione dirigit. Vt igitur cœlestis huius stellæ fidei splendorem intueri, ipsiusq; ductum vsque ad optatum beatitudinis portum dignè sequi valeamus: fulgentissimam maris stellam Mariam respiciamus, & per ipsam Diuini spiritus lucē, & ductum inuocemus dicentes: *Aue.*

Ad Ro. 4. Paulus Apostolus gentium prædicator ad Rom 4. fidem Abrahæ mirabiliter exaltans, verba illa, quæ Genes. 15. habentur, *credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam,* sæpiùs repetit, explicat, & pro dignitate commendat: illumque vocat patrem *omnium credentium, sicut scriptum est: quia patrem multarum gentium posui te ante Deum, cui credidisti: qui viuificat mortuos, & vocat ea, quæ non sunt, sicut ea quæ sunt: Qui contra spem in spem credidit: vt fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei: sic erit semen tuum sicut stellæ cœli. Et non est infirmatus in fide, cum centum esset annorum, & videret emortuam vuluam Saræ.* Nec dubitauit filium Isaac, in quo facta fuerat sibi promissio, Domino immolare: certò credens reddi sibi posse à Domino immolatum, qui datus fuerat non speratus. Atque adeò vt patrem, & exemplar fidei nobis illum proponit Apostolus, sicut Esa. 51. scriptum est: *attendite ad petram, vnde excisi estis: ad Abraham patrem vestrum.* Attendamus ergo, quòd (sicut adnotauit Rupertus lib. 5. in Genes. cap. 18) cum Dominus Genes. 15. dixit ad Abraham, *suspice cælum, & numera stellas cæli, si potes, sic erit semen tuum:* non solum naturalis generationis multitudinem, sed & cœlestis gratiæ, fideique successionem illi promisit: qui enim cœlum suspicere, stellasque numerare iussit, non tantùm posteros ipsius multiplicandos sicut stellas cœli, sed & cœlestibus donis fidei, & gratiæ illustrandos signauit. Isti ergo Magi ab Abrahamo Patriarcha secundum carnem per Ismaelem (vt multi cum Beato Leone Pap. probabiliter opinantur) originem ducentes, ipsiusque fidei hæredes, perque stellas cœli designati & promissi suauissima dispositione Diuina stellam ducem de cœlo acceperunt. Vt qui primitiæ erant gentium, primumq; fidei seminarium, per stellam sibi de cœlo ostensam multiplica-

Gen. 15. *Esa. 51.* *Rupertus.* *Gen 15.* *Abraha in stellarum multitudine non tantũ naturalis, sed & spiritualis filiorum multiplicatio promissa est.* *Leo Pap.*

tiplicatio filiorum Ecclesiæ ex gentibus ipsis præmonstraretur iuxta celebre illud Esai. vaticinium c. 54. *Lauda sterilis, quæ non paris: decanta laudem, & hinni quæ non pariebas: quoniam multi filij desertæ, magis quam eius quæ habebat virum, &c.* vsque ad verba illa, *semen tuum Gentes hæreditabit, & ciuitates desertas inhabitabit.* Vbi apertè Gentibus ex semine Abrahæ propagatis hæreditas ipsius promittitur. *Esa. 54.*

Per hanc ergo stellã Magis ostensam meritò lumen fidei nostræ significatũ intelligimus. Primò quidẽ propter rationẽ iam explicatam, quia multiplicatio filiorũ Ecclesiæ per stellam præsignata est. Secundò quia sicut stella lumen recipit a sole: sic fides lumen habet participatũ à vero sole iustitiæ Christo: & à cœlesti *Patre luminũ*, vt Iac ait c. 1. Hoc est cœleste illud, & fœlicissimũ lumen, de quo Paul. ad Colos. 1. *qui dignos nos fecit in partẽ sortis sanctorũ, in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarũ: & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.* Et primæ Petri 2. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium: gens sancta, populus acquisitionis: qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.* Cuius rei typus habetur Exod. 10. cum in vniuersa terra Ægypti factæ sunt tenebræ horribiles, filij tamen Israel, vbicunq; habitabant, clara cœli luce fruebantur. Ea ratione Paul. 1. ad Thessa. 5. nos vocat filios lucis: & 2. ad Corinth. 4. *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris.* Similiter & virtutum opera, quæ fidei sunt consona, vocat *arma lucis* ad Rom. 13. dicens: *abiiciamus opera tenebrarum, & induamus arma lucis.* *Fides nostra, per lumen stellæ significata est.* *Iacob. 1.* *Colos. 1.* *1. Petr. 2.* *Exod. 10.*

Deinde tertio fidei lumen cõmodissimè per stellã designatur: quia sicut lux stellæ cũ luce solis collata debilis est, & obscura: imò in præsentia lucis solis disparet, neq; lucet nisi noctu: similiter lux fidei cũ illa inaccessibili luce, quam inhabitat sol iustitiæ Christus, collata debilis est, & obscura: & tantũ illuminat per noctẽ vitæ præsentis: cum autem splendidissimus dies beatitudinis, & cœlestis patriæ illuxerit, omnino deficiet: sicut docet Paul. 1. ad Cor. 13. *cum venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Videmus nunc per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: & 1. Ioan 3. *Lux fidei obscura est, & ænigmatica collata cũ lumine gloriæ.* *1. Cor. 13.*

Ioan 3. *cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Nunc verò lux fidei obscura est, & ænigmatica: Sicut docet Paul. ad Hebr. 11. *fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.*

ad Heb. 11.

Fides per charitatē formata perfectam lucem nobis cōmunicat.

Quarta conuenientia stellæ cum luce fidei ea est: quòd sicut stellæ lucem nobis communicant, dum scintillant, & radios lucis emittunt: sic fides tunc perfectè Diuinam lucem nobis communicat, cum scintillans, & radios charitatis secum habet, quibus nobis luceat: sicut docet Paul ad Galat. 5 *fides, quæ per charitatem operatur:* & primæ ad Corinth. 13 *si habuero fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum:* & Iacob. 2 *fides sine operibus mortua est.* Hæc est doctrina fidei contra Lutherum, & sequaces hæreticos: Quam eleganter docet Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 4. art. 5. Fides verò charitate informata pretiosum donum, & Diuinum monile est, quo exornatur anima: imò annulus est, quo desponsatur Christo iuxta illud Oseæ 2. *desponsabo te mihi in fide.* Per hanc fidem charitate formatam *iustus viuit*, vt dicitur Abacuc. 2. Hæc potens est credentes filios Dei efficere: vt dicitur Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius.* Potens quoque est formata hæc, & viua fides viatores credentes in beatorum ordinem transferre: sicut Saluator dixit Thomæ Ioan. 20 *Beati qui non viderunt, & crediderunt* Id quod eleganter dixit Augustinus, lib. de fide ad Petrum; *si quis non ambulauerit per fidem, non perueniet ad speciem.*

Ad Gal. 5. *Iacob* 2. *S. Thom.* *Osea* 2. *Abacuc.* 2. *Ioan.* 1. *Ioan.* 20. *August.*

Lux fidei in Oriente baptismi fulgere incipit.

Plures deinde circumstantiæ in hac Magorum stella nobis expendendæ sunt, quæ cum stella fidei magnopere consonant. Tum quòd in Oriente apparuit: tum secundò quia antecedebat eos, & quasi progressiuo motu vsque ad Christum perduxit Similiter lux fidei in Oriente baptismi omnibus fidelibus fulgere incipit. Baptismus Oriens est, & vterus Ecclesiæ, vbi regeneramur in filios Dei, & renascimur ex aqua, & Spiritu sancto. In baptismo *Sol iustitiæ* nobis oritur, & in Oriente constituimur. D. Gregor. 1. Moral. cap 19. *quotquot in fide consistimus, rectè Orientales dicimur.* Inter quos omnes Magnus est

D. Gregor.

gnus est Christus. *Vir enim ille est, cuius nomen est Oriens*: vt dicitur Zachar. c. 6. Baptismus porta est Orientalis Ecclesiæ, de qua Ezech. 41 Vaticiniumque illud Ezech. 25. *Ecce ego tradam te filiis Orientalibus inhæreditatem*, tam in Magis, quàm in nobis impletum est. Ezech. 41. Ezech. 25.

Altera verò conditio huius stellæ fuit, quòd *antecedebat eos*. Sic fides præcedit, & nos ducit: sicut Paul docet primæ ad Corinth. 5. *quamdiu sumus in hoc mortali corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus*: quasi dicat, fides nostra ambulatoria est, & quæ viatoribus iter ostendit. Et ad Hebr 11. *fide, qui vocatur Abraham, obediuit exire in locum, quem accepturus erat, in hæreditatem: & exiit nesciens quo iret. Fide filij Israel transierunt mare Rubrum tanquam per aridam: atque per vastam solitudinem ducente columna peregrinati sunt.* Et sicut columna nubis per diem, & ignis per noctem illos præcedebat, & in terram promissionis perduxit: sic nos columna fidei præcedens ducit, inceditque *vsq; ad interiora velaminis*: vt Paul ait ad Heb. 6. Illuc tamen nõ ingreditur. *La fee en llegando a las puertas del cielo, no entra: quedase como portero, o como sumiller de cortina de la Diuina Magestad.* Adueniente enim lumine gloriæ: *Que como camarero mayor da entrada a la vista del Rey de la gloria*, statim euacuatur fides, & disparet. Rectè verò fides nostra per columnam significatur: tum propter firmitatem: est enim *columna, & firmamentum veritatis*: tum quia per noctem, & caliginem vitæ præsentis igne charitatis inflammata nos ducit: hoc est quod docet Petrus Apost. 2. cap 1. *habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, tanquam lucerna lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris.* Nunc ergo dum per caliginem ambulamus, columna fidei tanquam lucerna præcedẽs gressus nostros dirigit: sicut Psal 118. dixit Dauid: *lucerna pedibus meis verbum tuum.* 1. ad Cor. 5. Exod. 13. Ad Heb. 6. 2. Petr. 1. Psal. 118.

Sapientissimus ille Rex Salomon in fulcimentum, & ornamẽtũ magnificæ domus Domini duas illas celebres colũnas æreas decẽ & octo cubitorũ altitudinis in porticu cõstituit: vt habetur 3. Reg. 7. *Columnã primã vocauit Iachin*, id est, firmitas: *secundam vocauit Booz*, id est, 3. Reg. 7.

 fortitu-

Fides, & charitas columnæ, sunt quib. firmitas Ecclesiæ innititur. fortitudo: in quibus apertè designatæ sunt duæ columnæ fidei, & charitatis, quibus domus Ecclesiæ Christi veri Salomonis innititur Prima origine fides est, quia *substantia*, & fundamentum est *sperandarum rerum:* sicut Paul. dixit ad Hebr. 11. initium enim est iustificationis, & cui firmitas Ecclesiæ innititur. Hæc est illa firma Petri Apostoli confessio, qua Christum filium Dei viui cõfessus est: De qua Christus Dominus statim subiunxit

Ad Heb. 11 *Matth. 16.* Matth 16 *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam:* & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Firmitati verò fidei ingentem fortitudinem, robur atq; constantiam cõtra aduersa omnia addit charitas: sicut Paul.

1 ad Cor. 13 *Ad Rom. 8.* Apost. 1. ad Cor. 13 *docet dicens charitas omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Et ad Rom. 8. *quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neq; Angeli, neque principatus, neq; virtutes, neque instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Numerus quoque decem, & octo cubitorum altitudinis columnarum fi-

Rupert. dei, & operum typus est: vt adnotauit Rupertus super 3. Reg c 19. decem enim præcepta sunt legis: Octauus verò dies, quo circumcidebatur infans, in signaculum iustitiæ fidei datus est Abrahæ. Numerus quoque decimus octauus senarium sub ternario continet: quo fides Trinitatis, & mundi operatio sex diebus à tota Trinitate peracta significantur. Dum igitur rectè credimus, & bonum operamur ad omnes, atq; ex charitate diligimus: pulcherrimę columnę, suisq; numeris absolutæ, nẽpe fides, & charitas consurgunt, quæ Christi domũ exornãt.

Fides columna est, qua velut nubes nos protegit: & per ignem charitatis accendit. Tunc columna fidei in nube præcedit: & ab æstu culparum veluti nubes nos protegit Nubes quoq; dici potest sacra Christi humanitas: vel ipsius sanctissima crux nos protegens: vt dixit Chrysostomus lib de continẽtia Ioseph. Ignis verò per noctem charitas est quæ obscurũ fidei lumen accendit Cuius ductum sequentes *sancti* illi Patres (quorum cathalogum ad Heb. 11 recenset Paulus) *per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt*

repromissiones. Et Eccl 49. *sancti per fidem redemerunt se:* Chrysost. Ad Heb. 11.
fides enim redimit à seruitute peccatorum, mundi, carnis, & Diaboli: & ad veritatis lumen perducit. Hoc fidei munus 4. Reg 5. figuratum videmus in puella illa captiua ex finibus Israel in Syriam ducta, quæ Naaman Principem militiæ Regis Syriæ ad Elisæum prophetam direxit: qui iussit illum septies in Iordane lauari, & statim à lepra mundatus est Sic fides nostra lepra culparum infectos ad aquas baptismi perducit: vbi ab omni culpa tā originali, quam actuali absoluimur. Eccl. 49. 4. Reg. 5.

At quantò fides excellentius donum est, cum sit diuina quædā virtus animę progressiua, & ambulatoria: atq; ad id muneris à Deo nobis infusa, vt ostendat viam vitę, & seruet nos à laqueis absconsis in via hac, qua ambulamus, peccatores, qui tantum donum Dei in vacuum recipiunt, ipsi dono, illiusq; authori Deo maximè sunt iniurij. Multò tamen grauius fidei lumē, & ipsius authorem Deū offendunt, qui scelerum tenebris fidei lucem obscurant: sicut Paul ad Rom. 1. pro culpæ grauitate exaggerat dicens: *reuelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatē Dei in iniustitia detinent* Vbi veritatem Dei Paul. appellat fidem, cuius obiectum est prima veritas: vt docet S. Tho. 2. 2. q. 1 a. 1. ex Dionys 7. c de diuinis nominibus. Quare Petrus Apostolus Princeps 1. c 5 nos admonet: *sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester Diabolus tanquā leo rugiens circuit quærens quem deuoret: cui resistite fortes in fide.* Et Paul. ad Eph 5 *in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela ignea nequissimi extinguere.* Et Prou 3. *omnis sermo Dei ignitus clypeus est omnibus sperantibus in se.* Esai. quoq; c. 21. nos excitat dicens: *surgite Principes, & arripite clypeum.* Psal. 130. S Thom. Dionys. Fides scutū est, & clypeus. Prou. 30. Esa 21. 2. Reg. 1.

Sed (proh dolor) possumus nunc cum Rege Dauid. 2. Reg. 1. plagere: *abiectus est clypeus fortium.* Neq; enim sumimus scutum fidei, neq; in eo (vt par est) Diabolo resistimus: quin potiùs abiecto scuto, & cōtempto passim victi succubimus. Dum secundus ille Romanorum Rex, celebrisq; legislator Numa Pōpilius (teste Tito Liuio) Dijs sacrificaret, subito de cœlo clypeus cecidit, mirabilis casus stupore captus Rex Apollinis oraculo cōsulto *Scutum fidei opus est non habere otiosum, sed in omnibus eo vti, & resistere.*

 respon-

responsum habuit, vt scutum illud summa obseruantia custodiretur: quia ab illius fideli custodia Romanæ reipublicæ incolumis status pendebat. Tunc Rex prudenti consilio vndecim alios clypeos illi simillimos cōfici iussit, vt ipsis comitatus clypeus ille tutius seruaretur, à quo totius reipublicæ incolumitas, & salus pendebat. Rectè Christus Dom. dixit *filij huius seculi prudentiores*
Luc.16. *filiis lucis in generatione sua sunt* Luc.16. Ab Æthnicis ergo filijs huius sęculi tāquam ab iniquis possessorib. prudens consilium accipere, atq; imitari laudabile est. Fidem nostram scutum vocat Apostolus, quod de cœlo nobis collatum ipsa fides docet. Non enim est à nobis credere (vt Pelagius hæreticus asseruit) sed est donum Dei, & ab ipso nobis infusum secundum doctrinam Cō-
Cōc. Trid. cilij Tridentini sess. 6. cap. 3. *si quis dixerit sine praeueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere posse, anathema sit.* Idem docet Paul. ad E-
Ephes.2. phes. 2. *gratia estis saluati per fidem: & hoc non ex vobis: Dei enim donum est, ne quis glorietur.*

Oportet ergo charissimi fratres, vt Romanorū prudentiam, filiorumq; huius sęculi imitemur: scutumq; fidei, tanquā donū de cœlo nostris mentibus illapsum vigilanti custodia seruemus: siquidē ab illius fideli custodia nostræ salutis incolumitas pendet. Vt igitur cœleste hoc donum fidei tutiùs custodiamus, oportet vt aliarū virtutū spei, charitatis, iustitiæ, fortitudinis, temperātię, prudentiæ, humilitatis, & obedientiæ, scuta, fidei scu-
Cant.4. tum comitentur. Meritò Salomon Cantic. 4. ex turri Dauid mille clypeos pendere dixit: omnemque armaturam fortiū. Idem omnino nobis significant ea munera, quæ Magi videntes stellā secum detulerunt: indignum enim iudicarunt, vt cœleste lumen vacui comitarentur. Stellam ergo nostrā fidei & nos comitemur, atq; sequamur, non otiosi, neq; vacui: sed mysticis virtutum muneribus pleni. Sic enim fides nostra scintillans, & charitatis radiis, atq; fulgoribus splendens incedet, nos ducens vsq; ad interiora velaminis. Et quamquam illuc non ingredietur, ingressum tamen nobis ostēdet: vt intueamur puerum Iesum, quomodo regnat nunc in amicis, & iustis per lumen gratiæ: & intra velamen per lumen Gloriæ.

IN EADEM SOLENnitate Epiphaniæ,

CONCIO SEXTA.

De adoratione pueri Iesu, & muneribus illi oblatis.

THEMA.

Procidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurũ, thus, & myrrham. Matth. 2.

DIEM vocationis gentium magna cum exultatione hodie celebrat Ecclesia: Isti enim tres Reges totius Gentilismi procuratores, & legati fuerunt iuxta illud Psal. 67. *Venient legati ex Ægypto, Æthiopia praueniet manus eius Deo:* Psal. 67. id quod explicat Augustinus de vniuersali vocatione gentium; vnde subditur; *regna terræ cantate Deo:* Et quia August. paulò ante dixerat, *tibi offerent Reges munera*, impletũque est Esai. vaticinium. c. 60. *omnes de Sabba venient aurum, & thus deferentes*, Septuaginta legunt, *aurum, & thus deferentes, & laudes lehoua euangelizabunt.* Esa. 60. Isti siquidem tres Reges primi fuere Euangelistæ, qui videntes stellam Hierosolymitis Christum Regem natum prædicarunt. Contemplemur sacram virginem videntem ante se tres Reges procidentes: & dicamus illi verba Esaiæ Prophetæ. c. 60. *Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi* Ecce nos Esa. 60. cum paruis nostris muneribus coram te venimus, vt illa sint grata filio, coram te procidimus, vt munus gratiæ nobis impetres, dicentes: *Aue.*

Sub Epiphaniæ nomine, siue ostensionis, aut manifestationis triplicem Saluatoris nostri Christi manife-

 statio-

stationem, quæ hodierno die peracta est, annua celebritate recolimus. Hodierno namque die, quamquam non eodem anno tripliciter manifestatus est Saluator mundi. Primo siquidem anno natiuitatis suæ per stellam Magis est ostensus, & ab ipsis adoratus. Anno verò trigesimo in Iordane à Ioanne baptizatus, æterni Patris filius ipsius patris voce, & Spiritus sancti in specie columbæ super ipsum descendentis testimonio comprobatus est. Anno deinde proximo in nuptiis aqua in vinum conuersa diuinitati ipsius testimonium perhibuit. Tria hæc mysteria, quamquam diuersis annis, eodem tamen die peracta mystica quadam, & cœlesti consonantia mirabili exultatione replent Ecclesiam: Quare meritò canit. *Hodie cælesti sponso iuncta est Ecclesia: hodie in Iordane lauit Christus eius crimina: Et ex aqua facto vino lætantur conuiuæ.* Lætatur sacrosancta mater Ecclesia, dum Gentilis populus hodie ad Christum venit: & per lauacrum baptismi aquæ frigidæ infidelitatis in vinum fidei, charitatis, & gratiæ transmutantur: quod bibentes fideles per Christum regenerati lætificantur, & corroborantur.

In die Epiphaniæ tripliciter manifestatus est Christus.

Christus Dominus Monarcha erat, & vniuersalis Princeps, non solùm Iudæorum, sed & Gentium: sicut Apost. ait ad Roma 3. *an Iudæorum Deus tantùm, nonne & Gentium? Imò & gentium. Lapis est angularis, qui fecit vtraque vnum* ad Ephes. 2. & maioris virtutis lapis, quàm Magnes: Nam sicut Magnes ferrum eleuat, Christus ferrea corda ad se trahit; & sicut sol vapores terræ eleuat, atque ad se trahit: sic Christus verus sol iustitiæ, & splendor gloriæ terrena corda ad se sursum eleuat. Atque adeò statim natus diuina vi Iudææ pastores ipso die ad se vocauit: & hodierno die Reges ab Oriente trahit. Vt vniuersalis enim Princeps Iudaismi, & Gentilismi procuratores ad comitia Bethlehemitica vocat: vt omnes Principem suum agnoscant: & vt Principes iurari solent, cum primum Regni possessionem apprehendunt: sic nationes omnes ipsi, vt verò Principi obedientiam profiteantur. Et quamquam hæc fidei professio post Christi mortem ad omnes orbis nationes extensa est, sicut Christus ipse prædixit Ioan. 12. *ego, si exal-*

Christus vniuersalis Princeps Iudæorum, & Gentium. *Rom. 3.*

Ioan. 12.

si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Cæterùm nunc antequam exaltetur, imò vix natus Diuinam vim suam ex præsepio exerens, & ostendens Reges ab Oriente trahere incipit: iuxta euangelicum Esai. vaticinium c.8 *Voca nomen eius accelera, velociter spolia detrahe, festina prædari: quia antequam sciat puer vocare patrem, & matrem super terram, auferetur fortitudo Damasci.* Vbi Propheta Magos vocat fortitudinem, non tantum quia Reges, sed quia sapientes erant: quia vera fortitudo in sapientia sita est. Sic idem Propheta c.60. cum de hoc Magorum aduentu prædixisset: *ambulabunt gẽtes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui:* statim subdit: *tunc videbis, & afflues, & mirabitur,* & dilatabitur cor tuũ, *quãdo conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentiũ venerit tibi, inundatio Camelorũ operiet te. Dromedarij Madian, & Epha: omnes de Saba venient aurum & Thus deferentes, & laudẽ Domino annuntiantes.* Esa. 8. Vera fortitudo in sapientia sita. Esa. 60.

Vates quoque Regius Dauid spiritu prophetico afflatus, quamquam alias sæpè Gentium vocationem prędixit: maximè verò Psalm.71. de hoc Magorum aduentu, & munerum oblatione cecinit. Fuit verò ille Psalmus vltimus, quem Dauid scripsit secundum August. sententiam: Et confirmat titulus, qui in fine Psalmi habetur: *defecerunt laudes Dauid filij Iesse.* Et quamquam titulus Psalmi inscriptus sit Salomoni, vel, in Salomonem, nõ tamẽ fuit cõpositus pro Salomone filio (vt quidam Hebræi moderni opinantur) quia multa dicuntur in eo Psalmo, quæ Salomoni conuenire nullo pacto possunt, puta, *descendet sicut pluuia in vellus: dominabitur à mari vsque ad mare: ante solem permanet nomen eius:* & tandem id quod addidit: *adorabunt eum omnes Reges terræ.* Quæ omnia manifestum est Salomoni non conuenire. Eum igitur Psalmum composuit Dauid pro vero Salomone Christo: & titulus in Salomonem, finem insinuat: *finis verò legis Christus*, vt ait Paulus ad Roma.10. Salomon verò posuit Dauid pro patronimico Salomonio, vel, Salomonide, qui Christus fuit à Salomone descendens. Vel positus est Salomon, vt sit nomen appellatiuum, id est, pacificus: qui Christus est: de quo Zach.9. *loquetur pacem gentibus*: atque ita explicat D.August. de Psal. 71. August. Christus verus Salomon. D. August.

Ephes. 2. Christo Rege pacifico, iuxta illud Paul. ad Ephes. 2. *qui fecit vtraque vnum, qui veniens euangelizauit pacem: pacem iis, qui longè fuistis, & pacem iis, qui propè.* Et Christus ipse iamiam profectutus ad patrem dixit discipulis: Ioan. 14. *pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.*

In eo verò Psalmo multa de Christo Domino prædixit Dauid Primo iudiciariam ipsius potestatem, & regnum: dum dixit, *Deus iudicium tuum Regi da* Secundò regni durationem, & æternitatem: *permanebit cum sole, & ante lunam.* Tertiò de mirabili incarnationis, & natiuitatis mysteriis dixit: *descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram: Que vino el Sennor al mundo sin ruydo, y desseado como agua de Mayo.* Quartò de iustitia, & abundantia pacis per Christum illatis: *orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna,* quasi dicat, pax erit perpetua: nunc enim mutabilitati subiacet. Cum venerit fœlicissimus ille beatitudinis dies, quo gloriosus sponsus Ecclesiæ Christus reuersurus est in domum suam, tunc dies erit Prou. 7. *plena luna,* vt dicitur Prouerb. 7. Hoc est quod Dauid ait, *donec auferatur luna:* auferetur enim ex imperfectione ad imperfectiorem statum stabilitatis absque vllo motu reducta. Tunc semper plenè illuminabitur. Quintò de regni Christi amplitudine dixit: *dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.*

Sextò de ipsius cultu, & latria: *coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent: Lameran, y be faran la tierra que pisa.* Augustinus Æthiopiæ nomine omnium gentium fidem significari vult *Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent: Reges Arabum, & Sabba dona adducent.* Sic Matth. ait, *procidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera.* Septimò vitam, & fœlicitatem Christi, aurique munus ipsi offerēdum prædixit: *viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ Viuet* (inquam) *quia mors illi vltra non dominabitur:* quia sicut dixit Petrus Apostolus, Act. 2. *illum Deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Et adorabunt de ipso semper:* id est, fœlicia precabuntur: sicut cum Hierosolymitæ illi obuiam procedentes

Æthiopiæ nomine omnium gentium fidem significari vult Augustinus.

Rom. 6.

dentes cecinerunt: *Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini.* Vel sensus est pro Ecclesia orabunt. In Hebræo habetur, vox, Bead, id est, per, vel, propter: sicut Ecclesiæ terminat orationes suas *per Dominum nostrum Iesum Christum*, &c.

Octauo tandem de sacrosancto Eucharistiæ Sacramento prædixit: *Erit firmamentum in terra in summis montium:* firmamentũ, id est, solidus cibus, & abundans, cor hominis confirmans. Hebræa lectio habet, *pugillus frumenti*. Chaldaica habet, *erit fulcimentum panis in cacuminibus montium:* quod veteres Hebræi de placentis Eucharisticis intellexere. Et Burgens. *quod erit placenta tritici in capitibus sacerdotum* Inter hæc octo, quæ Dauid de Christo prædixit: sextum illud vaticinium hodiernæ festiuitati manifestè congruit, quo prædixit: *Coram illo procident Æthiopes*; cum & Matth. dicat: *procidentes adorauerunt eum.*

Eucharistia Sacramentum firmamentum est, & solidus panis Ecclesia.

Burgens.

Diuus Bernardus, Reges coram puero Iesu prostratos intuens sic ait: *O felicissimi Reges cui procidatis? quem adoratis? cui offertis munera? quid regale videtis? cauete, ne forte fallamini. Vbinam regalis custodia satellitum? vbi aulæa, cortina, vbi thronus, vbi diadema regium? pro custodia bestias video, pro throno stabulum, & præsepe: pro ostro, & purpura pannos: pro diademate paleas. Quis est iste Rex Iudæorum, pauper, & diues, humilis, & sublimis, paruulus, & immensus, vilis in pannis pretiosus in stellis?*

D. Bernar.

At multa diuina vident, & Spiritus sancti vnctio, atq; interna lux (vt ait Leo Papa) illos edocet, *sub tenello puero Deum immensum latere: Y que debaxo del sayal ay al.* Sicut enim, cum Princeps terrenus regiam dignitatem aliquando occultare vult, vix id ita facere potest, quin regium aliquid reluceat: vel in ornatu, vel in modestia, & vultus serenitate, vel loquela, aut comitatu. Sic vtiq; diuina maiestas Christi, quanquam abscõdatur, & iuxta Esa. vaticinium sit *Deus absconditus, & habitu inuentus, vt homo*, sicut Paulus ait: nunquam sic occultari potest, quin aliquid diuinum appareat. Vnde sponsa Cantic. 2. sponsum quanquam latentem agnoscens ait: *En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Sic ex puero Iesu, quanquam in stabulo, &

Leo Pap.

Simile.

Christus Dominus quãquam sub humanitate absconditus, diuinitatis tamẽ signa prodebat.

Cant. 2.

præſepio iacente diuini quidã ſplendores procedebant, qui Regibus Deum eſſe indicabant. Idipſum teſtificabantur ſplendores illi Sanctorum, qui puerum Ieſum circumdabant: Splendores (inquam) à pulcherrima, & ſanctiſſima Virgine, a beatiſſimo Ioſeph, & Angelis ſuum Regem circumdantibus procedentes. Splendor quoque ſtellæ *quæ ſtans ſupra, vbi erat puer*, noua luce illuſtrata, quaſi digito Creatorem ſuum indicabat, atque ipſi teſtimonium perhibebat. Adde quod fidei internum lumen, & Spiritus ſanctus interius mouens illos edocebat Fides enim pluſquam lynceis oculis Deum inquirit.

D. Bernardus fidem latronis, qui in patibulo pendens Chriſtum crucifixum Deum agnouit, & Centurionis, qui ipſum morientem filium Dei confeſſus eſt, confert cum fide Magorum, qui illum in præſepio iacentem procidentes adorauerunt. Latro cognouit clauis infixum: Magi pannis inuolutum, Centurio filium Dei clamat, & vitam in morte agnoſcit: Latro Regem confitetur. Magi muneribus ſuis, & adoratione Deum, Regem, & hominem profitentur. Sed illi ſolem obſcuratum viderunt, & petras ſciſſas: Magi verò nil tale viderunt. Ideo hæc Magorum vocatio, cognitio, atque confeſſio videtur mirabilior Vnde Euangeliſta Matthæus notanter dixit: *Ecce Magi* Diuino ſiquidem Spiritu afflati agnouerunt diadema illud regium, de quo Cantic. 3. ait ſponſa: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua*. Coronauit vtique Synagoga Chriſtum ſpinea corona, quam vt viſionem magnam admirans Moyſes ſolutis de pedibus calceamentis ad rubum acceſſit, vt videret, & adoraret Sic Magi verum Salomonem paleis nunc coronatum, ſpinis poſtea coronandum procidentes adorant.

Magorum adoratio mirabilior videtur quam Latronis, & Cẽturionis confeſſio.
Cant. 3
Exod. 3.

Humili procidentia ſua edocent nos ſancti Reges, quanto honore colendus ſit à nobis Deus, qui propter magnam miſericordiam ſuam *elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem* (vt Paulus ait) & inter tot mundi nationes *vocauit nos per gratiam ſuam, & dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum*. Æquum igitur eſt, vt hos Reges duces no-

Ephes. 1.

ces nostros, & fidei parentes imitantes ex magna cordis humilitate, & animi gratitudine procidêtes Dominum Iesum adoremus.

Adoratio, siue latria cultus est, & actus exterior deuotionis, & affectus procedens ab interiori actu fidei, charitatis, & iustitiæ: vt docet Angelicus Doctor 2. 2. q. 84. art. 1 Fides enim verum Deum confitetur, charitas illum diligit, iustitia verò reddit illi debitum, non quidem æquale, sed sibi possibile. Damasc. l. b 4. de fide Orthodoxa, cap. 13 in principio ait: *Quod, quia ex duplici natura sumus compositi, duplicem cultum Deo debemus: vt cum Dauid cor, & caro nostra exultent in Deum viuum*, Psalm. 83. Adorationis causa est excellentia illius, cui exhibetur: vt docet S. Thom 2. 2 q. 103. art. 1. ad 1. & 3. p. q. 25. artic. 1. Quare secundum diuersam excellentiam cuiusque diuersa debetur adoratio. Sic alius honor debetur parentibus, alius Sacerdotibus, alius Regibus. Sic alia adoratio debetur Deo, alia creaturæ. Latriæ honor soli Deo, & rebus diuinis, vt cruci, & imagini Christi exhibendus est: iuxta illud, *Dominum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Hoc nos docent Reges coram Christo procidentes.

S. Thom. *Latria adoratio est exterior ab affectu interiori procedens.* *Damasc.* *S. Thom.* *Matth. 4.*

In hac Magorum adoratione somnium Ioseph impletum videmus, quo vidit manipulos fratrũ, suum manipulum adorare, Genes. 37. Ioseph enim manipulus typus fuit Christi Domini, qui quasi manipulus in dupli ci natura colligatus adoratur iuxta Esa. vaticinium cap. 45. *Mihi curuabitur omne genu* Iob 39. interrogatur à Domino: *Nunquid volet Rhinoceros seruire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum?* Vbi Hieronymus legit *Monoceros*, & explicat de Gentili populo, ex quo potentes Reges, feri, & indomiti venerunt ad præsepe Christi, *& procidentes adorauerunt, & apertis thesauris munera obtulerunt.*

Genes. 37. *Manipulus Ioseph adoratus typus fuit Christi.* *Esa. 45.* *Iob 39.* *Hieron.*

Mos fuit olim apud Persas, vt coram Principe nullus vnquam vacuus appareret. Sic Regina Saba venit ad Salomonem *cum muneribus*, 3 Reg. 11. Vnde versus: *3. Reg 11.*

Placatur donis Iupiter ipse datis.

Exod. quoq; 22 habetur præceptum Domini: *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Iacob etiam mittēs filios *Exod 22.*

suos

suos ad Ioseph fratrem Principem Ægypti, vt emerent frumenta, dixit: *Ite, & deferte viro munera de optimis terræ frugibus*, Gen 43. Sic Magi obtulerunt Christo pretiosa munera: non morticinum, non claudum, non habens maculam, vt plerique Deo offerunt, quibus Malach. c 1. imprecatur: *Maledictus dolosus, qui habens masculum votum faciens immolat debile.* Nunc terrenis Principibus elegantiores filij, & optima quęque munera offeruntur: Deo autem quæ minus sunt vtilia, humanisque oculis minus grata. Multi longas orationes, ieiunia, & lachrymas offerunt, alij Sacramenta frequentant: Cæterum pecunias ab eleemosynis pauperum omninò seruant. Non sic Reges Magi, imò coram Christo nō solùm thus orationis, & myrrham mortificationis, sed & aurum offerunt, & thesauros suos aperiunt.

Gen. 43. *Munera Deo offerenda optima, & electa esse oportet.* *Malach. 1.*

Tripl. ci ratione cultum latriæ Deo debemus, ratione dominij, potestatis, & bonitatis. Sicut feudatarius tenetur Domino reddere feudum pro recognitione dominij, & beneficij percepti. Sic nos tenemur Deo ratione triplicis beneficij, nempe creationis, gubernationis, & prouidentiæ. Ea ratione nulla fuit vnquam natio, tam barbara, quæ non recognouerit Deum, siue verum, siue falsum, & illum adorauerit, laudauerit, & munera obtulerit. Sic docuit Pythagoras, vt habetur 1. de cœlo, atque adeò triplici honore esse colendum: scilicet prociden-tia, hymno, siue laude, & munere. Quantò potius nos, quibus lux fidei Deum verum trinum, & vnum ostendit, triplicem hunc honorem exhibere tenebimur, non tantùm propter tria illa beneficia naturali lumine cognita, sed quia Trinitatis mysterium per fidei lumen nobis reuelatum est? Tunc secundò quia per Iesum Christum Dominum nostrum præter esse naturale, habemus esse gratiæ, & esse gloriæ. Pendemus enim ab ipso, vt à principio creante, in quo *viuimus, mouemur, & sumus*: pendemus quoque ab ipso, vt à principio redimente, & perficiente per gratiam, & gloriam Hoc nos docent tres isti Reges exemplo suo, dum procidunt, adorant, & munera offerunt. *Trinitas quoque munerum Trinitatis mysterium profitetur*: vt Bernard. ait Muneribus quoque suis tria de puero Iesu prædicant: Deum, Regem, & Sacerdotem:

Simile. *Triplicem honorē Deo exhibere tenemur.* *Act. 17.* *Bernard.*

dotem: siue Deum Creatorem, Redemptorem, & Glorificatorem. Cyprianus in oblatione munerum: *Quid deo, quem adorant, sentirent, profitentur, in auro Regem, in thure Sacerdotem, in myrrha incorruptibilem, quamuis passibilem* Fulgent. homil. de Epipha. *Per tria munera in vno, eodemq; Christo, & Diuina maiestas, & Regia potestas, & humana mortalitas intimatur: Diuina contra Arrium, humana contra Manichæum.* Bernardus ex Magorum oblatione ad spiritualia munera charitatis, fidei, deuotionis, mortificationis, & misericordiæ nos hortatur. *Cyprian.* *Fulgent.* *Ber. hom 3.*

Maximè verò aduertendum, quod Magi primò procidérunt, secundò adorauerunt, & tertiò munera obtulerunt, quia prius oportet nos ipsos Deo offerre, quam munera. Genes. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius:* quasi dicat, ideò munera fuere grata, quia ex corde seipsum Deo obtulerat. Id quod ad Hebr. 11. dixit Paulus: *Abel plurimam hostiam obtulit:* id est, plenam veritate cordis. Et de munusculo viduæ, quæ obtulit æra minuta duo, dixit Christus Lucæ 21. *Plus omnibus misit.* Oportet quoque, dum peregrinamur, thesauros bonorum operum congregare, & abscondere: quia *portamus in vasis fictilibus,* id est, fragilibus, vt Paulus ait 2. ad Corinth. 4. Soli verò Deo nota sint, & aperta munera nostra, & thesauri veri amoris: iuxta verbum Dauid Psal 61. *Effundite coram illo corda vestra.* Qui enim sic virtutum thesauros mundi oculis absconditos, & diuino aspectui apertos detulerit, & cum omni humilitate procidens coram Christo Iesu seipsum, & munera obtulerit: per Esa. capite 45. promittit Dominus: *Dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum reuelabo:* arcana (inquam) mysteria gratiæ, & gloriæ. *Prius oportet nos ipsos Deo offerre, quam munera.* *Gen. 4.* *Hebr. 11.* *Luc. 21.* *Psal. 61.* *Esa. 45.*



IN EVANGELIVM EPIPHANIÆ MEDITATIONES, SIVE FRAGMENTA.



1. CVM *natus esset Iesus in Bethlehem Iuda.* Humilis quidem Dominus in carne venit, atq; humilitatis magister, atq; adeò sicut matrē humilem elegit, sic in humili Bethlehē nasci voluit. Cæterum tam est mirabilis, quam humilis, vt pariter in eo assumptæ carnis veritas, & ineffabilis diuinitatis natura fulgeret, & quanquam nascentem præsepe susciperet, Regem tamē cœli cœleste signaculum testaretur. Mirum quidē est, quod Christus processit ex Virgine, nec minus mirum quod de cœlo est ostensus in sydere. Mirum, quod nouū hominē terra suscepit, nec minus stupendū, quod nouum hominē noua de cœlo stella prodidit. Apud Iudęam Christus in præsepio vagiebat, & Angelus de cœlo illum pastoribus prædicabat. In vlnis Virginis viles panni velabant, & in Chaldæa Magorum oculis inter sydera coruscabat. In Bethlehem lactabatur à matre, in Chaldæa adorabatur à Magis.

2. *In diebus Herodis Regis.* Herodes alienigena eo tempore regnabat, quo natus est Christus, vt fidei veritas apertè cōprobaretur ex adimpletione celebris vaticinij

Gen. 49. Iacob, Gen. 49. *Non auferetur Sceptrum de Iuda, & Dux de fœmore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.*

3. *Ecce Magi ab Oriente venerunt.* Rectè Paulus Aposto-

Rom. 9. lus diuinam misericordiam exaltat, ad Ro. 9. dicens: *Non volentis, neq; currētis, sed miserentis est Dei. Ergo cui vult, miseretur, & quem vult, indurat. Voluntati enim eius quis resistet?* & subdit inferius: *quos & vocauit, nō solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus: sicut in Osea dicit: vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit: in loco vbi dictum est ei, non plebs mea vos: ibi vocabuntur filij Dei viui.* Sic hodierna die in electione, & vocatione

catione Magorum ab Oriente ex mediis gentium tenebris impletum videmus. D.Hieron super Esa.c 1.electionis diuinæ exempla, in medium producit. Primogenitus fuit Cain, sed Abel electus. Primogenitus Ismael, sed Isaac hæreditatē accepit. Primogenitus Esau, sed Iacob benedictionem præripuit. Primogenitus Manasses, sed Ephraim dextera Iacob cōmutata prius fuit benedictus. *Quapropter satagite fratres, vt per bona opera certam vestrā vocationem, & electionem faciatis.* D. Hieron. 2. Petri 1.

Ecce Magi. Reges quidem erant, sed Magi vocantur, id est, sapientes, quia Regibus maximè necessaria est sapientia, vt sciant veros amicos, fideles subditos, & consiliarios ab adulatoribus discernere Sicut Sapientię 6.dicitur: *Melior est sapientia, quam vires, & vir prudens, quam fortis. Audite ergo Reges, & intelligite, discite iudices finium terræ. Prebete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo. Ad vos, (ô Reges) sunt hi sermones mei, ne excidatis* Salomon maximè placuit Domino, quia data sibi optione petendi quidquid vellet, non petiit diuitias, neque honores, sed sapientiam, 3.Reg 3. Vera autem sapientia est *scire, & nosse* Dominum. His enim qui terrena sapiunt, dicitur Esa. capite 5. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes* Hi enim sunt, quibus abscondit Deus diuina mysteria: sicut Christus dixit Matth. capite 11. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terra, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Paruulis enim, & humilibus reuelat Dominus arcana cœlestia: Quales fuere Magi procidentes coram puero Iesu: atq; adeò primi Euangelistæ electi sunt, qui Euangelium detulerunt in Hierusalem, vnde exitura erat lex. 4. Sap. 6. Hierem 9. Esa. 5. Vera sapientia est scire, & nosse Deū.

Ab Oriente venerunt. A terra Orientali Chanaan ex confinibus Mesopotamiæ, vbi habitauit Balaam Propheta, qui ortum stellæ prædixerat, Num. 24 Vel fortè ex aliis remotioribus Orientis partibus, vt aliqui opinantur. Venerunt autem breui tredecim dierum spatio, vel Dromedariorum velocitate vecti, vel diuino adiutorio longissimo itinere confecto: Vt docet S.Thom. 3.p. q 36. 5. S. Thom.

q.36.art.6. ad 3. Magis verò per solem iustitiæ Christum illuminatis, increduli Iudæi in suis tenebris, & cæcitate
Sap. 16. relicti sunt. Et sicut de manna Sapient.16. dicitur, quod *à radio Solis calefactum tabescebat:* sic perfidi Iudæi, qui cœlesti cibo mannæ in solitudine pasti sunt, cœlestibus solis iustitiæ radijs Magis illuminatis contabescunt, & increduli perseuerant.

6. *Ab Oriente venerunt.* Domesticus populus tot edoctus Prophetarum oraculis negligit: alienigenæ ab Oriente accurrunt. Contra domesticorum somnolentiam habetur oraculum, Esa.29. *Obstupescite, & admiramini, quoniam miscuit vobis Dominus Spiritum soporis,* &c. Venerunt verò vocati ab eo, qui vocat ea, quæ non sunt,
Rom. 4. tanquam ea, quæ sunt: vt docet Paulus ad Rom.4. *Nemo enim potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum:* vt dixit Christus Ioann. 6. Quia quamuis Deus sit vltimus finis noster, in quem tendimus: est tamen supernaturalis finis, & improportionatus viribus nostris: atq; adeò indigemus diuina motione, & auxilio. Adde quod *corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem:* vt dicitur Sapient. 9. Quare in tractione, & vocatione peccatorum, & maximè infidelium, qui iacent in tenebris ignorantiæ, & idolorum cultu, summoperè splendet virtus diuinæ potentiæ.

7. Magna etiam virtus fidei ostenditur, quę vim tribuit, vt contemnantur diuitiæ, regna, & deliciæ. Addit quoq; fortitudinem contra pericula, & audaciam coram Re-
Chrysost. gibus, & Principibus: sicut meritò miratur Chrysost. horum Magorum audaciam, qui nihil veriti Herodis sceptrum, Hierosolymam intrepidi ingressi sunt. Addit quoq; fides agilitatem, & celeritatem: siquidem ex tam remotis regionibus tredecim dierum spatio venerunt Hierosolymam: vt illis meritò adaptare possimus verba
Esa.60. Esa.60. *Qui sunt isti, qui vt nubes volant?* Cæterum ex ipso Euangelio Propheta c.40. respondere possumus: *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pen-*
Rupert. *nas sicut aquilæ.* Rupert. lib 6. in Matt de Christo Domi-
Psal. 103. no interpretatur illud Psal.103. *Herodij domus dux est eorum.* Ipse enim Christus auis est, quæ ex Bethlehem Ma-

gorum

gorum dux fuit, ipsosq; Magos duces Iudæorum, gentium, & nostros esse voluit.

Magorum quoq; velocitas nostram desidiam apertè damnat, qui tot lumina fidei, & doctrinę, & exempli habentes, vix venimus ad Christum. De qua re legatur Ambrosius tom. 3. ser. 20. Vnde Paulus ad Hebr 4. ait: *Festinemus ingredi in illam requiem, vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum* 8. *Ambros.*

Celeritas deinde Magorum damnat nostrorum temporum fastum, & vanitatem magnatum, diuitum, & potentum, ne dicam mollitiem: qui vix exiguum spatium domo egrediuntur, vt sacrum, aut concionem audiant, nisi carrucis, & lecticis vehantur. Multoque magis damnantur qui sine magna necessitate, atq; vtinam non ex vanitate sacrum domi sibi celebrari, imò & conciones haberi volunt. Contra quos legatur D. Chrys. hom. 7. in Matth. 9. *Fastus, & Vanitas cita diuina damnatur.* *D. Chrys.*

Venerunt Hierosolymam: Quia quàmuis Esa 2. scriptū sit: *De Sion exibit lex, & Verbum Domini de Hierusalem.* Magi tamē Hierosolymitis attulerunt. Venerunt etiam Hierosolymam, vt reuelationem sibi factam, & nouæ stellæ ductum cum sapientioribus conferrent. Oportet enim tam pro consiliis, quam pro confessionibus doctiores, & peritiores cōsulere. Potissimum verò cum noua aliqua grauis sese offert occasio dubitandi: aut noua aliqua reuelatio: tunc enim doctiores oportet consulere, vt cum fide Ecclesiæ conferatur. Id quod Doctor gentiū Paulus exemplo suo nos edocet: qui cùm accepisset Euangelium *non ab homine, neq; per hominem, sed per reuelationem Iesu Christi:* vt ipse ait ad Galat 1. ascendit Hierosolymam, vt illud conferret cum Apostolis: vt ipse ad Gal. 2. dixit: *Sæpe enim Sathanas transfigurat se in Angelum lucis:* vt dixit 2. ad Cor. 11. 10. *Esa. 2.* *Cum noua sese offert occasio, vel reuelatio oportet peritiores cōsulere.* *Gal. 2.*

Vbi est, qui natus est, Rex Iudæorum? Omnibus gentibus naturale desiderium inest habendi Regem, vt manifestè constat ex petitione illa filiorum Israel ad Samuelem, 1. Reg. 8 c. *Vbi congregati vniuersi maiores natu Israel venerunt in Rammatha, dixeruntq; ad Samuel: Constitue nobis Regem, vt iudicet nos sicut & vniuersa habent nationes.* Idem quoque confirmat anxium illud desiderium, 11. *Omnibus gētibus naturale inest desideriū habendi Regem,*

aut rectorē aliquem. Esa. c. 16. *Emit te agnum Domine dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion* Vbi Regem Regum, & Dominum dominantium Christum postulabat. Illum igitur meritò inquirunt Magi, nosq; excitant, vt exemplo suo diligenter inquiramus. De hac inquisitione diximus supra concione 2.

1. Reg. 8.

Esa. 16.

12. *Vidimus stellam eius, & venimus adorare eum* Visa stella non segniter egerunt, neq; neglexerunt: imò continuò itineri sese accinxerunt. Sic non satis est fidei lumen habere absq; operibus. Vt enim ait Iacobus cap. 2. *Fides sine operibus mortua est.* Vnde Paulus nos hortatur 2 ad Corinth. 6. *ne inuacuum gratiam Dei recipiamus.* Et ad Rom. 1. *Reuelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent.* Oportet igitur donum fidei in magno pretiò habere, diuinæque bonitati gratias semper agere, quod vocauerit nos propter magnam misericordiam suam *in partem sortis Sanctorum;* vt Paulus ait ad Galatas 1. vt verè possimus dicere illud Psalm. 15. *Funes, siue sortes ceciderunt mihi in præclaris.* Funes vocat sortem, & portionem metaphora sumpta ab agris, qui funibus mensurari, & distribui solebant: vt constat Iosue 10. O fœlicissimam Christianæ gentis sortem, qui vidimus stellam fidei in Oriente baptismi! Oportet tamen, vt illius lucem, & ductum sequamur. Quatuor illa animalia sancta Ezechielis plena oculis, & splendore, *coram facie sua ambulabant: vbi erat impetus Spiritus: illuc gradiebantur, nec reuertebantur, cùm inciderent* Quæ quidem iustorum imaginem præferebant: de quibus dicitur Prouerb. 4. *Iustorum semita, quasi lux splendens, procedit, & crescit vsque ad perfectam diem.* Et Psalmo 83. *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* Vt gratissimo pueri nostri Iesu aspectu frui mereamur, opus est, vt stellæ fidei lucem, & Spiritus sancti motionem sequamur, iuxta illud Esa. cap 59. *Cùm venerit quasi fluuius violentus, quem Spiritus Domini cogit.*

Iacob. 2. Donum fidei non est habendum otiosum. Rom. 1. Psal. 15. Iosue 10. Ezech. Psal. 83. Esa. 59.

13. *Audiens autem Herodes Rex turbatus est.* Turbatur Herodes, quia terrenum Regem suspicabatur, sed magis turbatur Diabolus, quia cœlestē esse Regem magno pauore

pauore contremiscens credebat. Meritò canit Ecclesia: *Hostis Herodes impiè Christum venire, quid times? Non eripit mortalia, qui regna dat cælestia.* Eleganter Augustinus: *Quid tribunal faciet iudicantis, quando superbos Reges cuna terrebat infantis?* atque de hoc Magorum aduentu, & Herodis turbatione explicat illud Psalm. 45. *Conturbata sunt gentes, & inclinata sunt regna.* Sapient. 17. dicitur: *Semper præsumit sæua perturbata conscientia.* Augustinus quoque ait: *Voluisti Domine, & ita est, vt peruersus animus ipse sibi pœna sit.* Consonant verba Psalm. 75. *Turbati sunt omnes insipientes corde* Et Psalm. 106. *Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est.* Et iterum Dauid Psalm. 13. ait: *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor, non est timor Dei ante oculos eorum.* Timor namque mundanus timorem diuinum expellit. Vnde Christus Dominus Luc. capite 12. ait: *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus: Et post hac non habent amplius, quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.* Impius verò Deum non timet: omnia verò humana timet: & vt dicitur Prouerb. 28. *Fugit impius nemine persequente.* Et Esa. cap. 57 *Cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest.* Et Deuter. 28. *Dabit tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore, & erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte, & die, & non credes vitæ tuæ. Iustus autem quasi leo confidens:* Prouerbior. 28. & capite 10. *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter.* Et quanquam impij vitam præsentem transigunt plenam mœrore, & timore ex prauo testimonio conscientiæ: in illo tremendo iudicij die *videntes turbabuntur timore horribili gementes præ angustia spiritus:* vt dicitur Sapient 5.

August.

Psal. 45.

August.

Timor mūdanus diuinū timorē expellit.

Luc. 12.

Deut. 28.

Sap. 5.

Et omnis Hierosolyma cum illo. Claudianus Poeta meritò dixit: 14.

Regis ad exemplar totus componitur orbis:
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Et Cicero: *Quales in Republica principes sunt, tales & reliqui solent esse ciues.* Cum Reges Israel colebant idola *Principum*

exempla sequitur populus. *D. Gregor.*

populus quoque ad ea conuertebatur. Et teste D. Gregor. quo tempore Leouigildus Hispaniæ Rex Arriana hæresi infectus fuit, magna quoque pars Hispaniæ in eandem hæresim lapsa est. Ecclesiast. cap. 10 ***Qualis Rector est ciuitatis, tales & habitantes in ea.*** Vnde exiit antiquum prouerbium: ***Populus vmbra Principis.*** D. Bern. serm. 3. Epiphan. ***Videte quantum noceat iniqua potestas: siquidem turbato Herode turbatur omnis Hierosolyma cum illo.***

D. Bernar.

15. Hoc loco aperitur occasio dicendi de magno nocumento adulationis: Atq; de scandalis, quæ ex prauo exẽplo principum, & magnatum oriuntur. Ab illis enim tãquam ab excelsis mõtibus aquæ descendunt. Et vt à primis exemplaribus scandala, & tenebræ deriuantur. Hoc est, quod per Hier. c. 5. Dominus conqueritur: ***Quia inuenti sunt in populo meo impij, insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros: Sicut decipula plena auibus sic domus eorum plena dolo: ideò magnificati sunt, & ditati.*** Contra hos dixit Christus Dominus, Matth. cap. 18. ***Væ homini illi per quem scandalum venit.***

Hierem. 5. *Matth. 18.*

16. ***Et congregans omnes principes Sacerdotum, & Scribas populi sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur.*** Malach. 2. scriptum est: ***Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent de ore eius.*** In rebus arduis oportet sinè consilio nihil agere, Prouer. 4 ***Ibi salus vbi multa cõsilia.*** Et Eccl. 32. ***Sine consilio nihil facias*** Prudentis principis est in rebus magni momenti consiliarios congregare, atque peritiorum in materia, de qua consulitur, & melius sentientium consilium sequi. Cæterùm maximè vereor aduenisse iam tempus illud, quod Paulus 2. ad Tim. 4. dolens prædixit: ***Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent.*** Non sic Dauid, qui Psal. 118. ait: ***Consilium meum iustificationes tuæ.*** D. Bernardus Epistola 18. eleganter differit, quales consiliarij à principibus eligendi sint. Nunc verò principum consiliarij, vel adulatores, vel ob fauorem, potius quam ob peritiam eliguntur: qui nunc timore, nunc amore, nunc temporalium rerum intuitu,

Malach. 2. *In rebus arduis nihil sine cõsilio faciendum.* *2. Tim. 4.* *D. Bernar.* *Consiliarij adulatores cauẽdi, qui ruinã Rei-*

tuitu, potius voluntati principis placere, & auribus prurire, quam verum dicere student. De his prædixit Esa. cap. 29. *Eò quod appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me: cor autem eius longè est à me, & timuerunt me mandato hominum, & doctrinis: ideò ecce ego addam, vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & stupendo: peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur.* Et statim ca. 30. *Væ filij desertores, vt faceretis consilium, & non ex me; & orditremini telam, & non per Spiritum meum: vt adderetis peccatum super peccatum,* &c. *Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia in vmbra Ægypti in ignominiam.* De his quoque dixit cap. 59. *Telas aranea texuerunt, tela eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis.* Huius rei exemplis plena est Scriptura sacra. Et nostris calamitosis temporibus multa experimur aduersa, exercituum naufragia, & hostium fidei insolentias, quia os Domini non interrogamus, sed impiorum, atque adulatorum consilia præualent. Sic iniqui Sacerdotes, & Scribæ ab Herode congregati locum Bethlehem per Michæam designatum ostēderunt: tacuerunt tamen Christi diuinitatem ab eodem Propheta sequentibus verbis prædictam: *Egressus eius à diebus æternitatis:* Quę si dixissent Herodi, forsan timuisset, & à cæde innocentum abstinuisset. Locum tātùm Bethlehem indicant, sicut lapides milliarij, qui viatoribus iter indicant, ipsi verò immobiles permanent: & sicut fabri arcæ Noe, qui ipsam fabricarunt, vt Noe cum filijs ingrederetur, & diluuij naufragium euaderet: ipsi verò aquis diluuij perierunt. Agnoscunt quidem vocem Iacob, sed non manus, id est, personam diuinam Christi. Meritò illis dixit Christus Dominus Luc. cap 11. *Væ vobis legisperitis, qui tulistis clauem scientiæ, & ipsi non introistis*

publica moliuntur.

Esa. 29.

Esa. 30.

Esa 59.

Pseudoprophetæ loca Scripturæ sacræ detruncant, vt decipiant.

Simile.

Luc. 11.

17. Sic enim scriptum est per Prophetam Docentur Doctores Ecclesiæ veritatem annuntiare, quamuis odium pariat, atq; in explicatione Scripturę sacræ concionatoribus summopere oportet attendere, ne proprio sensu innitātur, sed Scripturæ sacræ, & Sanctorum doctrinam in omnibus amplectantur.

18. *Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis.* Rectè Christus Dominus Ioann 3. *Qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Dum Herodes clam, & in occulto Magos vocat, prauum aliquid se machinari fatetur. *Nihil tamen est occultum, quod non reueletur:*

Ioan. 3.

Matth. 11. Matth. 11. & Prou. 6. habetur: *Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius. Oculos sublimes, linguā mendacem, cor machinans cogitationes pessimas,* &c. Et Psal. 11. *Parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.* In diligenti quoq; Herodis inquisitione de tempore stellæ, atq; de Christi natiuitate Diaboli diligentia, & sagacitas attendenda, & maximè cauenda est: qua incessanter inquirit, vbinam Christus nascatur: vt omni adhibita solicitudine, vel natiuitatem impediat, vel saltem natum Christum in anima, quam citissimè poterit, expellat.

Prouer. 6.

Psal. 11.

19. *Ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos.* Dum ingressi sunt Magi Hierosolymā, stella illis abscōsa est. Dum enim humanæ leges carnis, & sanguinis consuluntur, absconditur diuina lux: iuxta illud Esa. 30. quod paulò ante explicuimus: *Væ filij desertores, vt à Domino absconderetis consilium.* Oportet vtiq; Euangelium, & diuina præcepta, atque leges præ oculis semper habere. Quod si quando ex humana fragilitate à lege diuina recedatur, oportet per pœnitentiam à peccatis, & peccatorum occasionibus exire, & ad Dominum conuerti: statim enim lux diuinæ gratiæ redibit.

Esa. 30.

20. Locus aperitur dicendi de tenebroso statu peccatorum. Et maximè contra tenebras, & cæcitatem curiæ, & aulicorum, qui curiam sectantur, ambitionis, deliciarū, & voluptatum dēsissimis tenebris inuoluti; qui diuinam lucem omninò fugiunt, *rebelles lumini: qui dicunt Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Ibi Syrenes in delubris voluptatis:* Esa. 13. *Ibi Babylon meretrix magna super bestiam coccineā plenam nominibus blasphemiæ habentem capita septem, & cornua decem. Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis: habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis*

Iob 24.
Esa. 13.
Apoc. 17.
In Babylone curia, & sequacium mores describuntur.

tionis eius. Et in fronte eius nomen scriptum: mysterium. Et inferius explicatur, quænam sit hæc Babylon: *Mulier, quam vidisti, ciuitas est magna, quæ habet regnum super Reges terræ.* Hæc est regia curia, quæ propinat filiis suis calicem fornicationis, & iræ Dei. Illi, qui de Babylonis calice biberit, dicitur Prou. 23. *Eris sicut sopitus gubernator amisso clauo.* Eliæ Prophetæ hæc veritas ostensa est, 3 Reg. 19. dum illi dixit Dominus: *Non in commotione Dominus, neq; in igne, sed in sibilo auræ tenuis*, id est, non in tumultu curiæ, neque in igne ambitionis, fornicationis, & discordiæ, sed in Spiritu mansuetudinis, pacis, & quietis, atque puritatis: quia *in pace factus est locus eius.* Non enim inuenitur Dominus in tumultu, neque inter multos: ideo Oseæ 2. vt lactet sponsam, & loquatur ad cor eius, promittit se ducturum illam in solitudinem. Dauid quoque vt diuino alloquio dignus esset, pennas columbæ optabat, vt volaret in solitudinem, Psal. 54. Atque intra seipsum solitudinem quærebat, dicens: *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Explicat verò, quę sit hæc solitudo, dicens: *Redimet in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erant mecum.* Ezechieli Prophetæ in ciuitate constituto absconsa est visio, quæ in solitudine iuxta fluuium Chobar ostensa fuerat.

Prou. 23. 3. Reg. 19. Osea 2. Psal. 54. Ezech. 3.

21\. Deinde in hac absconsione stellæ, quæ egressis ab Hierosolyma Magis apparuit, erudiuntur iusti, vt quamuis ad tempus subtrahatur ipsis diuina consolatio, atq; dulcedo, non contristentur: quia, vt ait Iob capite 36. *in manibus abscondit lucem, & rursus præcipit ei, vt adueniat.* Iob 36.

22\. *Antecedebat eos, vsque dum veniens, staret suprà, vbi erat puer:* Quasi dicens, ingredimini, ecce inuenietis puerum Iesum Regem Iudæorum natum, quem quæritis. Quamuis enim in præsepio iaceat, *& in medio duum animalium: Deus est absconditus, & Sol verus nube tectus;* vt Ezechiel prædixit, capite 32. ideo stella micans illi obsequitur, ipsumque vobis ostendit. Magna vtique lux stellæ, quæ stans, firmiterque consistens suprà, vbi erat puer, illum manifestauit. Sed maior est lux fidei, quę Ezech. 32.

cunctis fidelibus Christum ostendit. Oportet tamen nō respicere retrò, sed cum Magis semper progredi, & illius
Gen. 19. ductum sequi Vxor Loth, respiciens retrò, *conuersa est in statuam salis* Filij quoq; Israel grauiter furorem Domini prouocauerunt, cum cœpit eos tædere itineris, at-
Num. 21. que laboris, Numer. 21. Quare Dominus Luc. 17. dixit:
Luc. 17. *Memores estote Vxoris Loth* Et cap. 9. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est Regno Dei.*
Ad Phil. 4. Vnde Paulus ait: *Quæ retrò sunt obliuiscens ad ea, quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor brauium.*

23. *Videntes stellam gauisi sunt gaudio magno valdè.* Magnum vtique Magorum gaudium, sed maius gaudium Virginis, dum videt impleri in filio, quæ dicta sunt sibi per Angelum, sed adhuc maius gaudium filij, cuius *delicia esse cum filijs hominum.* Nullum gaudium temporale
Nullum gaudium temporale magnū est. magnum est; Tum quia, vt Iob cap. 20. ait: *Gaudium hypocrita ad instar puncti,* id est, breuissimum est; Tum quia etsi diuturnum esset, *extrema gaudij luctus occupat,* Prou.
Iob 20. 14. Vnde meritò D. Augustinus dixit: *Illud verum gaudi-*
D. August. *um est, quod non de creatura, sed de creatore suscipitur:* ipse enim est, qui iuxta verbum Dauid Psal. 102. *Replet in bonis desiderium tuum* Sic repleuit Magorum desiderium, dum videtes stellam supra puerum tantò gaudio repleti sunt, vt vix Euangelista illud explicuerit, dicens: *Gauisi sunt gaudio magno valdè.*

24. *Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius.* Ecce repleuit Dominus in bonis Magorum desiderium. Quid enim amplius desiderari potest, quam inuenire Iesum cum Maria? quæ lingua explicare poterit placidum illum, & gratissimum vultum, benignosque oculos, quibus infans Iesus intrantes Magos aspexit, qui illos intus ab Oriente trahebat? Quis tunc pulcherrimum illum vultum Virginis intueretur, an turbata, vel mota sit ad rei nouitatem, & trium Regum ingressum in humile stabulum? Quod si videntes stellam, gauisi sunt gaudio magno valdè, quantò potius gauderent tunc videntes Solem verum, & lunam amictam sole, puerum (dico) Iesum cum Maria matre eius,
Psal. 77. in quorum aspectu *desiderium eorum attulit eis, & non sunt*

sunt fraudati à desiderio suo? Ecce inueniunt Iesum inter paleas, sicut olim Moyses inuentus est à filia Pharaonis Gentili in aquas fluminis missus: sic Christus ex præsepio iactari incipit in aquas laborum, quæ intrabunt vsque ad animam ipsius At verò, Quamquam in contemptibili stabulo, & humili præsepio inuenitur, in sublimi tamen excelso, & plusquam regali solio iacet, nempe in vlnis gloriosæ Virginis Mariæ. Illa enim sublimis thronus est Assueri Regis, de quo Hester 5. *Thronus quoque est Salomonis ex ebore, grandis, & vestitus auro fuluo* 3. Reg. 10. Ebur incorruptionis, & virginitatis typus est; aurum verò charitatis. Maria *ferculum* est, *& lectus floridus* Salomonis, quem *sexaginta fortes ambiunt* Cant. 3. imò miriades Angelorum custodiunt *Vt currus enim Dei est decem millibus millia lætantium* Psalm 67. Et Psal. 80. vbi vulgata lectio habet, *perfice eam, quam plantauit dextera tua*: Hebræa lectio habet, *perfice Abacum* Interrogatus Rabi Haccados alij à cōsule Antonino, quid eo loco significaret Abacus, respondit illum esse Regis Messiæ matrem: quasi armarium, & thronum diuitiarum, & gloriæ. D Augustinus, *gloria nati apparet in virginitate parentis: & gloria matris in diuinitate filij nascentis: qui totus est dulcis, & desiderabilis*. Meritò tum diceret Maria verba illa, quæ habentur Esai. cap. 61. & Abacuc 3. *gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo Iesu meo: sicut enim terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat: sic Dominus Deus germinauit iustitiam, & laudem coram vniuersis gentibus. Siquidem notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam.* Psalm. 97. Ingrediamur igitur & nos cùm Magis in stabulum, & præsepe pueri Iesu, & si non corporeis gressibus (sicut fecit Diuus Hieronymus, qui senectutis suæ Bethlehemiticum præsepe Domini gratissimum domicilium elegit) saltem per assiduam meditationem tanti mysterij, ingrediamur interiora Diuinæ sapientiæ cùm Rege Dauid, *vt incerta, & occulta sapientia sua manifestet nobis*. Ingrediamur cùm sponsa Canticorum 2. cellam vinariam, vt sponsus gloriæ, qui charitate plenus in mundo natus est, ordinet in nobis, & perficiat charitatem.

Exod. 2.

Psal. 68.

Virgo Maria thronus est Salomonis eburneus: & auro fuluo vestitus.

3. Reg. 10.

Cant. 3.

D. August.

Cant. 2.

Ibi videbimus Regem gloriæ in tem, humilem, cùm so-
la Virgine matre, omnia temporalia contemnentem, &
humilia atque contemptibilia eligentem, dicentemque
Matth 11. nobis: *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*

25. *Procidentes adorauerunt eum.* *Rebecca conspecto Isaac sponso de camelo descendit, tollensq; pallium suum operuit se* Gene. 24. Saulus quoque, cùm circumfulsit eum lux de cœlo, in terram cecidit Actuum 7. Moyses, vt videret visionem rubi ardentis, discalceatus accessit Exod. 3. Quantò potiùs Reges Magi humiliter procident? Siquidem conspiciunt verum Isaac, id est, filium risus, & dilectionis æterni patris, in quo sibi bene complacuit. Illos circumfulget lux de cœlo: *erat enim lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Vident rubum ardentem: Deum (inquam) *qui ignis consumens est*, Deuteronom. 4. inter spinas pœnarum, frigore algentem: vident florem campi, *& lilium conuallium inter spinas.* Inueniunt tandem arborem vitæ in paradiso: quia quamquam Cherubin flammeo gladio ingressum custodit, infans tamen Iesus gladij vulnus in se suscipere incipit, vt fœlices Reges, & nos cum illis ad paradisum, & arborem vitæ accessum habeamus: siquidem Princeps ipse gloriæ, ac paradisi, & Angelorum, atque Seraphinorum Regina illuc nos ducunt, & liberum ingressum concedunt.

Genes. 24. Act 7. Exod. 3. Ioan. 1. Deut. 4. Cant. 2. Gen. 3.

26. *Adorauerunt eum.* Magna fides Centurionis, & Latronis vt supra diximus concione 6. sed viderunt magna signa. Magna cōfessio fidei, qua Petrus Apostolus Christum Dei filium confessus est. Sed viderat illum signa multa facientem: audierat *verba vitæ æternæ.* Isti verò Reges nil regale vident, sed in humili præsepio conspiciunt pauperem, & imbecillum infantem: & captiuam *intellectum in obsequium fidei.* Verbum patris adorant, omnipotentiam, & gloriam profitentur.

27. *Apertis thesauris suis obtulerunt ei munera.* Principes decet liberalitas, magnificentia, & opera grandia publica, in subditorū exemplum. Sic docuit Christus Apostolos, quos Ecclesiæ Principes, & duces instituebat: *sic luceat lux vestra corā hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est* Matth. 5.
Matth. 5.

Docent

Docent quoque Magi exemplo suo Deo, & pauperibus eleemosynas liberaliter largiri Difficilè enim, qui pecunias habent in Regnum Dei inttoibunt Marci 10. *Tob.4. & 11.*
nisi pauperibus illas distribuant. *Eleemosyna enim est quæ extinguit peccatum, & à morte liberat.*

Apertis thesauris suis. Donec ad Christum peruenerunt, Magi clausos, & absconditos thesauros suos detulerunt: quare docemur thesauros bonorum operum in conscientia abscondere, quamdiu peregrinamur à Domino. Ea enim ratione Christus Dominus *Regnum cælorum simile esse dixit thesauro abscondito* Matthæi 25. Id quod Numerorum 4. significatum est, dum cuncta vasa altaris operiri præcepit Dominus Ezechias Rex legatis Assyriis omnes thesauros domus suæ manifestauit: & ab Esa. propheta statim est illi prædictum in Babylonem esse transferẽda omnia: vt habetur 4 Reg 20. Et rei probauit euentus. *Sicut enim amat natura celari*, vt est in veteri prouerbio: & aurum, gemmas. & pretiosa quæq; natura abscondit: Sic diuina arcana, donaque supernaturalia intra cordis intima oportet abscondere. Sic dicebat Esaias, c. 24. *secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Idem nos docuit Christus Dominus Matth. 6. *nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua* 28. *Thesauri bonorum operũ intra cor abscondendi.* *Matth.25.* *Num. 4.* *4 Reg. 20.* *Esai.24.* *Matth. 6.*

Obtulerunt ei munera. Impletur vaticinium Dauid, Psal. 71. *Reges Arabum, & Sabba dona adducent.* Hæc sunt spolia Samariæ, quæ aufert puer Iesvs iuxta vaticinium, Esai c 8. sicut explicat Diuus Augustinus, serm. 4. de Epiphania, & Epiphanius lib 3. in Compendio fidei Catholicæ, & in Anciroto, Tertullianus, aduersus Marcionem c. 8 Et Ambrosius in caput. 3 Lucæ, & lib 3. de Genealogia Domini, hic est puer, cuius incunabula Magi spolijs Orientalibus retulerunt 29. *Esai. 8.* *D. August.* *Epiphan.* *Ambr.*

Deinde Magi docent Principes domum Dei muneribus exornare. Alienumque esse à Christiano Principe ab aliis oblata munera spoliare. De qua re legatur S. Thom. Opusc 20. de Regimine Princip. cap. vlt. Historiæ quoque tam diuinæ, quàm humanæ multis exemplis nos admonent, quàm infœlices exitus habuerint Principes, qui vasa sacra, & munera Deo dicata ex templis abstulerunt, D. Augustinus religioni Romanorum 30. *Principes decet Ecclesiam munerib. exornare.* *Qui verò illam spo-*

erga

liarũt, infœlices exitus habuerunt.
S.Thom.
D. Aug.
Daniel. 5.
Iudic. 9.

erga templa Deorum suorum tribuit prosperos imperij successus. Infœlicemque Crassi mortem tribuit insolentiæ, qua templum Hierosolymitanum spoliauit. Danielis cap. 5. Infœlix exitus Regis Balthasaris habetur, qui vasis templi abusus est. Abimelech, qui vt vsurparet Regnum Israel, argentum templi abstulit, per manus fœminæ infœliciter obiit Libri Regum, & Machabæorum pleni sunt similibus historiis. Inter quas celebris est historia Heliodori, qui cum vellet deposita templi spoliare, spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis euidentiam, secundi Machab. 3. Federicus secundus Imperator, qui vt necessitati propriæ succurreret rebus Ecclesiasticis vsus est, à filio suffocatus est. Vrraca Hispaniæ Regina, dum vasa argentea sancti Isidori Legionensis secum asportaret, in ipso egressu crepuit media. Alphonsus Aragoniæ Rex Vrracæ maritus dictus Bellator, à Sarracenis in bello victus non comparuit. Alphonsus quoque Lusitaniæ Rex, cum Sarracenos sæpè gloriosè debellasset, quia bona ecclesiastica vsurpauit, infœliciter obiit. Cassianus Poloniæ Rex eadem de causa multa infœlicia passus est. Constantinus secũdus Græcorum Imperator simili de causa pugione trãsfixus interiit. Constantinus verò magnus, qui patrimonium Ecclesiæ amplificauit, gloriosas, & miraculosas victorias de cœlo obtinuit Ataulfus Longobardorum Rex simili de causa fulmine percussus interiit. Longum esset omnia exempla in medium proferre eorum, qui bona ecclesiastica vsurpantes infœlicissimos habuere exitus. Rursus verò, qui templa Dei venerati sunt, & ab illorum bonis manus abstinuerunt, plurimas, & sæpè miraculosas victorias obtinuerunt. Lotharius Galliæ Rex, Quamquam ferè omnium prælatorum Regni sui consensum habebat, vt bonis ecclesiasticis, & templorum vasis vteretur, quia vnus Episcopus forti animo restitit, & diuinam vindictam illi comminatus est. abstinuit Rex quoque Lusitaniæ Emanuel, qui bona ecclesiastica pro subuẽtione necessitatis acceperat, videns multa sibi infœliciter succedere, omnia ablata restituit Rex Galliæ Philippus dicebat magis decere Principes augere bona Ecclasiarum, quàm auferre. Reges denique Ferdinandi

dinandi Hispaniæ alter dictus sanctus, alter Catholicus, quamquam contra hostes Ecclesiæ dimicantes, & in maximis necessitatibus constituti, nunquam ausi sunt bona Ecclesiarum contingere? dicebant enim malle se Ecclesiarum orationibus, quàm bonis adiuuari Nostris tamen calamitosis temporibus non desunt adulatores consiliarij, qui tanquam Ecclesiæ hostes oppositum cõsulant. Atque vtinam priuata ipsorum vtilitas ad id non impellat.

Obtulerunt munera aurum thus, & myrrham. Munera hæc *habent in se diuina mysteria*: aurum sicut Regi magno, thus sicut Deo verò: myrrham sicut mortali. Vel aurum charitatis, & eleemosynæ, thus orationum; myrrham mortificationis: iuxta Pauli consilium; *semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes* 2. ad Corinth. 4. Et ad Rom 8. *mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* Et Cantic. 1. *fasciculus myrrha dilectus meus mihi.* 31. Cant. 1.

Responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Fœdera cùm malignantibus periculosa: *corrumpunt mores bonos colloquia praua.* 1. Cor. 15. *nulla enim conuentio luci ad tenebras* 2. Cor. 6. Locus quoque se offert dicendi de vitanda peccatorum reincidentia. Hierem. 2. *quam vilis facta es iterans vias tuas.* Cauenda ergo est *via, quæ videtur homini bona, & nouissima illius ducunt ad mortem*: & amplectenda via, *quæ ducit ad vitam.* 32. Hier. 2. Prouer. 14.

IN FE-

IN FESTO BEATI SEBASTIANI martyris,

CONCIO PRIMA.

THEMA.

Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam. Psalm. 37.



VM gloriosus martyr Sebastianus pro fidei confessione sagittis confixus fuerit, prædicta verba ex Psal 37. elegi, quę illi aptissimè conueniunt: quæ vt ad Dei optimi, & martyris sui gloriam, Ecclesiæq; ædificationem dignè explicare valeamus, deprecemur, vt diuinus spiritus sagittis amoris sui nos configat, manuq; suæ gratiæ nos confirmet: id quod per almam Virginem impetrabimus humiliter dicentes: *Aue.*

Sebastianus ciuis Mediolanensis, sed Narbonæ oriundus, nobilis genere, sed fidei firmitate nobilior, Diocletiano Imperatori admodum charus, primæq; cohortis in militari professione dux, & primicerius: in quo potentia exercitus, & Imperij sita erat; cæterum vt Cæsar cognouit eum Christianæ militiæ, potiusquam Cæsareę deseruire, neque illum à Christi fide vlla ratione diuelli posse, stipiti alligatum sagittis iussit transfigi: qui grauiter vulneratus, semiuiuus relictus ab Hirene matrona Romana sancta ex patibulo raptus, & pia charitate absconditus, medicamentis adhibitis valetudini breui restitutus est: atq; Imperatori obuius, Cæsarem de sæuitia in Christianos acriter increpauit. Tunc colũnę marmoreæ alligatus virgis ferreis vsq; ad emissionem spiritus cædi

tædii iustus est. Atque adeò Doctores non contemnendi duplicem aureolam illi tribuunt, quia duplex martyriũ passus est. Illius sacrum corpus Lucina Imperatoris Adriani filia ad Cathacumbas sepeliuit circa annum Domini circiter trecentesimum: vbi olim per ducentos, & quinquaginta duos annos corpora Apostolorum Petri, & Pauli iacuerant: Ibiq; Ecclesiam ædificauit, quæ modo est Cisterciensis ordinis. Ibidem seruatur columna marmorea, habenturq; innumeræ indulgentiæ à multis summis Pontificibus concessæ, tum propter corpora Principum Apostolorum, quæ ibi diu condita fuerant: tum propter corpus B Sebastiani, & plures alias sanctorum reliquias, quæ ibi in veneratione habentur. Quare beatissimo Gregorio in altari martyris Sebastiani celebranti fertur apparuisse Angelus, qui dixit: *hic est locus, in quo est vera promissio, & peccatorum remissio: splendor, & lux perpetua: & sine fine lætitia*

Sagitta tua infixa sunt mihi, &c. Totus ille Psalm. 37. (vt quidam dicunt) pertinere videtur ad beati Iob viuacissimam passionem. Vbi per figuram Ethopæam introducitur persona militis Christi sagittis confixa, vulnerumque dolore afflicta, & sauciata: & inter tot calamitates fidei firmitate constans. Titulus Psalmi est, *in commemoratione*: quia commemoratio fit corporis diuersis pœnis afflicti, & animi amicorum infidelitate, & illusione sauciati: sed inter multiplices calamitates, spem in Dominum reponentis. Vnde ait: *sagitta tua infixa sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam.*

Adeò pestilens, noxia, atque lethifera est culpæ vis, vt non tantùm armet creaturas omnes ad vltionem inimicorum Dei: vt dicitur Sapien. 5. verùm & ipsa diuina arma, iaculaque viuifica conuertat in iacula, & sagittas mortis. Vnde Regius vates diuini brachij, & arcus fortitudinem, atque rigorem sæpè explicuit: maximè verò Psalm. 7. *arcum suum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis.* Et Psalm. 17 *misit sagittas suas, & dissipauit eos.* His percussit Angelos, & primos parentes: illos detrudẽs in Baratrum, contra hos verò constituens gladium versatilem. Deinde aquis diluuij veluti sagittis interfecit omnem carnem; & quamquam ea vniuersali vltione

Sapien. 5. *Peccatum diuinam benignitatem in furorem conuertit.* *Psal. 7.* *Psal. 17.* *Gen. 3.*

vltione ira Domini placari visa est, arcu, pacis symbolo, in cœlo posito: iuxta illud Genes. 9. *arcum meum ponam in nubibus cœli, Que al parecer soltaua Dios las armas en sennal de paz, y colgaua el arco* Sæpè tamen illum resumpsit contra Babel, Penthapolim, contra Core, Dathan, & Abyron: & quidem quòd tunc, cum peccatum regnabat in mundo, & nondum satisfactum erat diuinæ iustitiæ, tanto furore Dominus humanum genus puniret, & diceret: *inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes*: non miror. Cæterum quòd in lege gratiæ, quæ lex est amoris, dulcedinis, misericordiæ: & in qua iam effusus est sanguis agni immaculati Christi sufficiens placare Deum, & pro innumeris mundis satisfacere: quòd nihilominus voluerit diuina bonitas sanguinem martyrum tam copiosè effundi; vt meritò conqueratur Ecclesia cum Regio Propheta Psalm. 45. *effuderunt sanguinem sanctorum tuorum, velut aquam in circuitu Hierusalem*: Plures enim homines in lege gratiæ martyrium passi sunt, quàm in veteri lege animalia immolata: hoc verò mirabile est: teste enim Diuo Hieronymo pro quolibet die anni vsque ad ipsius ætatem habet Ecclesia quinque millia martyrum: vt meritò possit mater Ecclesia dicere sponso Christo id, quod Sephora dixit Moysi Exod. 4 *sponsus sanguinum tu mihi es.* Siquidem viam ad beatitudinem per laborum, & tribulationum tolerantiam, sanguinisque effusionem amicis suis parauit, Sicut in hodierno Euangelio Apostolis satis explicuit.

Genes. 9. *Deut. 32.* *Psal. 45.* *Exod. 4.*

Quòd si diuini huius consilij rationem inquiras, ea inter cæteras potissima apparet: quia id videtur decere dilectionem, quam Ecclesia rependere tenetur Christo sponso, qui pro ipsa primus sanguinem fudit. Sic enim nomine Ecclesiæ ait Dauid Psalm. 115. *quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* & quia inter cætera, illud maximè Christo debemus, *quòd dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*: æquum est, vt amorem pro amore, sanguinemque pro sanguine rependamus: hoc est, quod statim subdit: *calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo*, id est amaritudinem passionis pro Christo libenter suscipiemus cum inuoca-

Ecclesia in martyrib. sanguinẽ fundens Christo sponso amorem debitum exsoluit. *Psal. 115.* *Apoc. 1.*

uocatione sancti sui nominis Vnde subiungit: *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.*

Hanc dignam retributionem Sebastianus martyr inuictus reddere voluit positus *quasi signum ad sagittas*: Dominum Iesum imitatus, de quo Simeon Lucæ 2. prædixit: *ecce positus est hic in ruinam; & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.* Similiter Iob à Domino percussus cap. 34 ait: *Violenta sagitta mea absque peccato:* id quod Sebastiano martyri aptare possumus: atque illud Threno. 3 *tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam: misit in renibus meis filias pharetræ suæ.* Sagitta diuinæ pharetræ Christus est, de quo prædixit Esai. cap. 49. *posuit me sicut sagittam electam: in pharetra sua abscondit me,* i in humanitate, & carne, velut in pharetra diuinitas abscons a est. Filiæ verò pharetræ (secundum phrasim Hebræam) sagittæ sunt diuini amoris, vel timoris, quas velut filias intra se habet Christus, illisque nos iaculatur, vt renes, & carnis passiones mortificet. Sagittam quoque præcipuā amorem, & dilectionem vocare possumus, quæ reliquarum sagittarum, & affectionum mater est: his sagittis pharetræ Christi confixus Sebastianus satis conuenienter ait, *misit in renibus meis filias pharetræ suæ.* Luc. 2. Iob. 34. Thren. 3. Esa. 49.

Et hæc quidem sanguinis effusio, tribulationum inundatio, & sagittatio non pugnat cum lege gratiæ, dulcedinis, & suauitatis: quin imò summam dulcedinem admiscet diuina bonitas iuxta verbum Christi Lucæ 6. *gaudete, & exultate, quoniam merces vestra multa est in cælo:* quam Paulus expertus 2. ad Corinth. 4. ait: *in omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deiicimur, sed non perimus Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* *Tribulationibus pro Christo perpessis magna dulcedo admiscetur.* Luc. 6. 2. ad Cor. 4.

Id quod in plurimis martyribus impletum est: quidam enim super prunas, velut super rosas incedebant: alij ad supplicium tanquam ad nuptias certatim ibant: neque solùm viri, sed & virgines puellæ, ita vt tyranni se victos sæpè faterentur: atque Gentiles videntes martyrum constantiam ad fidem Christi cōuersi sint. Id quod

inter cæteros accidit inuictissimo martyri Sebastiano cuius constantiam admirans Diocletianus obstupuit.

Quòd si roges, vnde tanta constantia, & alacritas Sebastiano accessit? Ex duplici sanè radice: tum ex amore, quo Christum diligebat: Tum secundò ex præmio præsentissimo, atq; brauio, quod post breue martyrium expectabat iuxta verbum illud Christi, *ecce merces vestra multa est in cælo* Luc 6. Primum quidem amor dulces efficit labores, & tribulationes: crucem, gladium, virgas, & sagittas: dulce enim est dilectissimi IESV crucem præsentem habere, illiusq; vestigia sequi Charitas Christi amoris sagittis transfixerat ipsius cor: atq; adeò vulnus intus existens dolorem extraneum prohibebat: neque sentiebat sagittarum vulnera. Sicut enim ijs accidere solet, qui viui sagittis configendi sunt, quibus patronus assignatur, qui primam sagittam in illius cor dirigat, qua transfixus, & extinctus, reliquas minimè sentiat: sic Sebastianus Christum patronum habuit, qui cor ipsius charitatis prima sagitta sic transfixit, vt reliquas minimè senserit. His sagittis diuinæ dilectionis transfixus Dauid dixit Psal. 44 *sagitta tua acuta, populi sub te, cadent in corda inimicorum Regis.* Eisdem cõfixus D August inquit, *sagittaueras Domine cor meum charitate tua* De his, qui eiusmodi sagittis confixi sunt ait Paul. ad Colos 3. *mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* Sagittas ardentes charitatis igne meritò vocauit Dauid Psal 7 *sagittas suas ardentibus effecit,* id est ardoris vim illis impressit: vt cor inflamment, & inflammatum temporalia incommoda minimè sentiat. Amor enim signaculum est, & veluti scutum cor protegens. Vnde Cantic 8. sponsus sponsam rogat, *pone me, vt signaculum, super cor tuum: vt signaculum super brachium tuum: quia fortis est, vt mors dilectio.* Ab hac fortitudine tanta virtus accedebat cordi, vt non sentiret funiculis brachia constringi, neque sagittis transfigi: quia signaculo dilectionis (quod ipsa morte est fortius, &, velut corpus mortuum, reddit insensibilem eum, qui pro Christo patitur) præmunitus erat.

Sagittæ quidem symbolum sunt pestis, quia radij solares, per aërem infectum radiantes, velut sagittæ cor transfi-

Luc. 6. *Amor dulces efficit labores.* *Simile.* *Psal. 44.* *D. August* *Colos. 3.* *Psal. 7.* *Cant. 8.* *Sagitta symbolum*

transfigunt. Atq; ea fortè ratione beatum Sebastianum tanquam patronum, & tutelarem diuum contra pestem habemus. Secundò sagittæ symbolum sunt velocitatis, sic Itali properare dicunt afrezar, & sagittam vocant freza, & Hispanè flecha. Potissimum verò sagittæ symbolum sunt amoris: sic cupidinem amoris Deum cum arcu,, & sagittis antiqui pingebant. Radij enim, qui ex intimo cordis affectu spirantes per visum emittuntur, sagittis assimilantur, qui veluti acutæ sagittæ ab oculis diligentis emissi, & per oculos rei dilecta benignè excepti cor transfigunt. Et apud cöiectores, si quis ætate florida somniet transfixum cor, amoris est indicium. Sic in sacris litteris sagittæ dicuntur diuini amoris symbolum iuxta doctrinam D. Augustini in Psalm 37. & Psalm. 119. *sagitta potentis acuta, cum carbonibus desolatorijs*: maiori enim vi, quàm carbones igniti, cor inflammant. Sponsus charitatis sagittis se transfixum fatetur, Cant 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.* Et rursus sponsa dilecti sponsi sagitta transfixa, & liquefacta Cant. 5. ait *Vulnerata charitate ego sum.* Primi Regum 20 Ionathas sagittas intra se, amoris symbolum voluit esse apud Dauid: sagittas verò vltra, signum odij. D. Augustinus sagitta dilectionis Christi transfixus, cor transfixum sagitta pro stemmate elegit. Quare in dilectionis arte adeò peritus meritò quærit, cur sagittæ symbolum sint amoris, cum amor dulcedine repleat, sagitta verò dolore? Cui quæstioni respondet, quòd ex amore, & absentia amati procedit dolor. Hinc vulnus amoris, hinc dolor, hinc languor, donec vnio cum dilecto dolorem mitiget, & dulcedine repleat.

Sunt pestis & velocitatis. *Sagitta potissimum symbolum sunt amoris.* *Psal. 37.* *Psal. 119.* *Cant. 4.* *Cant. 5.* *1. Reg. 20.* *D. Aug.*

Est tamen & alia ratio huius symboli, quia in præsenti vita ea est diuina voluntas, & dispositio, *vt quos diligit, hos corrigat, & castiget.* Statim vt Dominus vocauit ad se Moysem, ostendit illi ignem, & spinas, Abraham probatus in immolatione filij vnigeniti Isaac, Iacob, & Ioseph plures afflictiones perpessi sunt: Dauid sæpè à Saul in mortē quæsitus est, Daniel in lacum leonū missus: Iob in sterquilinio lepra percussus c 30 ait, *pharetrā suam aperuit, & afflixit me.* In summa Iudith. 8. dicitur; omnes,

Apoc. 3. *Exod. 3.* *Iob 30.* *Iudith. 8.*

omnes, qui tibi placuerunt, per multas tribulationes transierunt. Tribulatio nutrimentum est iustorum, & veluti primum lac, quo in hac vita filij Dei dum paruuli sunt, nutriuntur. Sicut enim prouida natura pro diuersitate animalium varia prouidit alimenta, talpæ terram, piscibus aquam, Cameleoni aerem, Salamandræ ignem: sic iustorum cibum labores, & tribulationes esse voluit. Amicos suos non vult diuina maiestas esse desides, neque delitiosos: *No quiere sanctos de pinzel, ni regalados, si no de buril, sinzel, hacha, y escoda, passados por fuego, hierro, y saetas.* Et sic per tribulationes confirmatur diuinus amor, & amicitia. Vnde ait, *confirmasti super me manum tuam.* Vbi manus Domini vindictam, flagella & tribulationes explicat: & simul amicitiæ symbolum: sic enim solent per mutuam manuum connexionem amicitiæ conciliari, & confirmari. Eisdem coloribus, & indumentis vti similibus, signum est amicitiæ. Hoc est quod Paulus ait ad Rom. 8. *quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Cuius rei mirabilis figura habetur Exod. 25. vbi calami procedentes ex candelabro erant eiusdem operis, atque ipsum candelabrum; nempe ex auro purissimo ductili. Vbi per aurum charitas, per ductile labores, & tribulationes explicantur. *Oro fino, tirado, passado por estrecho, amor examinado por trabajos:* hæ sunt viæ, quas Christus Dominus in euangelio docet: per quas iustos, & amicos in beatitudinem perducere disposuit: de quibus Paul. ad Hebr. 11 cum gloriosum, & celebrem sanctorum catalogum recensuisset, *quorum alij ludibria, & verbera experti insuper, & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt; in occisione gladij mortui sunt: alij circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ.* Tandem subdit: *hi omnes testimonio fidei probati inuenti sunt.*

Tribulatio nutrimentum est, & lac iustorum.
Simile.
Rom. 8.
Exod. 25.
Heb. 11.

Secundò dulcescunt tribulationes ex consideratione præmij, quod iustis in beatitudine propositum est: sic enim ait Christus in euangelio hodierno, *gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cælo.* Sagittæ ergo

Ex cõsideratione æterni præmij labores

ergo Sebastiani martyris pignora sunt beatitudinis, & Diuini amoris. Hieron. in illud Psal. 74. *calix in manu Domini vini meri plenus mixto*, docet, quòd amicis suis solet Diuina benignitas calicem rigoris in calicem misericordiæ immiscere, atq; commutare: non vt labores, & tribulationis auferat: sed vt plus habeat solatij, amoris, atq; deliciarum, quàm rigoris, & supplicij. Impij quidem sagittas excutere nituntur, sicut cerui sagittis percussi herbam Dictamnum tanquam præsentissimũ antidotum contra venenum comedunt. Iusti verò patienter tolerant, & tanquam pignus amoris suscipiunt: & in ipsis sagittis manum diuinæ dilectionis, solatij, & auxilij experiuntur: sicut Iob expertus c. 13. dixit: *manus Domini tetigit me*: & nunc Sebastianus ait *sagitta tua infixa sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam.* *& tribulationes dulcescũt.* *Hieron.* *Iob. 13.*

Tandem sagittæ velocitatis sunt symbolum. Quare Armeni sagittam Tigrim vocant rapidissimum flumen, & velocissimum animal. Et sapient. 5 velocitas vitæ præsentis per plura similia explicatur, atq; inter cætera per sagittæ velocitatem: *transierunt omnia illa tanquam vmbra, tanquam nuncius præcurrens, nauis, auis, aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum.* Sic de sanctis Apostolis, & martyribus, qui summa velocitate ad Christum cucurrerunt, dicitur in Psalm. 126. *cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filij merces fructus ventris* Ecce quasi digito ostendit beatitudinis præmium præsentissimum adesse paratum De velocitate verò, qua illud amici Dei consequuntur per medias tribulationes, statim subiungitur: *sicut sagitta in manu potentis, ita filij excussorum.* Sancti satis propriè sagittæ vocantur: Tum quia mundum, carnem, & diabolum, atq; peccata virtutum sagittis transfixerunt, tum quia Tyrannos, & persecutores sagitta constantiæ, atq; patientiæ, vulneratos vicerunt: tum deniq; quia maiori velocitate, quam sagittæ ad Christum transuolarunt. De his intelligitur satis commodè locus Esaiæ 66 *mittam ex eis tenentes sagittam.* Dicuntur verò filij excussorum, siue filij excussi per martyrium: sicut granum frumenti tribulo contritũ excutitur palea. Vel dicuntur excussi, id est expediti, qui se se à terrenis omnibus excusserunt, vt ad *Sagittæ velocitatis sunt symbolum.* *Sap. 7.* *Psal. 126.* *Sancti, & potissimũ martyres meritò vocantur sagitta.* *Esai. 66.*

Christum, expediti sicut sagittæ currerent. Sicut enim ait D. Greg *mala, quæ patimur, ad Deum nos ire compellunt.* Hoc est quod Abacuc. 3. dicitur *in luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* Et concinit locus Ezech 1. *De igne egrediebatur fulgur*, id est de igne charitatis egreditur fulgur tribulationis. Fulgur quidem timore percutit, sed lucem habet: sicut in nocte tempestuosa itinerantibus contingere solet, vt fulgura ipsa quamquam timorem incutiant, luce tamen sua iter ostendant: similiter tribulatio, quamquam non est gaudij, sed mœroris, patientiam tamen operatur, & viam ad beatitudinem ostendit. Hoc est quod dicitur Psalm. 76. *sagitta tua transeunt, vox tonitrui tui in rota:* & subditur, *illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ.* Vbi vtrumque explicatur: & tribulationum velocitas velut rotæ, & sagittæ: & lux, qua iustis ad beatitudinem viam ostendunt. Atque ea ratione satis commodè in columna illa celebri nubis, & ignis, quæ filios Israel in terram promissionis perduxit, figuratæ sunt: tribulationes enim ignem habent, qui exurit, & affligit: sed ignem quoque diuini amoris habent, qui lucem habet diei: & nubem diuini solatij, & protectionis. Hæc est columna firmissima, quæ recto itinere amicos Dei in beatitudinem perducit: atque ex tribulationibus calcaria efficit ad currendam viam. Sic gloriosus Sebastianus sagittas suas, quamquam instrumenta mortis ex natura sua, in pignora tamen amoris conuertit: illique fuerunt veluti calcaria, pennæ velocissimæ, lux, & vita, quæ per splendorem, & lucem charitatis, & gratiæ perduxerunt ad claritatem gloriæ.

D. Greg. *Abac. 3.* *Ezech. 1.* *Simile.* *Psal. 76.* *Exod. 13.*

IN EODEM FESTO,

CONCIO SECVNDA.

THEMA.

Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra multa est in cælo. Luc. 6.

HODIE impletum est verbum Esaiæ. 2. *erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium: & fluent ad eum omnes gentes.* Christus Dominus mons firmus est domus Domini, id est Ecclesiæ: vel virginis sacræ, de qua præcisus est lapis ille Danielis 2. *qui creuit in montem magnum*: & apparuit in vertice montium, id est Ecclesiæ: vel in monte Thabor: quò plurima turba confluxit, *vt audiret eum, vt sanaretur à langoribus suis.* Postquam ergo Dominus in montis vertice pernoctauerat in oratione Dei, & duodecim discipulos elegerat, quos & Apostolos nominauit: longumque sermonem ad eos habuerat, quo vias octo ad beatitudinem explicuit, narrat Lucas Euangelista descēdisse de monte, stetisseq; *in loco campestri*, atq; quatuor beatitudines turbis proposuisse: nimirum paupertatis, famis, lacrymarum, & persecutionum: & quia supremus gradus tribulationū est odio haberi, separari exprobrari, & nomen eiici *tanquam malum propter filium hominis*: statim solatio & spe replet dicens, *gaudete in illa die, & exultate: quoniam merces vestra multa est in cælo.* Quæ verba, & Christi promissio gloriosum Sebastianum adeò fortem, & constantem in duplici martyrio reddiderunt: vt inuicto animo ex duce temporalis militiæ in ducem, & principē Christianæ militiæ per martyrium sagittarum, & virgarum gloriosè trāslatus sit. Vt ad Dei optimi, & martyris gloriam verba proposita explicare valeamus Spiritus sancti auxilium inuocemus, ad montem illum accedentes, à quo lapis Christus excisus est sine manibus, sacram (dico) virginem, dicentes: *Aue Maria.* Esai. 2. Daniel. 2.

Sanctorum martyrum Fabiani, & Sebastiani gloriosum diem recolimus, quo per temporalem mortem æternam vitã, & gloriosam palmam adepti sunt. Hi sunt fortissimi duces, inuictissimique principes, quorum sanguine muri Ecclesiæ fundati, & stabiliti sunt. Vt meritò

Esai. 53. Euangelicus Propheta c 53 Saluatoris Christi passionẽ præuidens, generationis Ecclesiæ, quæ Christi sanguine instituenda erat, miretur dicens, *generationẽ eius quis*

Esa. 54. *enarrabit?* Statim enim c 54. sic Deus alloquitur Eccle-

Fortitudo ecclesia firmissima habet fundamenta. siam persecutione vastatã, *paupercula tempestate conuulsa, & absq; vlla consolatione: ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, ponam iaspidẽ propugnacula tua: & fundabo te in Saphiris.* Fortitudo Ecclesiæ altiora fundamẽta habet, quam terrena ædificia. Temporalis namque fortitudo in vita, & viribus ducum, & militum sita est. At verò fortitudo Ecclesiæ in morte, & sanguine Christi, Apostolorum, & martyrum stabilita. Quare illius fortitudo fortitudini iaspidis comparatur: tum quia fortissimus lapis est: tum quia sanguineis guttis conspersus. Vn-

Apoc. 21. de Apoc. 21. *erat structura muri illius ex lapide iaspide.* Adhuc tamen fortitudo Ecclesiæ iaspidis fortitudinem in immensum excellit. Iaspis enim ferro cedit: animus verò martyrum stetit semper inuictus: vt alium pati, aliũ loqui crederes. Hi sunt propugnacula argentea, de qui-

Cant. 8. bus Cant. 8. dicitur: *soror nostra paruula est, & vbera non habet:* sic enim initio nascens Ecclesia paruula erat. Et murum quidem Apostolorum habebat: deficiebant tamen illi propugnacula martyrum. Vnde subditur, *si murus est,* scilicet Apostolorum: *ædificemus super eum propugnacula argentea:* id quod per gloriosos martyres impletum est. Fuere enim fortissima Ecclesiæ propugnacula, splendidissima, ideoq; argentea dicuntur propter puritatem splendorẽ, & gloriam. Inter hos fulgent inuictissimi martyres Fabianus, qui miraculosæ columnæ indicio in Summum Pontificẽ electus per quatuordecim annos sedem Petri tenuit: vitæq; exemplo, & miraculorũ luce cõspicuus Ecclesiam Dei illustrauit: atq; sub Decio passus est anno Dom. circiter ducentesimo quadragesimo quarto. Fulget & glorios⁹ Sebast. mart. qui pro Christi nomine sub Diocleciano Cæsare sagittis cõfixus ferreis-

ferreisq; Virgis flagellatus circa annũ Domini circiter trecentesimum martyrio coronatus est. Hos cœlestes Athletas, fortissimosq; duces Ecclesiasticę militię Christus esse voluit, atq; cœlestis præmij magnitudine proposita constantes, & inuictos reddidit, dicens: gaudete, & exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlo: illorumque exemplo infirma corda nostra ad laborum tolerantiam eleuat, & confirmat præmij æterni magnitudinem nobis proponens, cuius spe gaudere, & exultare debemus.

Paulus Apostolus ad Galat. 5 inter duodecim fructus Spiritus gaudium annumerat, dicens: *Fructus Spiritus est charitas, gaudium, pax,* &c. Fructus verò dupliciter dicitur, (vt ibi eleganter docet Angelicus Doctor) primò acquisitus ex labore proprio, vel studio: de quo Sapient. 3. dicitur: *Bonorum laborum gloriosus est fructus.* Alter fructus est productus, vt ex arbore: sicut Matth 7. dicitur: *Non potest arbor bona malos fructus facere, neq; arbor mala bonos fructus facere.* Fructus adeptus habet rationem vltimi finis, non tamen fructus productus: est tamen vltimum, quod arbor producit, & simul importat delectationem gustus, atque adeò nomen fructus connotat duo, nimirum id, quod est finale, & suaue. Ea ratione præmia beatitudinis fructus dicuntur. De quibus cœlestium secretorum contemplator Ioannes Euangelista, Apoc. 22. ait, ostensum sibi ab Angelo *fluuium aquæ Vitæ splendidum tanquam crystallum procedentem de sede Dei, & agni, in medio plateæ eius:* de quo dicitur in Psal. 35. *Torrente Voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons Vitæ.* Subditque Euangelista: *Ex Vtraq; parte fluminis lignum Vitæ afferens fructus duodecim per menses singulos.* Inter hos duodecim fructus gaudium numerat Apostolus, quod quidem verè fructus est Spiritus sancti, quia præmium est, & finis laborum, & ineffabili suauitate plenus. Gaudium enim ex amore charitatis, atque ex præsentia, & coniunctione amati nascitur: vt docet S. Thom. 1. 2. q. 70. art. 3. Consurgit verò gaudium ex duobus: primò ex securitate perturbationum, quæ nunquam poterunt gaudium intercidere, impedire, aut perturbare: eiusmodi verò est solum gaudium patriæ, cœlestis-

Ad Gal. 5.
S. Thom.
Matth. 7.
Fructus duo connotat, finale, & suaue.
Apoc. 22.
Psal. 35.
Gaudiũ ex dilectione, & præsentia dilecti nascitur.
S. Thom.

leſt.ſque beatitudinis. Gaudia enim vitæ præſentis mil-
le periculis obnoxia ſunt, multiſque triſtitijs, vitæque
1.ad Cor.7 moleſtijs interciduntur. Quare Paulus 1. ad Corinth.7.
meritò dixit: *Qui gaudent tanquam non gaudentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur.* Præterit e-
nim figura huius mundi. Et Iob c. 21. dicitur: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt:* & Pro-
uerb cap. 14. *Extrema gaudij luctus occupat, & riſus dolore miſcebitur.* Cœleſtis verò patriæ gaudium ab omni
perturbatione tutiſſimum eſt: ſicut Regius vates Pſalm.
Pſal.147. 147. cecinit, dicens: *Lauda Hieruſalem Dominum, Lauda Deum tuum Sion, quoniam confortauit ſeras portarum tuarum:* quaſi dicat, contra omnes hoſtium, periculorum, atque perturbationum incurſus cœlorum portæ
firmiter clauſæ ſunt, quare iugi pace, atq; perpetua tran-
quillitate fruuntur. Quare ſubdit, *qui poſuit fines tuos pa-*
Apoc. 21. *cem* Hoc eſt, quod Apoc cap 21 audiuit Ioannes: *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit vltra,*
Apoc.7. *quia prima tranſierunt.* Et ca. 7. *Non eſurient, neq; ſitient*
amplius, neq; cadet ſuper illos ſol, neq; vllus æſtus. Et Eſa.
Eſa. 25. cap. 25. *Præcipitabit Dominus mortem in ſempiternum, & auferet lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi ſui auferet.*

Gaudium oritur ex ſatietate deſiderij. Gaudium deinde oritur ex ſedatione, ſatisfactione, atq; ſatietate deſiderij. Ad hoc verò requiritur, vt res amata ſufficiens ſit amanti, & quæ amplitudinem deſiderij replere omnino poſſit. Id quod ſola Dei optimi præſentia humanæ voluntatis ſiti, atque deſiderio præſtare poteſt. Ex illius enim præſentia, & vnione ineffabile illud, & plenum gaudium oritur, quod beati omnes ſumma cum exultatione fruuntur: de quo in Pſal. 80. *Aperi os*
Pſal. 112. *tuum, & implebo illud.* Et iterum: *Qui replet in bonis deſi-*
Pſal.77. *derium tuum.* De quo Pſal. 77. *Deſiderium eorum attulit eis, non ſunt fraudati à deſiderio ſuo.* Hoc eſt plenũ illud gaudium de quo Pſ. 86. *Sicut lætantium omnium habitatio eſt*
Auguſt. *in te.* Meritò D. Auguſt. illud *verum gaudium* eſſe dixit, *quod non de creatura, ſed de creatore ſuſcipitur.*

Magnum quidem ſolet eſſe gaudium agricolarum, quo cum fructus optatos percipiunt, & in horrea inducunt,

eunt, exultant Sic Esa 9 dicitur: *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, comparat quoq; gaudio victorum, sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia.* *Esa. 9.*
Similiter Dauid cecinit Psal. 125. *Venientes venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Solent alios delectare conuiuia, sed neq; hoc gaudium deerit beatis: nam *Psal. 125.*
Esa. c. 25. *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, conuiuium pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ:* Et *Esa. 25.*
Psal. 41. *In voce exultationis, & confessionis, sonus epulantis.* *Psal. 41.*
Quod si alios musica, & odoramenta delectant, ibi hymnidici Angelorum Chori, & viginti quatuor seniores cadentes in facies suas, qui iugiter adorant *viuentem in secula seculorum: habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorũ, quæ sunt orationes sanctorum:* & *Apoc. 5.*
Apoc. ca 19. audiuit Ioannes *vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum* sæpius repetentem *Alleluia:* & cap. 14. audiuit *tanquam vocem aquarum multarum, sicut citharædorum citharizantium in citharis suis.* Ibi laus iucunda, & perpetua. Ibi montes aromatum, & thuris, Cant. 8. *Apoc. 19.* *Cant. 8.*

Tandem si dulcis amicorum conuictus, & secreti pectoris reuelatio oblectare solet: beatis in patria altissima Trinitatis mysteria, necnon & Incarnationis diuini Verbi manifestantur: impleturq; illud Esa. 45. *Dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum: vt scias, quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel.* Hoc est quod Apostolus 1 ad Corin. 2. ex Esai. cap. 64 dixit: quod *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽdit, quæ præparauit Deus his, qui diligũt illum: nobis autem reuelauit per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei.* Bona quidem terrena sensu percipimus, intellectu comprehendimus, & cum inferiora sint corde nostro, in cor hominis ascendunt, ibique nobilius esse habent, quam in seipsis Bona verò diuina neque sensu, neque intellectu comprehendi possunt, neq; in cor nostrum ascendunt: imò potius descendunt, vt Iacobus c. 1. dixit: *Omne datum optimum, & omne donũ perfectũ desursum est descendens à Patre luminum* Ille siquidem est, de quo Iob cap. 36. ait: *In manibus abscondit lucẽ,* *& an-* *Gaudia cœlestis patria omnẽ habent, & suauitatẽ.* *Esa. 45.* *1. ad Cor. 2.* *Iacob. 1.* *Iob 36.*

& annuntiat de ea amico suo, quod possessio eius sit, & quod ad eam ascendere possit. Vt enim cor humanum percipiat diuina mysteria, opus est, vt suprà seipsum ascendat, & eleuetur: *Maior enim est Deus corde nostro*: vt dixit Ioannes Apostolus 1 cap 2. Ascendit verò intellectus noster per diuinam reuelationem, & eleuationem: vnde dixit Paulus: *Nobis autem reuelauit per Spiritum suum* Reuelauit etiam per Redemptorem nostrum Christum, qui Doctor & præceptor Ecclesiæ à Patre datus, dixit: *Ecce merces vestra multa est in cælo.*

1. Ioan. 2.

Vbi præmij cœlestis exuberantiam, gaudiiq; plenitudinem explicuit Dominus, non solum dicens, copiosam esse mercedem, & multam, sed & geminatione illa, *gaudete, & exultate*, gaudij plenitudinem expressit. Geminatio enim emphasin habet, & augmētum explicat, sicut Hier. 2. *Scientes scietis:* & Psal 125. *Venientes venient cū exultatione portantes manipulos suos.* Præmij etiam excellentiam, & redundantiam Lucæ 6. explicuit Dominus: *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Tam plena erit mēsura, quod eam non capit mens, neque intellectus, nisi eleuetur per lumen gloriæ. Tam excelsum præmium nunquam Moyses Israelitis promisit, non Trismegistus Ægyptijs, non Pharonęus Gręcis, non Solon Atheniensibus, non Licurgus Lacedæmonijs, neq; Numa Pompilius Romanis id promittere potuerunt. Solus Christus, Rex Regum, & Dominus dominantium, æquali potestate ab æterno Patre accepta, cœlestis beatitudinis plenam mercedem polliceri potuit. Et iuxta plenitudinem præmij est quoq; mensura gaudij: quare in homine concludi non potest, quia incomprehensibile. Ea ratione Dominus ait Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui* per luminis enim diuini participationē homo in illud intrat. Quare futuræ illius gloriæ contemplator Paulus, & in tertium cœlum raptus, quanquam plures labores, tribulationes, & carceres expertus, ad Rom. 8. ait: *Existimo enim, quod nō sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis* Cuius rationem 2. ad Corinth. 4. explicuit, dicens: *Id enim, quod in præsenti momentaneum est, & leue tribulationis nostra, supra modū in sub-*

Hier 2.
Luc. 6.
Cœlestis præmij gaudijq; immēsitatem nō capit intellectus humanus, nisi eleuetur.
Matth. 25.
Ad Rom. 8.
2. Cor. 4.

in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt. Meritò ergo non solum adeptione tanti præmij exultant beati, sed & illius spe gaudere iustos, docet Paulus ad Rom. 12. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* ***Ad Ro. 12.***

Imò Caietanus in hæc verba Luc. 6 *Gaudete, & exultate*, docet præceptum hoc gaudij impletum in Apostolis, & martyribus pro Christo patientibus, qui in patibulo non solum constantes, sed gaudio pleni; & quasi ad epulas inuitati supplicia alacriter; & cum exultatione sustinebant, quasi oculis contemplantes præmium sibi paratum à Christo promissum, & sibi quasi digito ad oculum ostensum. Sicut habetur Act. 5. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati* Id quod per fidem intuens Regius vates, quasi audito cœlestis patriæ nuntio totus exultans per spem concinebat, Psal. 121. *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.* Hac spe gaudebat Paulus, & cœlestis præmij certitudine exultans, 2 ad Timoth 1. *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est, depositum meum seruare in illum diem.* Eadem spe armati gloriosi martyres Fabianus, & Sebastianus tribulationes, & tyrannorum supplicia contempserunt: imò ad pœnas, & verbera vsque ad sanguinis effusionem exultantes cucurrerunt. Horum exempla, animiq; fortitudinem nobis hodie sacra proponit Ecclesia, vt iuxta Pauli Apostoli doctrinam ad Hebr. 12. *Deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta; atq; in dextera Dei sedet* Inde nos vocat, & dexteram porrigit per gratiam, ostendens æterna gaudia gloriæ. ***Caietan.*** ***Psal. 121.*** ***2. Tim. 1.*** ***Hebr. 12.***



IN

IN FESTO GLORIOSI ILLEFONSI ARCHIEPISCOPI TOletani,

CONCIO VNICA.



QVANQVAM in solennitate Diui Illefonsi concinitur Euangelium, *Vos estis sal terra*, de quo in communi doctorum dicemus dante Domino, cęterum, quia in Ecclesia Toletana, quæ ipsum, vt patrem, pastorem, & Archiepiscopum agnoscit, magnaq; cum celebritate veneratur: Dominica infra ipsius octauas concio haberi solet, ne solennitas proprij diei longior reddatur: occurrente concione Dominica tertia post octauas Epiphaniæ ex Euangelio Matth. 8. elegi pro Themate verba illa.

THEMA.

Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei? Matth. 8.

DE celebri illa Regina Cariæ Arthemisa legimus, quod pio affectu in virum suum Mausęolum ducta, Græcis oratoribus præmia proposuit illis largienda, qui in mariti laudibus celebrandis cęteros vincerent. Quantò potiori iure alma hęc Toletana Ecclesia Diui Illefonsi dilectissima sponsa optabit, vt omnes diuini verbi oratores in sanctissimi sponsi sui laudibus perorandis omnes Rhetores, & tam Latinos, quam Græcos oratores: imò & pro laudum, & encomiorum dignitate seipsos superent? Vt igitur tanti Pontificis laudes pro votis dignissimæ sponsæ persequi valeamus: sacrum lapidem, vbi gloriosissimæ Virginis stete-

runt

runt pedes, cum inuictissimum defensorem suum Illefonsum cœlesti veste induit, veneremur, ipsamq; Dei genitricem deprecemur, vt Spiritus sancti gratia de cœlo nos induat, dicentes: *Aue.*

De beatissimo Illefonso Toletanæ Ecclesiæ Archiepiscopo, patrono, & protectore hodierna die dicturus prædicta verba elegi: quę quãquam de Christo Domino dicta sunt, cum vẽtis, & mari imperauit: & *facta est tranquillitas magna:* cuius qualitas ipsis quoque Angelis inenarrabilis est: est enim æqualis æterno Patri, splendor gloriæ, & figura substãtiæ eius: Cæterum cũ ipsius dono, & gratia D. Illefonsus ad sublimem adeò gloriã in Ecclesia militante, & triumphante euectus sit, mutuata dignitate, atq; qualitate a Christo Domino totius gratię fonte primario, & authore, qui nomẽ suum lucis Apostolis, & Ecclesię doctoribus liberaliter impartitur, verba quoque admirationis, quæ de ipso dicta sunt, ipsius pastori, & Doctori, almæque Dei genitricis defensori meritò accommodare possumus: vt illius priuilegia, eximiamque dignitatem, & singularia gesta contemplantes dicamus: *Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* Hebr. 1.

Cum almæ huius Ecclesiæ maiestatem, sanctitatem, modestiam, morum grauitatem, diuini cultus excellentiam, mirabilemq; in omnibus splendorem intueor, videre mihi videor proceram illam arborem, quam vidit Nabuchodonosor, Dan. 4. *Ecce arbor in medio terra, magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cælum. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & esca vniuersorum in ea. Subter eam habitabãt animalia, & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cæli, & ex ea vescebatur omnis caro.* Toletana Ecclesia in media Hispania sitũ habens arbor in medio terræ meritò dici potest. Sic enim videtur disposuisse diuina sapientia, vt Romana Ecclesia capitis locũ obtineat: Toletana verò veluti cor in medio situm habeat, vbi vigent vitales Spiritus, quos communicat vniuersæ terræ. Magnã vtiq; arbor, & fortis præsulum, atq; ministrorum maiestate splendens, diuitiarum tam spiritualium, quam temporalium potentia, & fortitudine fulgens. Folia cæremoniarum, musicę, & sacrarum reliquiarum pulcherrima. Fructus diuini Dan. 4.

cultus,

cultus, orationum, virtutumque nimius. Esca vniuersorum tam spiritualis per doctrinam, & exemplum, definitionesque sacrorum conciliorum, quam corporalis pro tot ministris, collegijs, pauperibus, atque pueris expositis, qui ex bonis huius Ecclesiæ aluntur, tam copiosa est: vt verè dici possit: *Esca vniuersorum est in ea, & aspectus illius vsque ad terminos vniuersæ terræ.* Neque desunt aues, quæ conuersentur in ramis eius, siquidem præclaros cantores habet, qui perpetuo iubilo laudant Dominum; habet & ministros iustos, & sanctos, quorum *conuersatio in cælis est.* Sanctitas verò huius Ecclesiæ ex radice sancta originem trahit: sicut Paulus ait ad Rom. 11. *Si radix*
Rom. 11. *sancta, & rami.* Multum vtique conducit tam in plantis, & arboribus, quam in equis, canibus, & hominibus; bonam habere radicem, bonosque progenitores. Generosi enim parentes, vt in plurimum filios sibi similes generant, virtusque, & sanctitas progenitorum quasi in
Tob. 2. filios transfusa multum iuuat, vt sint sancti. Sic Tobias cæcitatem, & opprobria cognatorum patienter ferens; dicebat: *Filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam*
Eccl. 44. *mutant ab eo.* Et Eccl. 44. *Viri misericordiæ, quorum pietates non defuerunt, cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum.* Sanctitas ergo, quam velut hæreditario iure hæc Ecclesia profitetur; & fructus proceræ huius arboris radicum sanctitatem manifestè comprobant. Habet enim altissimas, sanctissimasque radices, nimirum corpora Sanctorum, maximè Eugenij martyris primi patris, & pastoris huius Ecclesiæ, & gloriosæ Virginis, & martyris Leocadiæ; plurimorumque martyrum, & Sanctorum reliquias. Habuit sanctissimos Pontifices, & pastores, Eugenium, Iulianum, atque gloriosum Illefonsum, qui non tantum in seipso radix sancta est, & pater Toletanæ Ecclesiæ, sed sanctitate sua meruit, vt hæc Ecclesia sanctiorem aliam radicem fœlicissima sorte obtinuerit, nempe sacram Dei genitricem Mariam, quæ in illam visibiliter descendens, splendidissima præsentia sua consecrauit, sanctificauit, & in æternum decorauit. Illi meritò concinimus: *Salue radix sancta, ex qua mundo lux est orta.* Atq; ipsi Virgini respectu almæ

almæ huius Ecclesiæ satis aptè conueniunt verba, quæ habentur Ecclesiast 24. *Radicaui in populo honorificato.* Eccl. 24. Eam radicem Iesse vocare possumus, ex qua Christus virga paternę virtutis egressa est, & verus *flos campi* ascē- Esa. 11. dit. Ab hac sanctissima radice bona omnia proceræ arboris huius sanctissimæ Ecclesiæ procedunt: *Hinc folia pulcherrima fructus nimius, & esca vniuersorum oriuntur:* quare optimo consilio, & cœlesti consideratione ducta hæc Ecclesia in stemmatibus suis sacram Virginem habet; Diuum Illefonsum ipsius genibus prouolutum, cœlestem illam vestem induentem. Sed iam ad verba Thematis accedamus

Serenissimus Rex Dauid Psal. 138. diuinam prouidentiam erga genus humanum summoperè exaltat, quod vbiq; locorum creaturas omnes constituerit, vt ab obliuionis somno nos excitent: quo in summi Dei cognitionem, & dilectionem rapiamur: *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris* Multum quidem diuinę bonitati debemus, quod cœlum & terram in hominum obsequium creauerit: imò & ipsos Angelos administratorios Spiritus esse voluerit, in ministeriū missos *propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis:* vt Apostolus dixit ad Hebr. 1. Multò tamen maioris dilectionis pignora nobis exhibuit, dum creaturas omnes magistras nostras, atque excitatrices esse voluit D Basilius in principio Prouerbiorum, Hieronymus, & Ambrosius docent, quod in omnibus rebus, & negotijs diuina prouidentia Christianæ disciplinæ scholam constituit Chrysostomus quod *magna in omnibus latet philosophia.* D. August. *Cœlum, & terra, & omnia mihi dicunt, vt amem te.* D. Bernardus mundum vocat librum communem, vt omnes in eo legamus diuinam sapientiam, potentiam, & bonitatem. Vnde ait, quod mundus iste non tantùm datus est nobis in vsum, & ministerium, sed in magisterium. Nos tamen vsu gaudemus, sed magisterium non requirimus Magnus ille Antonius Eremitarum Princeps mundum vocabat librum manualem cœlestis disciplinæ. Sic Iob cap. 12. mittit nos ad scholam iumentorum;

Psal. 138. Creaturæ omnes in Dei agnitionem, & dilectionē nos excitant.

Ad Heb. 1. D. Basil. Hieron. Ambros. Chrysost. August. D. Bernar. Anton. Iob 12.

torum, dicens: *Interroga iumenta, & docebunt te.* Totusque libet Iob plenus est hac mystica disciplina: Esaias c. 1. ad scholam bouis, & asini nos mittit: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit.* Hierem. cap. 8 ad scholam auium: *Miluus in cælo cognouit tempus suum: Turtur, & Hirundo, & Ciconia custodierunt tempus aduentus sui, populus autem meus non cognouit iudicium Domini. Quomodo dicitis, sapientes nos sumus?* Salomon Prouerb 6. mittit pigrum ad Formicam: *Vade ad Formicam, ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam: quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat:* Regius tandem vates Psalm. 8. ex consideratione cœli; & terræ, cœlestiumque luminarium diuinam prouidentiam, atque dilectionem erga humanum genus agnoscit. Atq; Apostolus Paulus ad Ro. 1. ait: *Inuisibilia ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sempiterna quoq; eius virtus, & diuinitas.*

Esa. 1. *Hiere. 8.* *Prouer. 6.*

Maris cōmoda, illiusq; vsus, & nauigatio diuinā sapiētiam exaltant.

Plurima ergo in mari inter cætera elementa, & maris exercitijs inuenimus, quæ diuinam sapientiam, atq; singularem erga homines prouidentiam prædicant. Primum, quod aquas in vnum congregauerit, piscibusque repleuerit, vt appareret arida terra, quæ herbis, floribus, fructibus, & animalibus homini deseruiret, & mare simul piscibus, varijs delicijs, atq; diuitijs ei similiter obsequeretur. Debemus secundo diuinæ sapientiæ, quod nauigationis disciplinam (vnde tot commoda proueniunt) homines docuerit: sicut Sapientiæ 14. dicitur: *Tua autem pater prouidentia ab initio cuncta gubernat: quoniam dedisti, & in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam. Et vt non essent vacua sapientia tua opera, propter hoc etiam, & exiguo ligno credunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt.* Noe primus arcæ, seu nauis fabricam à Domino accepit, Genesis 6. Danaus filius Beli ex Ægypto in Græciam primus nauim conscendit: ante illum enim ratibus in mari rubro inuentis nauigabant. Alij nauis fabricam Troianis tribuunt. Babylonij nauigijs coriaceis orbicularis per Euphratem commeant. Ægyptij nauigijs ex scirpo, siue

Sap. 14. *Gen. 6.*

siue iunc is, & arundine bitumine confectis vtuntur: sic Moyses in fiscella scirpea bitumine lita in flumen proiectus est, Exodi 2. Longa naui primus Iason vti cœpit: quanquam alij dicunt, quod Semiramis. Triremes Aminocles Corinthius primus inuenit. Alij varias nauium, & nauicularum pro varijs ministerijs inuenere figuras. Cyprij remos, Icarus vela, Dædalus malum, & antennam, frontem acutam Pysæus, anchoras Tyrrheni: Et tecta nauis, quæ Hispanè dicuntur, *cubiertas, y empauesadas*, inuenere Thasij. Diuus Ambrosius in Exameron plura de hac re disserit. Illud verò vnum nauigandi artem maximè exaltat, quod ad prædicationem Euangelij fideique dilatationem fuit maximè expediens. *Exod. 2.* *D. Ambro.*

Neque verò minus debemus diuinæ sapientiæ, quod per visibilem nauigandi artem voluerit spiritualis, & Christianæ nauigationis per medias mundi vndas, tumentesq; fluctus, & varia pericula peritiam de cœlo nos docere. Nam quanquam multa sunt maris visibilis pericula, quæ narrant, *qui nauigant mare*, vt dicitur Eccle-siast 43. Non minora, imò maiora sunt spiritualia, quantò Spiritus præcellit corpus In mari enim mundi variæ sunt tempestates, & venti contrarij. Daniel capite 7. vidit quatuor ventos in mari inter se pugnantes, & quatuor bestias. Quatuor venti, primus ab Oriente amoris proprij: secundus ab Occidente per spem longioris vitæ: tertius est Auster, siue Fauonius prosperitatis: quartus Aquilo frigidus aduersitatis. Quatuor has tempestates ad duas, easque sæuissimas reduxit Iob cap. 37. *Ab interioribus egredietur tempestas, & ab Arcturo frigus.* Arcturus constellatio est septem Pleiadum sub polo Arctico, Septentrionalis, & frigida, quæ Diabolum significat, qui sæuissimas tempestates, nunc aduersitatis, vt contra Iob, nunc prosperitatis, vt contra primum hominem excitare solet. Sæuissima verò tempestas est, quæ ab interioribus insurgit, sicut cum ex profundo maris abysso insurgunt voragines: sic in spirituali nauigatione sæuissima tempestas est ab interiori concupiscentia: quia *caro concupiscit aduersus Spiritum*, ad Gala 5. D. Augustinus in illud Psalm. 80. *Exaudiui te in abscondito tempestatis: pro-* *Spiritualis nauigatio inter mūdi pericula diuinam sapiētiam maximè cōmendat.* *Eccl. 43.* *Iob 37.* *Amoris proprij tēpestas sæuissima.* *Ad Gal. 5.* *D. August.*

baui te apud aquas contradictionis; interior est tempestas occulta, & maximè periculosa.

Sunt & varia monstra, atq; bestiæ quatuor: prima Leæna superbiæ: secunda Vrsus inuidiæ, siue carnis: tertia Pardus auaritiæ, & impietatis: quarta dissimilis multorum capitum, id est, Tyrannorum. Ibi piratæ, id est, Dæmones: ibi syrenes voluptatis, atq; deliciarum: ibi remoræ praui exempli, & iniquæ societatis *Magnis periculis* (teste Ambrosio de fide, & resurrectione) *exposita est humana vita.* D. Bernardus: *Periculum probat transeuntium raritas, & pereuntium multitudo.* Inter tot igitur mundi pericula ingens beneficium diuinæ clementiæ fuit in nauim Ecclesiæ Christi nos inducere, artemq; Christianæ nauigationis nos docere: sicut olim Noe docuit fabricam arcæ, per quam diluuij aquas incolumis euaderet. Baruch 3. *Hic est Deus noster, qui adinuenit omnem viam disciplinæ.* Id quod Dauid Psal. 76. nos edocet, quem composuit pro instructione viri iusti, qui seculi huius procellas superare desiderat: sicut titulus Psalmi insinuat, *Psalmus Asaph, in finem pro Idithum.* Asaph congregatio est, Idithum transiliens eos, id est, Psalmus pro cõgregatione iustorum, qui recto cursu mundi pericula transilire desiderant, atque in optatum patriæ portum peruenire. *In mari via tua, & semita tua in aquis multis, & vestigia tua nõ cognoscentur.* In nauigatione siquidem Christianæ vitæ triplex via est: regia præceptorum, semita consiliorum, vestigia donorum. *Quas videntes abyssi,* id est, Dæmones, & peccatores *conturbantur, & contremiscunt.*

D. Ambro. *D. Bernar.* *Baruch 3.* *Psal. 76.* *In nauigatione Christiana vita triplici via nauigatur.*

Nauis Ecclesia est, de qua Clemens Alexandrinus Epistola ad Iacobum fratrem Domini. Hæc figurata est in arca Noe, in quam per baptismum ascendimus: sicut Petrus Apostolus docet, dicens 1. ca. 3 *Quod & nunc similis forma facit baptisma.* Huius nauis dux Christus est, qui vices suas Petro, illiusq; successoribus Romanis Pontificibus commisit Doctores Ecclesiæ socij sunt, & coadiutores Christi, qui nauim ab hostibus defendunt, scripturæ remis Doctores æquora sulcant. Nauis quoq; Christiana vita est, vt docet Basilius in principio Prouerbiorum: sicut enim tota cõpositio, & fabrica nauis fit super

Clemens. *1. Pet. 3.* *Christiana vita nauis iustorum*

crucem,

crucem, & ex lignis, clauis, & bitumine: sic Ecclesiæ, vitæq; Christianæ fundamentum crux est, & claui Christi: sanguis ipsius, & vnctio Spiritus sancti. Habet arborem, & antennam crucis, acum fidei, qui Christum verum polum semper respicit, iuxta illud Paul. 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate. Anchoram habemus spei tutam, ac firmam*, ad Hebr. 6. Funes, & vincula charitatis, de quibus Oseæ 11. dicitur: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Temonem habet prudentiæ, sedilia iustitiæ, rostrum fortitudinis, remosque temperantiæ, pondus, quod Hispano sermone, *lastre*, dici solet, diuinus timor est, atq; humilitas, vela ex antennis suspensa dona sunt Spiritus sancti: organum pneumaticum, quod, *bomba*, dicitur ad extrahendam aquam, *para desaguar el nauio no se hunda*, pœnitentię Sacramētum est, & confessionis: & tandem cibaria doctrinæ habet, & sacrosanctę Eucharistiæ. Huius nauigationis finis fœlicissimus portus est beatitudo, vt enim ait Apostolus ad Hebr. 13. *Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.*

est, in qua quiescit Christus. *Basil.* *1. Cor. 13.* *Hebr. 6.* *Osea 11.*

Intra nauim hanc Ecclesiæ aliam nauiculam deliciarum suarum fabricauit sibi diuina sapiētia. Hæc est sanctissima Virgo Maria, cui conueniunt verba Prouerb 31. *Facta est quasi nauis institoris de longè portans panem suum.* Attulit enim nobis de cœlo verum *panem Angelorum.* Quod si de iustis dicitur Iob 9. *Transierunt quasi naues poma portantes:* vt explicat D. Gregor. 9. Moralium cap. 24. & Paulus 2 ad Corinth. 2. in persona istorum ait: *Christi bonus odor sumus*; quæ lingua explicare queat cœlestes illos odores supra omnes flores, & aromata, quos immaculata Virgo exemplo, & cœlesti conuersatione sua Ecclesiæ, & cœlo semper emisit contra teterrimos peccatorum fœtores? Quare meritò illi concinit Ecclesia: *Hortus conclusus es Dei genitrix Virgo, emissiones tua Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Hanc cœlestem nauiculam in die Incarnationis suæ Verbum Patris ascendit. In hac dormiuit, quia requieuit, iuxta illud Ecclesiast cap. 24. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Nam si creato primo homine terreno *requieuit Deus ab omni opere, quod patrarat:*

Sacra Virgo nauicula est deliciarū Christi omni odore plena. *Iob 9.* *Gregor.* *2. Cor. 2.* *Cant. 4.* *Eccl. 24.*

quantò potius creato secundo Adamo cœlesti in vtero Virginis requiesceret diuinus amor, cuius *deliciæ esse eum filijs hominum?*

Deinde dicere possumus, quod in vtero Virginis veluti gratissima sibi nauicula dormiuit, quia ibi ex primo instanti conceptionis suę somnum mortis, quam in cruce pertulit, acceptauit, iuxta verbum Pauli ad Hebr 10. *Ingrediens mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi. Tunc dixi, ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam.* Dormiuit Christus in puppi, id est, in cruce: contra ipsum enim exorta est tempestas, quæ ipsum demersit: sicut Dauid prædixit Psalm. 68. Atque vt tyrannorum, & persecutorum tempestates, hæreticorumque procellas contra nauim Ecclesiæ excitatas omittamus: contra dilectissimam Christi nauiculam sacram Virginem Mariam non defuere errorum, & blasphemiarum tempestates. Inter quas non minima fuit hæresis Eluidij sacram, atq; perpetuam ipsius virginitatem negantis, contra quem scripsit D. Hieronymus. Cōfutata verò hæc hæresis, & quasi sepulta rursus ex orco reuocata est per quosdam hæreticos, qui ex Gallia Gotica in Hispaniam venerunt: hi fuere Elladius, & Pelagius, quos libello mira eruditione, & Spiritu diuino pleno de perpetua virginitate Mariæ gloriosus Illefonsus confutauit, atq; ex Hispania relegauit. Vt hęretica tempestate superata possimus de illo meritò quærere: *Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* Ventorum nomine hæreticos intelligere possumus, *qui circumferuntur omni vento doctrinæ:* vt Paulus ait ad Ephes. 4. *Non simus paruuli fluctuantes, nec circumferamur omni vento doctrinæ.* Et Iacob. 1. *Qui hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur.* Mare quoq; sunt hæretici, & infideles, sicut docet Aug. in Ps. 34. Hieron super Amos 8. & super Abacuc 3. & Iudas Apostolus vocat illos *fluctus feri maris.*

Hebr. 10. *Psal. 68.* *D. Hieron.* *Ephes. 4.* *Hæretici per ventos, & mare significātur.* *Iacob. 1.* *August.* *Hieron.* *Iudas.* *Prouer. 16.*

Qualis est hic, &c. *Spirituum quidem ponderator est Dominus.* Cæterum ex signis exterioribus opinari possumus gloriosum Illefonsum excellentiorem sedem inter Sanctos obtinere, siquidem extraordinarijs priuilegijs de cœlo prælatus est. Vt enim taceamus, quod à puero

sanctus

sanctus fuit: atque Recisunthi, Hispaniæ Regis, & totius cleri, & populi Toletani vnanimi voce in pastorem, & Archiepiscopũ Toletanæ Ecclesiæ sit electus, quam per nouem circiter annos sanctissimè rexit: tribus prærogatiuis in præmium obsequij sui in gloriosam virginẽ fuit decoratus. Primũ enim præsente Recisuntho Rege, astãtibusq; pluribus Episcopis, & magnatibus regni in templo D. Leocadiæ, & coram ipsius altari orante Illefonso de sepulchro surgẽs Virgo dixit: per te Illefonse viuit Domina mea. Secundò ex velo illo cœlesti, quo Virgo Leocadia operta surrexit, partem gladiolo Regis Illefonso scindere cõcessum est, quæ quidẽ inter reliquias sacrarij reposita sunt. Tertiò quod quinto decimo Kalend. Ian. cum intempesta nocte ad matutinũ officium sanctus ingrederetur tẽplum, libellumq; deferret, quẽ de Virginis integritate cõtra hæreticos cõscripserat: gratissima Virgo choris Virginũ, & Angelorum stipata, stansq; in sede, vnde Illefonsus ad populũ cõcionari solebat, cœlesti veste illũ induit: in cuius beneficij memoriã festum descẽsionis in Toletana Ecclesia institutũ est vigesima quarta Ian. eoq; die de hoc miraculo dante Domino fusius disseremus. Quæ dona his cœlestibus valeant comparari? Plurima quidem dona attulit regina Saba Salomoni, vt habetur 3. Reg. 10. omnia tamen terrena superat cœleste hoc donũ reginæ cœli, siquidẽ mũdus non est dignus illud videre. Hoc possumus vocare *palliũ laudis pro spiritu mæroris.* Quod si Elisæus ab Elia palliũ suscipiens simul accepit spiritũ duplicẽ, quia plura signa fecit: Illefonsus cum veste sacra duplicia indumenta suscepit, nẽpe corporis, & animę: accepit & dona duplicia, fortitudinẽ cõtra hęreticos, decorem exempli ad ędificationẽ iustorũ, iuxta illud Prou. 31. *Fortitudo, & decor indumentum eius.* Fuit enim vigilantissimus pastor super oues, consolator mœstorum, vnicum auxilium afflictorum, *pater pauperum,* assiduusq; Euangelij prædicator. *3. Reg. 10.* *Esa. 61.* *4. Reg. 2.* *Illefonsus velut alter Elisæus spiritum duplicẽ cum veste suscepit.* *Prou. 31.*

Vestis Iacob adeò odorifera, quod statim, vt pater Isaac sensit vestimentorum fragrantiam, dixit: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam.* *Gen. 27.* Multò maior odor, & benedictio Illefonsi; siquidem

ipse à Virgine sacra indutus Christum induerat, & pauperes induebat, vt vestis illa aptissimum præmium fuerit, & constantiæ fidei contra hæreticos, & charitatis in paupetes exhibitæ. Pulchra fuit vestis Polymita, & discolor, quam Iacob fecit Ioseph filio suo dilecto, Genes. 37 pulchræ quinque vestes, quas Ioseph dedit Beniamin fratri minori, Genes. 45. Sed hæc multo excellentior illis: videtur figurata in veste hyacinthina, cœlestis coloris, quam Sacerdos induebat, Exod. 28 hæc siquidem verè hyacinthina fuit, non solum cœlestem colorem habens, sed de cœlestibus thesauris per manus sacræ Virginis allata.

Genes. 37. *Gen. 45.* *Exod. 28.*

Olim post vniuersalem diluuij cladem, totiusque orbis naufragium columba venit ad Noe in arcam, oliuæ ramum insignum serenitatis, & pacis deferens; sic post hæreticorum tempestatem Virgo sanctissima, cuius *oculi sunt columbarum,* Cant 4 simplicitate, & aspectus puritate columbarum pulchritudinē, nitoremq; superans, Diuo Illefonso tanquam alteri Noe, cœleste indumentum insignū pacis detulit. Noe cessatio, vel requies interpretatur: Illefonsus tempestatem cessare fecit, & requiem intulit, vt verè illi dicamus: *Qualis est hic, quia venti & mare obedsūt ei?* Noe gubernator nauis, Illefonsus Ecclesiæ Toletanæ. Noe (vt Paulus ait ad Hebr. 10.) *aptauit arcam, & iustitia, qua per fidem est, hæres est institutus:* sic Illefonsus aptauit, atq; composuit pacem Ecclesiæ, accepitq; vestem iustitiæ fidei: & quasi hæres Virginis almæ accepit vestem amoris, gratitudinis, & velut cœlestis hæreditatis pignus, quam nulli hominum datur induere, imò nec videre.

Cant. 4. *Illefonsus tanquam alter Noe vestem in præmiū & signum pacis accepit.* *Hebr. 10.*

Dum ergo quæris, *qualis est hic?* vix lingua, nec calamo explicari possit. Fuit enim adeò mirabilis, totq; priuilegijs de cœlo decoratus, vt meritò crediderim illum, vel in gratia fuisse confirmatum, vel magno dono gratiæ à Domino præuentū, ne tot, tantisq; excellentijs publicè, & in omniū conspectu de cœlo collatis euanescerer, aut superbiret: ingenti proculdubiò dono gratiæ, humilitatisque pondere præuentus est. Talis fuit Illefonsus, quod iuxta nomē suum ille defensor per antonomasiam dici potest. Illefonsus enim id sonare videtur, quod ille

Illefonsus, quasi ille defen-

ille defensor, fortis, & inuincibilis virginei honoris propugnator Et ex ipsa interrogatione *qualis est hic*, respōdere possumus, quòd est hic, id est, non solùm ab hominibus, & ab egregijs operibus, sed quasi digito Spiritus sancti de cœlo signatus, vt in ipso impleatur illud Esai. 44. *iste dicet, Domini ego sum: & ille vocabit in nomine Iacob: & hic scribet manu sua Domino: & in nomine, Israel assimilabitur.* Illefonsus enim operibus fidei, & charitatis scripsit manu sua, seque Deo consecrauit. Hic est à Deo electus, & signatus: similis Israeli, siquidem vidit matrem Dei: & velut alter Iacob luctatus cum hæreticis, illis deuictis vestimentorum fragrantiam, & benedictionem à Regina Angelorum suscepit. Hic est quasi alter Ioseph, fide, & castitate, vesteque polymita de cœlo indutus. Hic est veluti alter Elisæus, qui de curru igneo, & splendido sacræ Dei genitricis pallium, spiritumque duplicem, & robur inuictum fidei, & charitatis suscepit.

Ser per antonomasiā dictus.

Esa.44.

Illefonsus tanquam alter Iacob fortis luctator benedictionem meruit.

Hic est denique veluti alter summus sacerdos Onias: cui laudes, quæ de ipso descriptæ habentur Eccles. 50. conuenienter satis aptare possumus. *Siquidem in vita sua suffulsit domum: & in diebus suis corroborauit templum. Templi enim altitudo ab ipso fundata est: duplex ædificatio, & excelsi parietes templi.* Templum (inquam) virginalis integritatis dignitatem, & altitudinem corroborauit: excelsosque parietes contra hæreticos erexit. *In diebus ipsius emanauerunt putei aquarum* puræ, sinceræque doctrinæ: *& quasi mare adimpleti sunt supra modum. Qui curauit gentem suam: & liberauit eam a perditione.* Qui contra hæreticos *praualuit amplificare ciuitatem* Dei sanctificatam: in qua Deus requieuit: *qui adeptus est gloriam in conuersatione gentis. Quasi stella matutina in medio nebulæ: & quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei Quasi arcus pacis effulgens inter nebulas gloriæ: & quasi flos rosarum in diebus vernis: & quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ, & quasi thus redolens in diebus æstatis, quasi ignis effulgens, Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso Quasi oliua pullulans, & cypressus in altitudinem se extollens: in accipiendo ipsum stolam gloriæ, & vestiri eum in consummatione virtutis.* Per manus

Eccl.50.

Illefonsus Oniæ similis.

nus siquidem sanctissimæ Dei genitricis *in ascensu altaris sancti* accepit *sanctitatis amictum*: quo corporaliter indutus spiritualem potissimum accepit amictum sanctitatis, & gratiæ in pignus stolæ gloriæ, qua indutus est in secula seculorum, Amen.

Sacramentum Regis abscondere bonum est: opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificum est: Sicut Raphael Angelus dixit Tobiæ. c. 12. Inter plurima alia, quæ beatissimo Illefonso patrono meo (siquidem ipsius nomen in sacro baptismi fonte fœlici sorte mihi impositum) illud vnum maximè debere addò libenter profiteor, vt si id tacerem, grandis piaculi, atque sceleris meritò redargui possem. Dum enim in academia Salmanticensi iuri Canonico operam darem, initio mensis Ianuarij anni millesimi quingentesimi, agens tunc annũ quintum decimum, dumque immineret iam dies diuo meo Illefonso dicatus, post lectã ipsius vitam cum mecum orationem meditarer, quam in patroni mei laudem ad familiæ meæ domesticos haberem (eam namque laudabilem consuetudinem inter domesticos pædagogus meus adolescens probatæ virtutis instituerat) ex meditatione vitæ, exemplique gloriosi Illefonsi, qui adhuc puer seculum deserens apud Agaliense monasterium Toleti religiosam vitam amplexus est: concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exarsit ignis, quo impulsus, & excitatus scholas, & domesticos deserens est celeberrimum cœnobium Diui Stephani Salmanticensis me contuli: vbi vndecima die eiusdem mensis Ianuarij, prædicatorij ordinis habitum quamquam indignus suscepi. Clementissimus enim Dominus per D. Illefonsi merita me vocare dignatus est vocatione sua sancta: in qua permansi per quinquaginta & duos annos: per omnia sit benedictus Deus. Atque vt diuinæ maiestati, beatissimoque Illefonso maiori adhuc debito sim obnoxius, vmbra cortinarum tabernaculi (*qua sibi ansulis sic mutuò iungebantur, vt cortina cortinam traheret*, vt habetur Exod. 26.) rei veritate completa, pædagogus meus Bernardus à Castro vir litteris, morum probitate, ac religione inter Carthusienses meritò celebris cum aliis tribus, vel quatuor partim amicis, partim domesti-

Tob. 12.

Exod. 26.

domesticis statim, vt ipse beatissimi Dominici habitum suscepi, ille in celebri, atque verè Regali cœnobio *del Paular*, propè Segouiam Carthusiensium ordinem est ingressus: in quo magno cum religionis splendore prioratus munere sæpè, & egregiè ad Dei gloriam functus est. Dumque ambo probationis annum ageremus, Epistolam ad me misit, elegantissimumque dialogum spiritu Dei plenum inter tentatorem, & nouam creaturam in Christo: vt in incepto religionis voto firmus persisterem: atque contra tentatoris insidias, variasque versutias fortiter resistens perseuerarem. Dignum vtique, qui in lucem prodiret. Plurima sunt, quæ beatissimo Ildefonso debeo: neque tot rependere beneficia vnquam potero, neque in ipsius dignè prædicandis encomiis animo meo satisfacere. Proferam tamen iam senex pueriles meas laudes, quas annum agens decimum septimum dialecticas conclusiones habiturus sequenti Hymno decantaui.



HYMNVS

HYMNVS IN LAVDEM D. ILLEFONSI.



Vnc ades, ô magnum decus Illefon-
Totius mundi, potiusq́ nostra(se:
Occidentalis rutilans, & ardens
O iubar ora.
Qui puer cunctis reputare canus:
Tum morum norma, grauitate mentis:
Tum bona curâ studiis nauatâ
Ante sodales.
Quiq́ post sancta studium iuuenta,
Dum times puram maculare vitam:
Vel leui saltem laqueo allegari
Hisce prophanis.
Cœlitus ductus fugiens petisti,
Et latens septo patris effugisti
Sic minus vita catus & dicasti
Te Aggaliensi.
Qui breui longè superare visus
Cæteros fratres probitate vitæ,
Non volens quamuis regis, & benignus
Esse laboras.
Vnde te sanctum tribuens, & aptum
Omnibus patrem, populi vocaris
Voce perdignus Cathedra Toleti
Pontificali.

Munus

Munus hoc tantum strenuè gubernans
Non minùs mitem, facilemq; cunctis
Exhibens, curam vigilem gerendo
Semper in omnes.
Iure sis gratus regiæ parenti
Virgini sacra, sobolíq; summa:
Quam integra scribis peperisse semper
Virginitate.
Fulgidâ veste hinc meritò refulges
Laudis hæc merces Dominæ Mariæ:
Cuius & festum celebrare cunti
Splendida præstat.
Dignus est ergo meritò triumpho
Inter electos gloria decorus,
Magnus antistes, humilisq; custos
Virginitatis.
Tolle iam vocem modulans Toletum,
Tolle tu partim sacra plebs fidelis,
Concinens laudes, gloriosa gesta
Præsulis almi.
Te Deus simplex, pariterq; trine
Semper in sanctis colimus simulq;
Illefonsum per veneramur omnes
Mente serenâ.

Laus omnipotenti Deo, gloriosæ Virgini
Mariæ, & Diuo Illefonso.

IN DESCENSIONE BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ, QVÆ IN Toletana Ecclesia vigesimoquarto die mensis Ianuarij celebratur, & sub alio nomine festum Pacis ex mirabili pace ipso die reddita nuncupatur,

CONCIO PRIOR.

De beatitudine Virginalis vteri.

THEMA.

Beatus venter, qui te portauit: & vbera, quæ suxisti. Luc. 11.



ERBA sunt à muliere sancta prolata; quæ auditis verbis vitæ, visisq; miraculis Saluatoris quasi extra se rapta ineffabilem gratiã in ipsius labijs diffusam admirans, & laudans, in laudem matris ipsius vocem exaltans dixit: *Beatus venter, &c.* Spiritus sanctus linguam, & vocem mulieris rapuit, vt in Dei genitricis laudes erumperet. Vt igitur & nos hodierno die illius præconia dignè celebrare valeamus, ipsius diuini spiritus afflatum per eandem virginẽ supplices inuocemus dicentes: *Aue Maria.*

S. Thom. *Gratitudo virtus sublimis, & cœlestis.* *Cicero.*

Angelicus noster Doctor Thomas. 2. 2. q. 106 excellentiam virtutis gratitudinis meritò commendat: tam ex illustri principio, à quo procedit: oritur enim ex charitate, & dilectione benefactoris: quam ex fine, & obiecto: respicit enim recompensationem debiti, quæ ad iustitiam pertinet. Quare Cic. lib. 2. de inuentione, gratitudinem

tudinem constituit partem iustitiæ. Plerique Philosophi gratitudinem summis laudibus extollunt, ceu virtutem quandam sublimem, & cœlestem: *qua rara auis est in terris.* Seneca lib. 5. de benefic. *multa sunt, per qua, quidquid debemus, etiam fœlicibus reddere possumus.* Arist. item. 8 Ethic. *super excellenti habet fieri honoris retributio: indigenti autem lucri.* Cum igitur diuinæ maiestati adeò debitores simus: sitq; in se ipso adeò diues, superexcellens, & potens, vt bonorum nostrorum minimè indigeat: animi tamē nostri gratitudine maximè delectatur, non quidem propter se, sed propter nos: dum enim ipsum laudamus, honoramus, & gratias agimus, digni efficimur, vt noua, & maiora beneficia percipiamus. Id quod Christus Dominus exemplo suo manifestè nos docuit, dum maiora miracula operaturus eleuatis oculis in cœlum gratias agebat patri. Ea ratione Paul. ad Eph. 5. ad Coloss. 1. & alibi sæpè ad gratiarum actionem nos hortatur: *cum gaudio gratias agentes semper Deo.* Deus ipse per Regium vatem Psal 49 ait. *Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* D. Aug. legit. *ibi via, quà ostendam illi salutare Dei.* Vbi duplex sensus insinuatur. Prior est, quòd per sacrificium laudis sternitur via ad beatitudinem: vbi est æterna salus & vbi beati incessanter laudant Deum, iuxta illud Esai. 51 *gaudium, & latitia inuenientur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.* Secundus sensus est, quòd gratitudo viam aperit, vt diuina bonitas ostendat nobis *salutare Dei:* id est, magnam salutem gratiæ, misericordiæ & bonorum omnium. Id enim sonat vox salutare Dei per exaggerationem, quasi sublimem, & cœlestem salutem: sicut adnotauit Genebrardus, quòd per verbum illud, *Dei*, explicatur insignis, & eximia gratia: atq; adeò de sacrificio altaris propriè intelliguntur ea verba: quia præcipuum est & potissimum laudis sacrificium.

Seneca. Aristot. Ephes. 5. Psal. 49. D. August. Esai. 51. Genebrar.

Sed & gratiarum actio sacrificium laudis est, & adeps cordis, quem sibi Dominus offerri postulat Leuitici. 3. Hermes Trimegistus *non conuenit* (inquit) *thus, & myrrham Deo offerre, nisi gratias agentes adoremus.* Augustinus Epist. ad Marcel. *nihil meliùs dicere possumus, quàm, Deo gratias. Nil meliùs animo gerimus, nec ore proferimus,*

Hermes. Augustin. Nihil me-

lius dicere possumus, quàm Deo gratias. *fatimus, nec calamo scribimus. Nil enim breuius, aut latius audiri, neq; intelligi gratius, nec agi fructuosius potest.* Antiqua vox est Ecclesiæ, Deo gratias: quare per vocum nouitates, non est obliuioni tradenda, neque de medio tollenda: cùm ex Diui Augustini doctrina omnium religionum professores eam vocē ab immemorabili tempore semper celebrauerint, atque in ore, & more habuerint. Gratitudo ergo viam, & Cor Dei aperit, vt gratis animis maiora in dies conferat beneficia. Ingratitudo rursus viam claudit: sicut Sapient. 16. dicitur, *quòd manna, quod ab igne exterminari non poterat, ab exiguo radio solis calefactum tabescebat*: vt omnibus notū esset, quòd oportet præuenire Solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare *Ingrati enim spes tanquam hybernalis glacies tabescet: & disperiet tanquam aqua superuacanea.* Vbi diuina beneficia benedictionis nomine significantur Exod 16 cœlestis illius cibi donum, & conditiones explicantur. Oportebat enim matutino tempore illum colligere Somnolentis, & ingratis liquefiebat, & in aquam resoluebatur. Seneca lib. 3. de beneficijs, *ingrati animi cupiditatibus occupati non quod habent, sed quod appetunt inspiciunt.* Similes sunt suibus, qui in terram proni magna cum auiditate glandes deuotant: ad arborem verò, à qua fructum percipiunt, nunquam oculos eleuant. De his dixit Paulus. 2. ad Timot. 3 *erunt homines se ipsos amantes, & ingrati.* Hos diuina bonitas summopere odit: atque à suis beneficijs procul excludit. Gratitudine verò delectatur. Ea ratione Præcipiet Phase celebrari Exod. c. 12. in memoriam percepti beneficij; cum filij Israel educti sunt ab Ægypti seruitute. Similiter in gratiarum actionem cibi mirabilis de cœlo præstiti iussit seruari manna in arca Exod 17. Atque Iosue 4. de medio Iordanis alueo super humeros duodecim principum iussit totidem lapides vsq; Galgala portari: & seruari: vt cum filij parentes interrogarent, quid sibi vellent lapides illi: responderent, *Vt discant omnes terrarum populi fortissimam manum Domini: quòd per arentem alueum* transiuit Dominus Israel.

Sap. 16. — *Beneficia diuina benedictio dicuntur.* — *Exod. 16.* — *Seneca.* — *2. Tim 3.* — *Exod. 12.* — *Exod. 17.* — *Iosue 4.*

Origo festiuitatis Similiter nobis hodie contingit, cum post solennitatem Diui Illefonsi hesterno die celebratam, festum de-

scensionis

ſcenſionis virginis, ſiue pacis hodierno die colimus: ſimulque veneramur lapidem in hac alma Eccleſia obſeruatum, & antiqua religione patrum veneratū, in quo ſacræ virginis pedes ſteterunt: Interrogantibus, quid ſibi volunt lapis iſte, atque deſcenſionis ſolennitas? Reſpondemus vtiq; quod in memoriam, & gratiarum actionem pro tot, tantiſque beneficiis à ſanctiſſima virgine perceptis: cum de cœlo viſibiliter in hoc templum deſcendit, vt dilectum, & electum virginitatis ſuæ defenſorem Illefonſum cœleſti veſtimento decoraret: ipſiuſque ſponſam Toletanam Eccleſiam deſcenſione ſua, glorioſaq; præſentia conſecraret. Tempore namq; Reciſunthi Regis Hiſpaniæ circa annum Domini ſexcenteſimum quinquageſimum, ipſo die expectationis partus Virginis, quòd feſtum de la, O, communiter nuncupatur, octauo die ante feſtum natiuitatis Domini, dum ad matutinum officium peragendum media nocte pergeret ſanctus Antiſtes, ſacra virgo in ipſius ſede conſiſtẽs cœleſti ſtola ipſum induit. Atq; ne feſtum deſcenſionis ſolennitatem expectationis confunderet, aut impediret, in hodiernum diem beati Illefonſi feſtiuitati coniunctum, maturo conſilio translatum eſt. Acceſſit & alia ratio, quia hoc eodem die anno Domini circiter milleſimo octogeſimo ſexto, quo tempore Alfonſus ſextus Hiſpaniarum Rex Toletum à Sarracenis obtinuerat, reginaq; contra Regis iuſiurandum. Mahometi Ædiculam in templum ſacræ virgini dicatum ab Archiepiſcopo Bernardo conſecrari fecerat: ea occaſione rebus maximè turbatis, cunctiſq; timore perterritis, cū Rex, qui abſens erat, iracundia percitus contra Reginam, & Archiepiſcopum Toletum adueniret: per interceſſionẽ Virginis almæ corda Sarracenorum ad veniam conuerſa ſunt: petitioq; puellæ virginis filiæ Regis, quæ lugubri veſte induta in media ſupplicatione publica Regi obuiam occurrit; flexiſq; genibus patrem, ſupplex orauit; ſic per Spiritum ſanctum directa eſt, vt omnia fuerint compoſita, atq; ad inſperatam, & mirabilem concordiam, & pacem redacta. Ea eſt origo nuncupationis huius feſti deſcenſionis, atq; pacis.

Præſenti ergo ſolennitati, quę pro gratiarum actionẽ

deſcenſionis ſacræ Virginis.

instituta est, satis congruit Euangelium, quod excelsam laudem gloriosæ Dei genitricis continet, eo tempore à fœlici muliere prædicatam, quo scribæ, & pharisæi insigne miraculum Christi obscurare volebant. Tûc factum est, vt mulier quædam spiritu diuino afflata vocem extulerit dicens: *beatus venter, qui te portauit.* Corporalem quidem matris Dei beatitudinem prædicauit, cui Christus Dominus spiritualem generationem contraposuit, & prætulit dicens: *quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Maius est enim Deum mente concipere, quàm ventre: &(vt Augustinus ait) *fœlicior Maria, quia audiuit, & mente concepit verbum, quàm ventre.* Vnde rectè dixit illi Elisabeth. Luc 2. *beata, quæ credidisti.* Nihilominus tamen in almæ Virginis laudibus adeò excelluit fœlix hęc mulier, vt nil altius de ipsa dici possit: quàm quòd sit mater Dei. Hæc enim est dignitas quodammodo infinita: vt docet Sanctus Thomas 1. p q 25. a 6 ad quartum Nam si *filius sapiens lætificat*, & honorat *patrem*: filius infinitè sapiens, infinitam quandam gloriam parentibus communicat. Et sicut æterna generatio filij sibi æqualis in essentia infinita gloria est patris: sic temporalis generatio, qua ipsum Dei filium mater peperit, patris gloriam quodammodo imitatur.

August.

Luc. 2.

S. Thom.

Venter Dei genitricis quadrupliciter fuit beatus.

Quatuor verò modis sacræ Dei genitricis venter beatus fuit: Primo in se ipso, secundò ratione operationis, tertiò ex termino, quartò ratione effectus subsecuti, atque à Deo intenti, scilicet beatitudinis nostræ. Primò quidem in se ipso fuit beatus virginis venter, quia habuit omnem perfectionem possibilem, & imaginabilem: nimirum virginitatis, & fœcunditatis absque vlla imperfectione concupiscentiæ, virilis seminis, grauedinis, doloris, vel corruptionis. Vnde versus:

Partus, & integritas discordes tempore longo
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Ecclesia similiter concinit, *nesciens mater virgo virum, peperit sine dolore Saluatorem seculorum, ipsum regem Angelorum sola virgo lactabat, vbere de cœlo pleno.* Et in prosa natiuitatis concinit: *sicut sydus radium profert virgo filium pari forma.* Templum est totum auro cooper-

coopertum, mirisque virtutum cælaturis ornatum. Ibi malleus non est auditus: hic integritas seruata, tacitoq; illapsu Spiritus sancti *Verbum caro factum est*. Hæc arca est odorifera testamenti, in qua lex, virga, & manna. *3. Reg. 6.* Porta est orientalis clausa. *Hortus conclusus, fons signatus*, & præter excelsam diuinæ maternitatis dignitatem, habuit & aliam beatitudinem, cœlesteque donum: quod non tantum fomes, qui in prima Virginis sanctificatione ligatus est, atque per Verbi incarnationem penitus extinctus, ita vt in corpore viueret veluti Angelus: verũ cum esset pulcherrima, aspectu suo omnium sese aspicientium concupiscentiam ligabat, & castigabat, vt docet D. Bonauent. in 4. d. 4; art. vlt. quod quidem donum *Bonauen.* adeò fuit excellens, & singulare; vt nulli alij virgini d.-tum nouerimus. Ea ratione Eccles. 24 comparatur cedro incorruptibili, cuius odor serpentes fugat atque *Eccl. 24.* myrrhæ, quæ odore vermes extinguit.

Secundò dicitur, beatus venter ratione operationis trium diuinarum personarum: nempe diuini Verbi incarnationis: quam pater æternus operatus est mittens filium suum: sicut dicitur Ioannis 3. *sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*: & ad Galat. 4 *quando venit plenitudo temporis: misit Deus filium suum &c.* Spiritus sanctus ex purissimis sanguinibus corpus formauit iuxta verbum Angeli Lucæ 1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Verbum verò diuinum corpus cum anima sibi vniuit, & coaptauit. Beatus igitur venter, qui tanti operis, tamque ineffabilis mysterij fuit officina, *el obrador desta diuina labor*: & veluti sacrarium, in quo summus sacerdos Christus indutus est. *Byssus, & purpura indumentum eius.* Prouerb. 30 byssus, *quia candor est lucis aeternæ*: purpura carnis, & sanguinis. Thalamus sacer est de quo sponsus cœlestis processit, vt dicitur Psal. 18. ibi matrimonium Verbi cum humana natura celebratum est. Hortus est deliciarum, vbi magno virtutum apparatu conuiuium Assueri peractum est Ferculum est, & lectus Salomonis floridus Arca est Deifera, verum manna, & virgam diuinæ virtutis continens. Propitiatorium deniq; est, quod intuentes Cherubim semper admirantur.

Sacra virginis ex operatione trium diuinarum personarum fuit beatus venter.
Ioan 3.
Galat. 4.
Luc. 1.
Prouer 30.
Sap. 7.

Tertiò dicitur beatus venter ratione termini, & operis ibi peracti, videlicet prolis conceptæ. Christus enim fons est vitæ secundum diuinam naturam, totiusque beatitudinis origo: secundum humanam verò naturam corpus per Spiritum sanctum ex purissimo sanguine virginis formatum est· anima verò à primo instanti sui esse plena fuit gratiæ, & veritatis, atque beatitudinis. Iesus ergo virginis filius, *qui splendor est gloriæ, & figura substantiæ patris* (vt Paulus ait ad Hebr. 1.) carnem sibi vniens, veluti mollis cera, figuram substantialem matris suscepit: veluti si duo sigilla contraposita, eidem ceræ sic imprimantur, vt se inuicem penetrent: sic duæ naturæ diuina, & humana in eadem persona Verbi vniuntur: vt cuiusque proprietates absque vlla confusione sibi inuicem communicent: atq; adeò persona Verbi *figura substantiæ patris formam serui accipiens* configurata est imagini, & naturæ matris: vt homo, qui ad imaginem Dei formatus, per peccatum portabat imaginem terreni: per baptismum Christo configuratus portet figuram & imaginem cœlestis: formaque hominis figuram Verbi, ac diuinas conditiones ita participet, vt iste homo Christus sit omnipotens, & infinitè sapiens: operaque illius sint infiniti valoris, & meriti. Et rursus persona Verbi per impressionem sigilli humani, atque humanæ figuræ facta sit mortalis, & passibilis. Id quod eleganter dixit Leo Papa sermone de natiu. Domini, *tanto fœdere vtramque naturam conseruit, vt nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio.* Illud verò sigillum, substantialemque figuram humanæ naturæ per ministerium almæ Dei genitricis impressit Spiritus sanctus. Tunc sacer venter virginis factus est liber ille grandis, in quo Spiritus sancti calamo, *sed stylo hominis* scriptum est diuinum verbum iuxta vaticinium Esai. cap. 8. de qua inscriptione D. Anselmus ait: *ô mira diuini Verbi inscriptio, quæ per infinita seculorum secula deleri non poterit.*

Ad Heb. 1.

Leo Papa.

Esa. 8.

D. Ansel.

Quartò fuit beatus venter ratione finis per incarnationis mysterium intenti, nempe beatitudinis nostræ. Verbi namque diuini incarnatio in virginis vtero fons fuit regenerationis nostræ per baptismum, qui vterus

est Ec-

est Ecclesiæ. Fuit quoque medium per diuinam sapientiam ordinatum ad humani generis redemptionem, & beatitudinem: ita vt fideles omnes, & potissimùm iusti dicantur filij, & fructus sacri vteri virginalis, in quo sensu explicatur locus Cantic. 7. *Venter tuus aceruus tritici vallatus lilijs. Christus granum est frumenti*, Ioan. 12. *& primogenitus in multis fratribus*, vt Paulus dixit ad Romanos. 8. iusti grana sunt tritici, ex quibus conflatur aceruus. Paleæ enim peccatorum ab aceruo iustorum Christi ventilabro excludentur: cum iuxta Ioannis Baptistæ verbum *permundabit aream suam* Matth 3. *Quid enim paleis ad triticum?* Hierem. 23. Hinc quoque explicatur sensus verborum Psalm. 126. *cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filij merces, fructus ventris.* Omnes siquidem per sacrum baptismi fontem regenerati, filij sumus vteri Ecclesiæ, sumus etiam filij ventris virginis almæ, quia fratres Christi: vt enim Paulus ait Hebr. 2. *non confunditur, fratres nos appellare* Per verbum, fructus ventris, aptè quoq; Christus Dominus intelligitur, qui in mentibus iustorum, *qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*, spiritualiter gignitur, sicut ipse dixit in hodierno Euangelio, & Matth. 12. *qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, & mater est. Cum ergo dederit dilectis suis somnum*, tunc accipient hæreditatem huius diuinæ generationis: eruntque comparticipes hæreditatis filij, cohæredes cum ipso: & vocabuntur ad mercedem ipsius, percipientque præmium æternum gloriæ.

Cant. 7. *Rom. 8.* *Hiere. 23.* *Psal. 126.* *Ad Heb. 2.* *Matth. 12.*

IN EADEM SOLENNItate descensionis beatissimæ virginis,

CONCIO SECVNDA.

De beatitudine vberum sanctissimæ Dei genitricis.

THEMA.

Beatus venter, qui te portauit: & vbera, quæ suxisti. Luc. 2.



ERBA sunt deuotæ fœminæ, quæ cœlestis doctrinæ Saluatoris mirabili suauitate capta, & quasi extra se rapta vocem extollens dixit De beatitudine quidem virginalis vteri diximus concione proxima. Vbera quoque virginis pari ratione beata dicũtur, & omni laude digna. Omnis tamen beatitudo ex vberibus sponsi filijque Christi illis accessit: de quibus sponsa Cant 1. merito ait: *meliora sunt vbera tua vino*: ab illis siquidem omnis virtus, beatorum mentium nutrimentum, Angelorum lætitia, viatorum gaudium, solatium, omnisque cœlestis gratia deriuatur: vt igitur vberum sacratæ virginis fœlicitatem explicare valeamus, ex vberibus sponsi lac diuinæ gratiæ per ipsam virginem petamus dicentes, *Aue Maria*.

Cant. 1.

Hodiernæ solennitatis originem: atque ventris gloriosæ virginis beatitudinem superiori concione explicuimus. De beatitudine vberum præsenti concione dicendum est, siquidem fœlix illa mulier non solum ventrem Dei genitricis beatum esse dixit, sed & vbera. Quę naturalia vasa lactis, & receptacula sunt, atque fons quidam naturalis alimenti paruulorum. Deus naturæ artifex prouidentissimus in fœminarum pectore duos lactis fontes

fontes collocauit: qui propenderent cordi, iecori, lieni, cæterisque membris vitalibus: ipsis quoque visceribus, & præcordijs: Appropinquante partus tempore hi fontes, siue vbera, turgescunt, editaque prole distenduntur, atque lacteo l quore replentur: in quo infantum alimẽtum, remediumq; & vnicum solatium situm est: vt cum mater charissimam prolem in sinu gestat, nutrit, atque fouet: membra ipsa vitalia, præcordia, & viscera admoneant omnem curam, & solicitudinem in prole procuranda esse adhibendam. Verum est, quòd propriè, & exactè loquendo, vbera dici videntur interiora mammarum, mammæ verò exteriores vberum eminentiæ.

Vbera naturalia sunt lactis receptacula.

Bonum lac multum iuuat ad bonos mores: in ipso enim ingenium, & mores a nutrice suguntur. Quare Plutarchus, & Fauorinus ab ipso materno vbere filios nutriri desiderant, tum vt bonos mores sugant: tum vt mutuus amor meliùs connectatur: Mores enim naturaliter cum lacte suguntur: sicut multis experimentis cõpertum est Romulus, & Remus à lupa, Vrsonus Gallus ab vrsa, Cyrus Persarum Rex à Cane, Abidis Hispaniæ Rex mille annis ante Christum natum in nemore a cerua lactatus maximam velocitatem suxit. Cæterique ab alijs bestijs lactati similes mores suxerunt. Et qui suillo lacte nutriuntur, volutabro delectantur. Chrysipus philosophus monet, vt nutrices prudentes eligantur. Quintilianus, ne sint rusticæ, id est, rudes, & rusticæ moribus. Diuus Hieronymus, *ne sint loquaces, nec vino deditæ*. Iudicum 13 Angelus Domini admonuit matrem Sampsonis, vt ipsum conceptura à vino abstineret. O beata sacræ Dei genitricis vbera, quid non virtutis ex illis sugeret filius: Lac siquidem erat cœleste, corpus Angelicum, pulchrum: mores ipsis Angelis meritò inuidendi: totius virtutis, charitatis, humilitatis, honestatis, modestiæ, & sancti timoris exemplar adeò sublime: vt si per impossibile filius virginis non fuisset Deus, neque in quãtum homo habuisset animam beatam, & omnimoda gratia plenam, ex vi lactis, atq; cœlestis illius nutrimẽti suxisset inculpatissimos, ac verè cœlestes mores, fuissetq; integerrimũ totius virtutis exẽplar: sicut & Virgo mater. Multoq; potiori iure cõueniret ipsi benedictio,

Bonum lac multũ iuuat ad bonos mores. *Plutarch.* *Fauorin.* *Abidis.* *Chrysipus.* *Quintil.* *D. Hier.* *Iudic. 13.*

Gen. 49. qua Iacob Patriarcha Gen 49. benedixit filio Ioseph, dicens: *Deus patris tui erit adiutor tuus: & Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli desuper: benedictionibus vberum, & vulua.* Duo vbera Virginis, virginitas sunt, & fœcunditas: vt adnotauit Rupertus super Cantica. Hæc vbera susceperunt verum cibum Angelorum, cibum (inquam) gradium, vt nobis paruulis lactesceret. Et de plenitudine vberum virginis repleta sunt vbera Ecclesiæ. Inde peccator veniam, iustus gratiam, Angeli lætitiam accipiunt: & filius Dei carnem suscepit.

Rupert.

Duo vbera Christi purissimi sunt fontes gratiarum. Colossi. 3.

Sponsus Ecclesiæ Christus duo etiam habet vbera: quæ sunt duo peritissimi fontes gratiarum: aut corpus ipsius, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi*, in remissionem peccatorum, & in diuisionem gratiarum: vel dulcedinem Spiritus sancti. Significant quoque duo vbera sponsi fontes purissimos diuinæ beneficentiæ, charitatis, clementiæ, & benignitatis, quibus peccata remittit: & cœlestia beneficia largitur. Alter fons est patientiæ, & longanimitatis: quibus peccatores suffert, & expectat. Hoc est, quod Ioannes Apost. Apocal. cap. 1. Vidit Dominum *præcinctum circa mammillas zona aurea*: vt indicaret hæc vbera oriri ex mirabili, & ardentissima charitate. Nam postquam filius Dei humanam naturam suscepit, hæc vbera misericordiæ, & longanimitatis multò vberiora experimur: sicut diuino spiritu afflatus Zacharias pater Ioannis Lucæ 1. in suo cantico mirabiliter cecinit. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Olim enim latebant hæc vbera, neque ita copiosè affluebant. Vnde Esai capite 63. conquerebatur. *Vbi est zelus tuus, & fortitudo tua, & multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum? Super me continuerunt se.* At postquam Dei filius ex castissimis visceribus virginis viscera misericordiæ induit: multò abundantius lac præbet fidelibus, tam benignitatis: quàm patientiæ, & longanimitatis. Vt verè iam cum regio vate Psalm. 102. exultemus dicentes, *miserator, & misericors Dominus, longanimis, & multum misericors*: benignissimamque ipsius vocationem experimur per Prophetam Iohel ca. 2. *conuertimini ad Dominum Deum vestrum,*

Apoc. 1.

Luc. 1.

Esai. 63.

Psal. 102.

Iohel. 2.

strum, quia benignus & misericors est, & praestabilis super militia. Hoc est quod Paulus ad Titum cap.3.ait: *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitia, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.* Et ad Romanos capite 2. *An diuitias bonitatis eius, patientia, & longanimitatis contemnis?* *Ad Tit.3.* *Rom. 2.*

Hæc sunt optatissima illa vbera, de quibus Euangelicus Propheta populum suum in spem, cœlesti solatio plenam, erigens prædixerat cap 66. *ad vbera portabimini.* Atque per Oseam cap. 2. Dominus promiserat: *Ego lactabo eam.* Cuius lactis miram dulcedinem per fidem prægustans sponsa Cantico.1 dicebat: *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. Vinum cor hominis lætificat,* inebriat, & extra se rapit: multò melius, atq; fortius gustus diuinæ bonitatis, misericordiæ, atque benignitatis iustos consolatur, dulcedine replet, lætificat, rapit, in viros alteros transmutat, imò & deificat Hier. cap 23. *Ego quasi ebrius, & quasi vir madidus à vino.* Et 2. ad Cor. 5. *Siue mente excedimus Deo, siue sobrij sumus, vobis.* Habent præterea cœlestis sponsi vbera diuini odoris prælibationem, & prægustationem, quæ degustantium animos, velut optima vnguenta, odore suo recreant, & confortant. *Esa. 66.* *Osea 2.* *Cant. 1.* *Hiere. 23.*

Deinde per vbera sponsi significatur charitas, & mutua dilectio Dei, & proximi, ex quibus tanta suauitas influit iustorum mentibus, quod illius dulcedine capta sponsa Canticorum 8. ait: *Dixi, ascendam in palmam,* id est, in crucem: per quam Christus triumphauit, & victoriæ palmam cœlo intulit: in illa quasi in fonte degustatur lac diuinæ charitatis, *& apprehenduntur fructus illius.* Explicat verò, qui sint fructus, dum subdit: *& erunt vbera tua sicut botri vineæ, & odor oris tui, sicut odor malorum:* ac si dicat: ex meditatione crucis tuæ mirum odorem, atque fragrantiam charitatis, & dilectionis experiar; sicut botri vineæ, cum floret, mirum odorem emittunt, iuxta illud Canticorum capite 2. *Vineæ florentes dederunt odorem suum* Tunc experiar nihil esse potentius, aut efficacius ad inflammandum cor diuina charitate, quam sint vbera tua, quibus pascis eos, qui per altam *Charitas Dei, & proximi vbera sunt fœcundissima sponsi.* *Cant 8.* *Cant. 2.*

passionis tuæ meditationem in palmam crucis ascendunt: illos enim introducis *in cellam vinariam* charitatis tuæ, qua pro nobis animam posuisti, immensæq; dilectionis mirabili odore reficis. Tunc enim dilectionis tuæ vbera instar botri vineç suauissimum odorem emittunt, diuiniq; amoris vinum suauissimum effundũt, quo haustо incalescunt, exhilarantur, ardent, inebriantur, & transmutantur.

Vbera spõsi lac Sacramentorum effundunt. Greg. Nyss. August. Ad hæc, vbera sponsi lac effundunt Sacramentorum, & potissimum sacrosanctæ Eucharistiæ, sicut explicat Gregorius Nissenus: nam quemadmodum ex solido cibo in pectore nutricis succus eliquatur, dulcis, suauis, & candidus, paruulorumque cibus: similiter de hoc diuino Sacramento dixit Augustinus oportebat, vt cibus ille grandium lactesceret, vt ad paruulos perueniret. Et hoc *De recubitu Ioannis supra pectus Domini.* videtur esse mysterium somni illius, vel quietis, quo caprus Ioannes Euangelista, cum suauissimum lac in Sacramento Euchatistiæ degustasset, quasi paruulus lactatus, *supra pectus Domini recubuit:* & quasi lactis fontem, solidumque cibum grandium intra pectus Christi latentem desiderans, atque requirens. De suauitate huius cœlestis lactis canit Ecclesia: *O quam suauis est, Domine, Spiritus tuus, qui, vt dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suauissimo de cælo præstito esurientes replens bonis, fastidiosos diuites dimittis inanes.*

Lac operũ, & doctrinæ ex duobus vberibus Christi profluit. Tandem ex duobus vberibus sponsi fluit dulcissimum, & candidissimum lac operum, & doctrinæ. Vt enim dicitur Actuum capite 1. *Cæpit Iesus facere, & docere.* Hoc est cœleste illud lac, quod ex Christi pectore per Apostolos, Doctores Ecclesiæ, Euangelicosque ministros tanquam per vbera filijs subministratur: sicut *1. ad Cor. 3.* Paulus Apostolus primæ ad Corinth. capite tertio docet: *Tanquam paruulis in Christo Lac vobis potum dedi, non escam:* bini autem missi à Christo, Marci 6. & Lucæ 9. vt pacem, mutuamque concordiam commendarent: *Concordia enim paruæ res crescunt; discordia verò maxi-* *Sallustius.* *ma quæque citò dilabuntur:* sicut dixit Sallustius, & Prouerbior 4. *Væ soli, quia cum ceciderit, non habet subleuantem se:* & Prouerbior. 8. *Frater, qui adiuuatur à fratre*

tre, quasi ciuitas firma Aptissimè verò dixit sponsa Canticorum 4. *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli* Vbi prædicatores designantur, & Apostoli, qui bini à Christo Domino missi sunt, quique auditorum captui accommodantur: sicut Paulus 1. ad Thess. 2. *Factus sum in medio vestri tanquam paruulus.* Et iterum ait: *Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifaciam.* 1. ad Corin. 9. Summus Sacerdos in rationali, & pectorali gestabat inscripta nomina duodecim patriarcharum, vt insinuaret omnium miserias sese in corde gestare, vt disceret sese cuiq; accommodare: sicut de Christo Domino dixit Paulus ad Heb 5 *Didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam, & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ appellatus à Deo Pontifex iuxta ordinē Melchisedech* Ipsiusque Domini verus imitator Apostolus Paulus ad Philip 1 ait: *Eò quod habeam vos omnes in visceribus meis.* Subdit verò sponsa; similes esse Euangelicos prædicatores, per vbera sponsi designatos hinnulis, qui pascuntur in lilijs scripturæ, & doctrinæ sanctæ, exemplisq; Sanctorum, quæ veluti lilia candorem habent, & mirabilem odorem emittunt: iuxta illud 2. ad Corin. 2. *Christi bonus odor sumus.* Vel in lilijs, id est, virtutibus humilitatis, honestatis, virginitatis, deuotionis, & pietatis sanctissimæ Virginis.

Cant. 4.
1. Thes. 2.
Exod. 28.
Hebr. 5.
Philip. 1.
2. ad Cor. 2.

Qui verò vberum sponsi dulcedinem, & Euangelicæ doctrinæ suauitatem degustare cupiunt, attēdant, quod Prouerb cap. 30. admonuit Sapiens: *Qui fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum: qui autem vehementer emungit, elicit sanguinem.* Septuaginta Interpretes, quos sequitur translatio Latina, ex Græco Biblię Compluten. vertunt: *Emulge lac, & erit butyrum: exprime nares, & exibit sanguis* Illi vbera Christi fortiter premunt, qui diligenti studio, & attenta meditatione ex vtroque Testamento, & antiquorum Patrum intelligentia, sensuque Ecclesiæ Catholicæ vtrumque Testamentum interpretantur: Hi enim non solùm lacteum doctrinæ liquorem, sed pinguissimum deuotionis, & feruoris butyrum exprimunt: ita exponit Gregorius Nazianzenus Orat. 31. Qui verò ex lutulentis Rabinorum libris, prophanorumque authorum fordi-

Prou. 30.
Qui diligēti studio, attentaq; meditatione sacram Scripturā interpretātur, vbera Christi fortiter premunt
Greg. Naz.

sordidissimis fontibus sacras literas exponere conantur, non premunt vbera sponsi, sed proprio iudicio superbè innitentes emungunt nares, atq; ita non lac, neque butyrum, sed horrida excrementa, & sanguinem exprimũt, aut sordida quædam & impudica, carnem & sanguinem sapientia.

Habet & fallax mundus, & lasciuiens, blandiensque caro vbera sua, non salutifera, sed mortifera, atque veneno plena: de quibus Prouerb. 1. dicitur: *Fili ſi te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.* Est enim lac soporiferum, sed lethiferum, quod satis propriè depictum videmus in lacte illo, quod Iahel Sisaræ ad se confugienti hilari fronte excepto, in cubiculum, vt melius lateret introducto, atque sitibundo propinauit, & consopitum, in altumque dormientem clauo per tempora transfixit: ita vt soporem morti consociaret: vt habetur Iudic. 4. vbi quasi in speculo illorum vita, exitusque depingitur, qui corruptibilis carnis illecebris, & fallacis mundi lacte, oblectamentisque potantur, quibus soporati vsque ad extremum vitæ in altum dormiunt, morteque subita transfixi æternis supplicijs deputati, vitæ præsentis soporem cum æterna morte coniungunt. Quare Propheta Hieremias, Threnorum 4. mundum, & carnem lamijs aptè comparat, dicens: *Sed & lamia nudauerunt mammas, lactauerunt catulos suos*, lamiæ Latinè stryges, siue sagæ, Hispanè *bruxas*, quæ noctu insidiantur, & paruulorum sanguinem sugunt. Hæ sunt sanguisugæ filiæ, de quibus Prouerbiorum 30. nempe cupiditas diuitiarum, honorum, & libidinis. Vel (vt aliis magis placet) lamiæ sunt immanissimæ bestiæ, quæ in intimis Africæ commorantur, (vt dicunt Dionysius, Chrysostomus, & Philostrat. de vita Apollonij) quæ humanam habent faciem, & elegantem, vbera miro nitore candentia: vngues verò rapacissimos, quibus homines iter agẽtes pulchritudine allectos, & captos laniant, & occidunt. Hæ lamiæ depinguntur, Prouerb cap. 7 in fœmina illa garrula, vana, inquieta, impudica, quæ miserum adolescentem, & inexpertum iuuenem lenocinijs, blanditijsque illectum ducit, sicut bouem ad victimam, & sicut auem ad laqueum.

Prou. 1.

Iudic. 4.

Mundus, & caro lamijs aptè comparantur.

Thren. 4.

Dionys. Chrysost.

Hæc

Hæc sunt mundi,& carnis vbera, super quæ meritò plangendum, sicut dixit Esaias cap 32. & quæ Oseas cap. 9.imprecatur,vt arescant, dicens: *Da illis vbera arentia:* ne peccatorum dulcedine illecti,&inebriati miseri mortales,consopiti moriantur. Ab his vberibus ablactari oportet, vt diuinus Spiritus doceat nos scientiam, & intelligere faciat auditum iuxta vaticinium Esaiæ cap. 28. Abraham in die ablactationis Isaac fecit conuiuium, Genes. 21. Et Samuel non est oblatus Domino, donec ablactatus est,1.Reg.1. Quamobrem pestilentissima hęc vbera fugientes ad suauissima Christi vbera confugiamus,ad quæ nos inuitat Petrus Apostolus,1.cap 1. *Quasi modogeniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite: si tamen gustastis, quoniam suauis est Dominus.* Habent enim Christi vbera miram suauitatem,perpetuamq; lætitiam; quorum lac est indeficiens gratiarum omnium, sapientiæ, & scientiæ vbertas, clementiæ,benignitatis, atq; longanimitatis, & patientiæ affluentia, charitatis, & mutuæ dilectionis abundantia; Sacramentorum,& maximè Eucharistiæ dulcissimus fons, ac tandem operum; & doctrinæ abundans copia, quibus replet in bonis animæ desiderium.

Esa. 32. *Osea 9.* *Mūdi vberibus ablactati doctrina Spiritus efficiuntur apti auditores.* *Gen.21.* *1.Reg.1.* *1.Petri 1.*

Cœlestis hæc, atque mirabilis vberum Christi suauitas ex pectore Patris æterni, tanquam ex prima origine, profluit: cæterum ex vberibus etiam almæ Dei genitricis Mariæ in Ecclesiæ filios semper influit. Meritò fœlix illa mulier exaltata voce dixit: *Beata vbera, quæ suxisti.* Antiqua olim sponsa paruula erat,& vbera non habebat: At verò Virgo sanctissima vbera habet plenissima,à quibus omnes fideles lac & butyrum forti meditatione,& imitatione sugere,& exprimere possimus. Vnde verba illa, quæ Canticorum capite 8. sponsa subdit: *Ego murus,& vbera mea quasi turris, ex quo facta sum coram eo,quasi pacem reperiens:* sacræ Virgini satis commodè adaptare possumus. Ipsa namq; murus est,fortitudo, & protectio Ecclesiæ: habet verò vbera cœlestis sapientiæ,& diuinæ gratiæ lacte distenta. Turris est inaccessa viro,solus enim Dei filius ingressus est in eam.Turris altitudine gratiæ,fortitudine, virtutumq; omnium plenitudine,atque sublimitate: vnde pendet *omnis armatura fortium,*

Cant.8. *Cant.8.* *Vbera sanctissimæ Virginis turris sunt,& fortitudo Ecclesiæ.* *Cant.4.*

Ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens. Ipsa enim virga est Iesse, quæ floruit: *Pacem Deus reddidit, in se reconcilians ima summis.* Ipsa est, quæ gladium versatilem paradisi abstulit: dum *ipsius animam gladius pertransiuit:* quem Simeon illi prædixit Lucæ capite secundo. Ipsa est vera, & prudens Abigail, quæ Dauid placauit: vera est Esther, quæ Regem Assuerum in clementiam, & benignitatem conuertit. Et (vt Bernardus ait) *arcus est cæli, æterni signum fœderis.* Columba est, quæ ramum virentis oliuæ, pacis signum, in arcam Ecclesiæ intulit: cùm in ipsius vtero *misericordia, & Veritas obuiauerunt sibi, iustitia, & pax osculatæ sunt,* Psalm. 84 Cùm ergo peccatorum bella, & tribulationum tempestas ingruerit, *respice stellam, Voca Mariam:* aderit sincerissima, & candidissima columba inuocationibus nostris, opportuneque nobis ramum pacis deferet ex arbore vitæ decisum, quæ per singulos menses duodecim fructus affert vberrimos. Obsecrationibusque nostris, tanquam paruulis proferet clementissima, & plenissima *Vbera, quæ lactauerunt æterni Patris filium:* vnde sugamus plenissimam dulcedinem gratiæ, & gloriæ.

1. Reg 25. *Esther 8.* *Bernar.* *Genes. 9.* *Psal. 84.*



IN

IN CONVERSIONE APOSTOLI PAVLI,

CONCIO PRIMA.

De triumpho Christi in ipsius conuersione.

THEMA.

Circumfulsit illum lux de cœlo, apertisq́ oculis nihil videbat. Act. 9.

NOVA luce, nouaque exultatione hodiernò die repletur Ecclesia Lux, quæ Paulum circumfulsit (quanquam externos oculos perstrinxit, & ad tempus excæcauit, donec *ceciderunt ab oculis eius, tanquam squamma*) interius tamen diuina luce mirabiliter illustratus est: iuxta illud 2. ad Corinth. 4. *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris.* Paul. enim *in lucem gentium* datus est: imò & totius Ecclesiæ, & mundi. Quare immensa quadam, fulgentissimaque luce de cœlo repletus est, quæ lucem illam sanctissimæ mulieris imitatur, quam Ioannes vidit amictam sole, Apoc. 12. Sic vtiq; luce diuini solis adeò circumfulsus est Paulus, vt tam excelsi luminis intuitu debilis visus noster omninò perstringatur, nisi cœlestis gratiæ lumine corroboretur: illud ergo per almam Virginem suppliciter petamus, dicentes: *Aue Maria.* 2. Cor. 4. Apoc. 12.

Gloriosi Apostoli Pauli, Doctoris gentium, mirabilem vocationem, atq; conuersionem hodie colimus, ex qua multiplicem fructum iugiter percipimus Quandiu vixit Apostolus, non satiabatur diuinam hanc Dei optimi in se exhibitam misericordiam exaltare, omnibusque

busque

busque prædicare: sicut sæpè in suis Epistolis scripsit, & ex Actis Apostolorum constat. Maximè verò primæ ad
Tim. 1. Timoth 1. testatur: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quoniam Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores saluos facere, quorum primus ego sum* Primus (inquam) fuit Paulus inter peccatores, qui Ecclesiam Dei persecuti pœnitentiam egerunt, & misericordiam consecuti sunt. Vel vocat se primum persecutorem, quia inter persecutores insignis fuit, *spirans minarum & cadis, dirumq; toto pectore virus efflabat.* Subdit verò, *sed ideò misericordiam consecutus sum, vt in me primò ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorũ, qui credituri sunt illi in vitam æternam:* id est, ad ostensionem gloriæ, patientiæ, & misericordiæ suæ, atque ad exemplum, & informationem nostram. Hodie siquidem videmus filium prodigum ad Patrem redeuntem stola prima indui; & ingenti lætitia cœlestis curiæ, Angelorũ gaudio, Ecclesięque exultatione parari conuiuium, & vt
Luc. 15. illi non desit necessarium lumen, *circumfulsit illum lux de cœlo.*

Diuina sapientia hodie totam domum euertit, vt drágmam perditam inueniat, lucernamq; accendit: hæc est lux, quæ Saulum circumfulsit. In morte Holofernis Israelitici populi cruenti hostis, gyrauerunt Iudith vniuersi
Iudith 13. accensis luminaribus, dixitq; illa: *Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se, & in me adimpleuit misericordiam suam, & in manu mea interfecit hostem populi sui.* Sic hodie per manum Christi interfectus est vitæ præteritæ, & prostratus est Saulus hostis, persecutorq; Ecclesiæ, & erectus est Paulus, in quo Dominus adimpleuit misericordiam suam, vt sępius ipse fatetur. Cœli luminaria accenduntur, dum *circumfulsit illum lux de cœlo.*

Multa quidem sunt, quæ in hac Pauli conuersione triumphum Principis nostri Christi gloriosissimum cõprobant. Primùm, quod cum potuisset Dominus per Angelum de cœlo, vel per aliquem ex Apostolis illum vocare: voluit tamen dignatione sua sancta per seipsum illum conuertere, atque id honoris prædicatori gentiũm tribuere. De qua re dicemus Domino volente concione

ctione secunda. Ex parte ipsius Sauli, atque ex conditione armorum, quibus Dominus Paulum deuicit: nempe lucis de cœlo, ac vocis suæ, fuit secundo loco gloriosus Triumphus. Nunc ergo de gloria triumphi Christi in vocatione Pauli dicamus, tam ex parte resistentiæ ipsius, quam ex conditione diuini iaculi, quo percussus est: nempe lucis de cœlo illum circumfulgentis. Ex parte quidem Pauli splendet Christi gloria, quia eo tempore vocatus est, quo furijs inuectus Ecclesiam, Christique nomen persequebatur, & Christi oues lamabat: sicut dicitur Actuum capite 9. *Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini*, &c. Diuus Hieronymus Epistola ad Philemon: quod prius vocabatur Saul, quod nomen in tribu Benjamin (ex qua oriundus erat Paulus) vsitatissimum erat: & Diuus Augustinus libro de spiritu, & litera ad Marcellinum, capite 7. idem docet: Et Origenes in præfatione Epistolæ ad Romanos, quod propter conuersionem Proconsulis Sergij Pauli apud Cyprum, mutauit nomen Sauli in Paulum. Alij verò dicunt, quod fuit binomius, sicut plures alij in Scriptura sacra, vt Beniamin, Benoni: Salomon, Ecclesiastes: Matthæus, & Leui: & huius sententiæ est Diuus Hieronymus libro secundo in Epistola ad Galat. Dicitur verò, *adhuc spirans*: vbi ex dictione, adhuc, colligi videtur, quod Christus Dominus multis alijs medijs prius vsus fuerat, vt Sauli furorem temperaret; atque a suorum persecutione auocaret: vt prædicatione Apostolorum, exemplo, & patientia: per orationem quoque Stephani protomartyris vocauerat. Id enim significare videtur verbum, *adhuc*, & subiuncta verba idem insinuant: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*: quasi dicat, quasi bos electus, & à me ad arandum, & vt Euangelicæ prædicationis vomere terram proscindas, frustra contra stimulum calcitras: multis siquidem stimulis ictus, & vocatus fuerat: sed adhuc ille *spirans minarum, & cædis*, id est, spiritum iracundia, & furore plenum emittens, veluti quondam Saul contra Dauid: id enim spirare hoc loco significat, sicut Esaias capite secundo: *Quiescite ab homine, cuius spiritus est in naribus eius, que se le sube el humo à las narizes*: & Psalm. 17. *Ab inspiratione*

Quantò maior resistentia ex parte Sauli, tantò maior Christi ostensa est potentia.
Act. 9
D. Hieron.
D. August.
Origenes.
D. Hieron.
Esa. 2.
Psal. 17.

Tanquam Balaam ibat Paulus contra populumDei. *patione tua fugient, ab inspiratione Spiritus ira tua.* Ibat Saulus furijs inuectus veluti alter Balaam mercede conductus, vt Dei populo malediceret, Numer capite 24. & quanquam id sæpius intentauit, variaque loca mutans, vt commodius populum Israeliticum aspiciens, malediceret, nunquam id perficere potuit: quin potius benedixit. Sic Saulus adhuc spirans furorem contra Ecclesiam Dei in mansuetudinem, dilectionem, atque benedictionem conuersus est. Ecce video ferocissimum leonem, qui Sampsonem inuasit, & a Sampsone quasi hœdus in frusta dilaceratus est, Iudicum capite 14. Atque post aliquot dies inuenit in ore leonis examen apum, & fauum mellis: sic hodie Christus Dominus Sampsone fortior, Saulum, etsi ferocissimum leonem mortificauit, & in terram prostrauit, atque in ore ipsius statim inuenit fauum mellis. Quid enim verba illa Pauli: *Domine, quid me vis facere, nisi fauus mellis sunt?* Quanquam enim Saulus diuinæ vocationi tunc resistebat, cæterum oculus Domini, *qui omne pretiosum vidit*, thesaurum, quem ipse per æternæ prædestinationis consilium in corde Sauli absconditum habebat, dignoscebat, vt hoc die Ecclesiæ oculis manifestaret: sicut Diuus Augustinus dicit de Moyse, quod, cùm occidit Ægyptium, & sabulo abscondit, vidit in eo zelum, & animi robur: sicut aurifex dignoscit aurum, quantumcunque terra permixtum, & lapillarij gemmas, quantumuis rudes dignoscunt: & sicut Dominus ex rubo vocauit Moysem in Principem populi sui, sic hodie Christus vocauit Saulum in Doctorem gentium, vniuersalisque Ecclesiæ magistrum.

Saulus similis leoni, qui à Sampsone prostratus, fauum habuit in ore. Iudic. 14.

Iob 28.

D. August.

Simile.

Exod. 3.

Iam verò arma Christi intueamur, quibus Saulum deuicit, atque prostrauit. *Circumfulsit illum lux de cœlo, apertisque oculis nihil videbat.* Dauid 1. Reg 17 in funda, & lapide præualuit contra fortissimum gigantem Goliath: Christus Dominus præualuit contra Saulum in luce de cœlo circumfulgente. Sicut cum arx aliqua, vel castellum est forte, & inexpugnabile, oportet vti varijs artificijs, scalis, tormentis, sulphure, igne, atque globis plenis, effossionibus subterraneis, arietibus, alijsq; mille machinis bellicis, vt castellum euertatur, & expugnetur:

1. Reg. 17.

Simile.

tur: sic videtur fecisse Dominus cum Saulo fortissimo Ecclesiæ persecutore, cum adhuc minas, & cædes spiraret, *circumfulsit illum lux de cælo.* Impletur illud Iob capite 28. *Ad silicem extendit manum suam, subuertit à radicibus montes* Radix voluntas est. Potuisset quidem fulmine in Tartara mittere, præordinauerat tamen illum *in vas electionis, vt portaret nomen suum coram gentibus, & filijs Israel.* Ea ratione noluit fulmine, sed fulgure, atque luce illum de cœlo circumfulgere. Hoc est quod Iudic. 5. cecinerunt Debora, & Barach: *Noua bella elegit Dominus.* Impleturque illud Iob 38. *Nunquid mittes fulgura, & reuertentia dicent, adsumus: illuminant, & resoluunt nubes in aquas:* sic lux cœlestis illuminauit Paulum, & tanquam nubem resoluit in aquam doctrinæ. Lux quoque diuina splendore suo, quasi ignis volare fecit Paulum: sicut sol vapores terrenos eleuat, in ignem conuertit, & in aquam resoluit, sic Paulus à Christo vero sole eleuatus igneam vim habuit, & ignitum eloquium in aquam, quæ refrigerat totam Ecclesiam, resolutus est. *Bolole como Castillo inexpugnable*, dum per tres dies *non manducauit, neq; bibit*, neq; vidit, & raptus est vsq; ad tertium cœlum.

Iudic. 5. *Iob 38.* *Simile.*

Id quod tripliciter explicat Doctor Angelicus 2. 2. q. 175 art 4 ad 4. nam tertium cœlum intelligi potest vno modo cœlum corporeum, & sic tertium cœlum dicitur empyrium, quod tertium, dicitur respectu cœli aerei, & cœli syderei, vel potius respectu cœli syderei, & cœli aquei, siue Crystallini. Et dicitur raptus ad tertium cœlum, quia locus ille est contemplationis beatorum, vbi Angeli, & animæ sanctæ fruuntur Dei contemplatione. Secundò per tertium cœlum intelligi potest aliqua visio supermundana, ita vt primum cœlum dicatur supernaturalis visio, corporalis tamen, quæ fit per sensum, sicut Danielis cap. 5 visa est manus scribentis in pariete. Secundum autem cœlum sit visio imaginatia, sicut vidit Esaias, & Ioannes in Apocalypsi; Tertium verò cœlum sit visio intellectualis, vt exponit Augustin. 12. super Genes. ad literam. Secundo modo dici potest tertium cœlum secundum ordinem cognoscibilium, ita vt primum cœlum dicatur cognitio corporum cœlestium: Secundum

Raptus Pauli in tertiũ cœlũ tripliciter explicatur. D. Thom. *Dan. 5.* *August.*

dum cœlum sit cognitio cœlestium spirituum: tertium sit cognitio ipsius Dei. Tertio modo potest dici tertium cœlum contemplatio Dei secūdum diuersos gradus cognitionis, quaDeus videtur: quorum primus pertinet ad Angelos primę hierarchiæ: secundus ad Angelos medię: tertius ad Angelos supremæ: vt dicit Gloss. 2. ad Cor. 12.

August. *Irena.* Paulus igitur secundum doctrinam D. August. lib. de videndo Deum ad Paulinam: Irenæi lib. 3. Epist. & D. Thomæ loco citato: raptus est vsq; ad tertium cœlum, id est, ad altissimam, & claram Dei visionem, ita quod vidit intelligibilia Dei nuda, & pura, non per species imaginarias, aut creatas, sed viditDeum ipsum per essentiam, sicut vident Angeli supremæ hierarchiæ, & animæ beatæ, ita quod primo die vocationis suæ ingressus in scholam Dei, admissus est ad tertiam classem, & supremam aulam. Non tamen fuit beatus, quia non habuit lumen illud per modum habitus, sed per modum raptus. Et quia visio Dei non potest esse sine delectatione; propterea non solum dicit se raptum ad tertium cœlum ratione contemplationis; sed etiam in paradisum ratione dele-

2. Cor. 12. ctationis consequentis, quare 2. Corinth. 12. Vtrumque explicuit, & supremam cognitionem, & suauem iucunditatem: dum dixit, *se raptum vsq; ad tertium cælum, & in paradisum.*

In triduo vocationis suæ raptus est Paulus ad tertium cælum. *S. Thom.* Quod verò in his tribus diebus, atque initio vocationis, & conuersionis suæ fuerit Pauli raptus, probat apertè sanctus Thomas ex ipsis verbis Pauli, qui ait: *Scio hominem ante annos quatuordecim raptum*, &c. Paulus vocatus est à Christo primo anno, quo in cœlum ascendit: scripsit verò Epistolam secundam ad Corinth octauo Neronis anno, quibus octo annis si adiungātur quatuor anni Imperatoris Gaij, & duo Tiberij Cæsaris conficiuntur quatuordecim anni. In quo manifestè ostendit Christus Dominus immensas diuitias gratiæ suæ, siquidem prius Paulus cœpit esse beatus, quanquam per modum transitus, quam susciperet baptismum, ita vt illius principium cœperit, vbi reliqui sancti finem habent. Voluitque illi cœlestem prædam ostendere, atque illum cibare *pane vitæ, & intellectus*, vt illum magis

Simile. appeteret, como sacre, ò, nebli ceuado, & vt cœlestis

prædæ

prædæ dulcedinem, ineffabilemque suauitatem mundo prædicaret. Tunc impletum est illud Genesis 49. *Beniamin lupus rapax, manè comedet prædam, & vesperè diuidet spolia.* Beniamin dicitur Paulus, quia fuit de tribu Beniamin. Eaque ratione adnotauit D. Chrysostomus, quod ideò seruauit Dominus sexcentos viros de tribu Beniamin, vt Paulus inde nasceretur. Diuus Augustinus serm. 14. de sanctis dicit Beniamin binomium typum gessisse Pauli, qui prius Saulus vocatus est, quasi Bennoni filius doloris, & persecutor Ecclesiæ, postea Paulus, & Beniamin, id est, filius dextræ, quia vocatus est à Christo sedente ad dexteram Patris. Beniamin abortiuus, qui matrem Rachel nascens difficili partu interfecit: sic Paulus tanquam abortiuus, vt ipse ait 1. ad Corinth. 15. matrem synagogam, dum noua generatione in fide natus est, occidit. Fuit quoque abortiuus, quia quasi violenter, & voce Christi vehementi coactus, eductus est de ventre synagogæ, ipsamque matrem nascens interfecit. Lupus rapax dicitur, quia Christi oues laniabat. Ipse fuit *violenta illa prædatio, quæ fuit in combustionem, & cibus ignis:* vt prædixit Esaias capite 9. Ignis enim diuini Spiritus, & charitatis Christi illum vrebat, & vrgebat. *Prædator datus est in prædam:* vt dicitur Hierem. capite 30. Christus Dominus festinus prædator iuxta vaticinium Esa. capite 8. Paulum deprædatus est, & abstulit fortitudinem Damasci: Damascus enim sanguinis poculum, vel sanguinem bibens interpretatur: dum igitur Saulum, qui Sanctorum sanguinem sitiebat, Christus iuxta Damascum vocauit, & prostrauit: verè fortitudinem Damasci abstulit. Impletum quoque est illud Esa. capite 11. *Habitabit lupus cum agno:* Et capite 65. *Lupus, & agnus pascentur simul:* sicut adnotauit D. Hieronymus. Impletum quoque est illud; *manè rapiet prædam:* siquidem primo die vocationis suæ ad prædam diuinæ visionis raptus est. *Et vesperè diuisit spolia:* cum per Epistolas suas, Euangelijq; prædicationem arcana illa mysteria, quæ audiuit, quanquam non manifestauit, quia non licebat homini loqui: illorum tamen celsitudinem, atque maiestatem satis insinuauit, dum dixit: *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ*

Gen. 49. Paulus Beniamin merito dictus. D. Chrys. D. August. 1. Cor. 15. Paulus prius Saulus, & lupus rapax. Esa. 9. Hiere. 30. Esa. 8. Esa. 65. D. Hieron. Ad Ro. 7.

1. Cor. 2. *reuelabitur in nobis.* Et iterum: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum: nobis autem reuelauit per Spiritum suum.* Impletum est etiam in Paulo illud Deutero.

Deut. 33. 33. *Beniamin amantissimus Domini, inter humeros illius requiescet:* in Christo enim requieuit, & habitauit confidenter, cùm 2. ad Timoth. 1. dixit: *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem.*

Initium totius boni lux est: & sicut in prima naturalis orbis generatione primo die creata est lux, sic in spirituali Ecclesiæ regeneratione nato Christo (qui erat lux vera) *sedentibus in regione vmbra mortis lux orta est eis.* Et cum Angelus Saluatoris natiuitatem pastoribus nuntiauit, Luc. 2. *Stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos.* Magi per lucem nouæ stellæ ab Oriente ad Christum perducti sunt. Apostoli, quia magistri orbis instituebantur, lux mundi a Christo vocati sunt, Matth. capite 5. Cæterum, quia Saulum speciali quadam prærogatiua, atque vocatione *in vas electionis* efficaciter vocauit, vt esset totius orbis magister, cœlestisque luminis portitor, voluit singulari prouidentia diuina bonitas, vt vndique circumfulgeret illum lux de cœlo, & vt in primo die supernaturali suo, quo de tenebris ad lucem fidei vocatus est, cœlesti lumine vndique repleretur. Sic enim suauem Dei dispositionem decebat, qui *idoneos faciebat ministros noui Testamenti:* vt Paulus ait 2. ad Corinth. 3. Et capite 4. *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris.* Vniuersalem namque orbis magistrum plenissima lux decebat, vt fieret veluti Carbunculus Ecclesiæ super lucem omnium gemmarum splendidus: adeò vt Paulus fuerit veluti depositum, & sacrarium totius lucis Ecclesiæ. Ad hoc *circumfulsit illum lux de cœlo.* Quanquam enim oculos corporis ipsius lux perstrinxit, ita vt apertis oculis nihil videret: oculos tamen interiores mentis mirabiliter illustrauit. Siquidem in illo triduo, quo non manducauit, neque bibit, creditur raptus in tertium cœlum, vt videret diuinam essentiam, non per modum formæ inhærentis, sicut datur beatis, sed per modum transeuntis, sicut lux communicatur

Paulum vniuersalē orbis magistrum, & lucem lux illum circumfulgēs prænuntiabat.

catur

catur aeri, secundum doctrinam S. Thom. 2. ad Corinth. 12. lectio. 1 Diuinam ergo maiestatem supplices deprecemur, vt emittat super nos lucem suam, & veritatem suam, quæ per lucem gratiæ deducant nos in tabernacula gloriæ. Amen. *S. Thom.*

IN EODEM FESTO CONVERSIONIS PAVLI APOSTOLI,

CONCIO SECVNDA.

De efficacia vocis Christi.

THEMA.

Saule, Saule, quid me persequeris?

DVM Doctoris gentium Pauli conuersionem celebramus, diuinæ misericordiæ, & gratiæ virtutem, atque efficaciam, qua nos ad se vocat, recolimus. Vt in hoc sacro die misericorditer nos ad se vocare dignetur, Spiritus sancti auxilium per sacram Dei genitricem imploremus, dicentes: *Aue Maria.*

Gloriosum Principis nostri Iesu Christi triumphum, quem de sæuo, & sanguinolento Ecclesiæ suæ persecutore Saulo vocis, & oris sui vi, potentissimisque armis, hodierno die egit, meritò recolimus: hodie enim iuxta Esa. vaticinium, capite 11. *Spiritu labiorum suorum interfecit impium*, atque sanctissimum suscitauit Apostolum. Querula voce de cœlo lapsa, *Saule, Saule, quid me persequeris?* non tantùm prostrauit, & vicit, sed Ecclesiæ suæ ducem, Doctorem, & magistrum acquisiuit. In multis quidē mirabilis fuit gloriosus hic Christi triumphus. *Esa. 11.*

Illud verò maximè gloriosum prædicat, quod, cùm potuisset per Angelum, vel per Apostolos vocare, voluit per seipsum descendere, cum Saulo colloquia commiscere, atque de iniusta ipsius persecutione propria voce conqueri. In qua re videtur imitatus Christus Dominus terrenorum principum consuetudinem, qui vt subditos sibi populos, si quando rebelles existunt, ditioni suæ subjiciant, vel externa regna conquirant, fortiores, atque peritiores duces ad id muneris mittunt cùm verò id non sufficere rerum successus ostendunt, ipsi principes sese præparant, atque vt pro voto omnia peragantur, fœliciterq; res cedant, personaliter accedunt, vt præsentia sua milites excitentur, hostiumque vires debilitentur, & frangantur: Sicut tempestate nostra vidimus Carolum Quintum Imperatorem, Hispaniæque Regem Germaniam petijsse, atq; rebelles principes gloriosè debellasse. Sic vtique Princeps noster Christus videtur egisse in vocatione Sauli, quasi sine illius ministerio, & prædicatione non satis prouisum esset Ecclesiæ, illiusque magisterio indigeret, visibiliter de cœlo descendit, vt per seipsum illum vocaret, neque id voluit Angelis, vel Apostolis committere, vt negotij grauitatem commendaret: vnde Ananias ex præcepto Domini ad Saulum accedens, dixit: *Saule frater Dominus Iesus, qui apparuit tibi in via,* &c.

Simile.

Magnæ vtiq; authoritatis esse debet vir ille, cum quo Rex ipse in singulare certamen descendere dignatur. Alexander ad Olympica certamina non venit, quia non aderat Rex sibi similis, cum quo contendere posset. Postquam Christus Dominus in cœlum ascendit, non constat ex Scriptura sacra, quod descenderit, nisi nunc cum Paulo certamen initurus Vnde ipse Dominus dixit: *Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris.* Et Paulus ab ipso victus, & vinctus, ait: *Domine, quid me vis facere?* Et ab ipso Domino Iesu Euangelium immediatè didicit, vt ad Galatas capite primo ait: *Non enim ab homine accepi illud, neque per hominem, sed per reuelationem Iesu Christi.*

Ad Gal. 1.

Fuit secundò gloriosus triumphus Christi in vocatione Pauli, quia vocatus est in medio furore, intestinoq; odio

odio nominis Christi: sicut dicitur actuum, cap. 9. *Saulus adhuc spirans minarum, & cadis in discipulos Domini.* Nunc impletum est id, quod quasi impossibile Dominus interrogauit Iob. cap. 39. secundum expositionem Diui Gregorij: ***nunquid volet Rhinoceros seruire tibi aut morabitur ad præsepe tuum?*** Quasi dicat, sicut cicurari solent humano ingenio leo, Elephas, Taurus, & aliæ feræ: nunquid arte tua Rhinoceros mansuescet? indomitæ siquidem naturæ est: impatiens imperij, humanis viribus mansuescere nescit. Cæterùm non magnum est, quòd Deus omnipotentia sua Rhinocerontem cicurare, subiicere, atque ad præsepe suum adducere valeat. Siquidem venti, & mare, elementa omnia, imò & Dæmones ipsi contremiscunt, & obediunt. Excelsum tamen, & diuina potentia dignum opus est mundi potentes, & superbos subiicere, rebellesque peccatores ad se trahere: sicut explicat D. Gregor. per multa capita lib. 31. moral. maximè, cap 1. 2. 3. 14 & 15 & D. Hieron. in Iob, c 39 Hoc est Rhinocerota in Dei obsequium trahi, & ad præsepe Euangelicæ doctrinæ adduci, atque morari. Maius opus est hoc, quam creatio cœli, & terræ: & quàm mirabilia omnia in eductione filiorum Israel de Ægypto patrata: sublimius opus est, quam sistere solem in cursu suo: & quàm aquas continere, ne fluant, ignem ne comburat, leones mansuetos reddere: quàm mortuos suscitare: maius denique opus est, quàm Dæmones expellere, fugare, atque subiicere.

Iob. 39. *Paulus velut indomitus Rhinoceros ad Christi præsepe tractus est & vinctus.* *D. Greg.* *D. Hier.*

Quare Pauli vocatio, & conuersio rarum est, & eximium diuinæ potentiæ testimonium: cuius cor indomitum, furoreque plenum, & odium nominis Christi spirans subiecit: atque ad Ecclesiæ præsepe adduxit: Vbi Doctores, & prædicatores commorantur, qui boues sunt Ecclesiæ, qui terrena corda prædicationis aratro proscindunt. Vnde subdit Dominus interrogans Iob. ***Nunquid alligabis ad arandū loro tuo. Quienpodra atar la Bada con coyundas?*** maius fuit, quòd Christus Saulum Ecclesiæ persecutorem ligauerit: de quo ipse gloriatur ad Ephes. 3. *ego Paulus vinctus in Domino*: quasi dicat, ego sum ferus ille Onager in solitudine, Rhinocerosq; indomitus: Saulus olim Ecclesiæ persecutor: nunc verò *Ephes. 3.*

loro diuinæ vocationis, & fortissimis vinculis charitatis Christi vinctus, & ad ipsius præsepe tractus Quare mirabilem hanc virtutem, & potentiam Christi meritò exaltabat Paulus, ac prædicabat *affirmans, quia hic est Christus*: quasi dicat, hic est triumphus: hoc efficax testimonium maximæ potentiæ Christi. Huic victoriæ meritò acclamare possumus verbis illis, quæ Sapient. 10.
Sap. 10. habentur: *Victricem manum tuam laudauerunt pariter.* Hæc est corona illa gloriæ, quam vidit Ioan. in Christi
Apoc. 6. capite. Apoc. 6. quà coronatus *exiuit vincens, vt vinceret.*

Gloriosus hic Christi Domini triumphus in illo apertè figuratus est, quem Dauid habuit contra Goliath. 1.
1. Reg. 17. Reg 17. Qui lapide fronti infixo superbum gigantem solo prostrauit, proprioque gladio iugulauit: qui quidem pallio inuolutus in tabernaculo post Ephod seruatus est. 1. Reg. 21. Sic hodierno die prostrato, Saulo, Diabolus, pro quo Saulus militabat, tanquam ipsius gladius, victus, & prostratus est. Christus verus
Paulus gladius est Ecclesiæ. lapis est, qui statuam comminuit Daniel. 2. Paulus gladius est, quo Diabolus olim Ecclesiam Christi persequebatur: sed per Christi vocationem conuersus, acquisitus est, & seruatus tanquam pretiosus, & anceps gladius Ecclesiæ contra Diabolum, contra hęreses, contra peccata. contra portas inferi: vt in maximis vrgentibusque necessitatibus Ecclesiæ, possimus dicere ipsi
Psal. 44. Ecclesiæ verba illa Psalm. 44. *accingere gladio tuo super fæmur tuum potentissimè.* Quòd si magnorum principum, atque ducum gladij, in quibus celebres victoriæ conquisitæ sunt, in regia armorum domo à Regibus Hispaniæ meritò seruantur: vt gladij comitis Ferdinandi Gundisalui, atque Roderici de Biuar, vulgò dicti *el Cid, y las espadas, la Tizona, y la Colada*: quantò potiori iure de hoc cœlesti gladio apostolico gloriabitur Ecclesia? De ipsò dicere possumus, multoque dignius, quod Dauid dixit ad Achimelech de gladio Goliath.
1. Reg. 21. 1. Reg 21. *non est huic alter similis.* Paulus siquidem,
Hebr. 4. ipsiusque doctrina gladius est, *penetrabilior omni gladio ancipiti* Eaque ratione cum gladio depingitur: non tantùm, quia mucrone imperatoris Neronis iugulatus est: qui quidem apud Hispanos in cœnobio insigni ordinis

ordinis Diui Hieronymi de la Sissa nuncupato prope Toletum inter sacra reliquias meritò seruatur: quem ego sæpè vidi & veneratus, atque exosculatus sum: sed quia Doctrina ipsius, gladius est Ecclesiæ: qui in thesauris ipsius repositus est: illumque hodierno die meritò recolimus, perpetuam memoriam agentes gloriosi triumphi gratiæ, misericordiæ, patientiæ, atque longanimitatis Christi: ipsumque, quasi illustre vexillum ab cruento Ecclesiæ hoste ereptum, exaltamus. Conueniensque fuit, vt qui gladio diuinæ dilectionis, & vocationis transfixus, factus est euangelicus gladius Ecclesiæ, gladio decollatus in cœlum migraret.

Quòd si roges, quibus armis Christus de Saulo triumphauit? atqui luce, & voce. De luce diximus concione prima: nunc operæpretium fuerit de voce dicere. Verè diuina vox efficax est, & potens: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum* Psalm. 32. & Psalm. 148. *ipse dixit, & facta sunt. Fiat lux, & facta est lux.* Genes. 1. Creaturæ omnes ad nutum obediunt. Iob. 38. *Nunquid mittes fulgura, & ibunt: & reuertentia dicent, adsumus?* Magna vtique diuinæ vocis efficacia splendet in vocatione Andreæ, & Petri, Iacobi: & Ioannis piscatorum: qui ad primam Christi vocem, *continuò relictis retibus secuti sunt eum.* Nil tamen miror, siquidem venti, & mare obediebant ei Matthæi 8. Imperauit febri magnæ Lucæ 4. & statim dimisit socrum Simonis Petri. Morbis imperabat *tanquam potestatem habens:* imò, & morti, & reddebat mortuos suos Luc. capite 15. Magna quoque vis, & efficacia in verbis Christi manifestabatur, dum imperabat spiritibus immundis, *& obmutescentes exibant.* Magna efficacia turbas ad se trahebat: quia verba vitæ habebat. Vim vocationis Christi satis expressit Paulus ad Romanos 4. dicens, *qui vocat ea qua non sunt, tanquam ea qua sunt:* id est, ea, quæ non erant, vocauit, vt essent. Vel qui æquali potentia vocat iustos, qui sunt: & peccatores, qui non sunt. Nam, *si charitatem non habuero, nihil sum.* 1. Corinth. 13.

Diuina vox efficax.

Iob. 38.

Quamquam diuinæ vocis efficacia in multis appa-

ret: in

Diuinæ vocis efficacia in peccatorũ vocatione maximè splendet.

ret:in peccatorum tamen vocatione singulariter splendet. Adam in paradiso audiuit vocem Dei, & timuit: cõcepitque spiritum salutis, & pœnitentiæ, cum dixit, *Vocem tuam Domine audiui, & timui.* Similiter cum vocauit Matthæum Thelonearium, Magdalenam peccatricem, cum respexit Petrum post trinam negationem, & latronem in cruce. Mille modis, & artibus vtitur diuina bonitas, vt peccatores conuertat: quosdam blandè allicit ignitis carbonibus charitatis: alios morborũ, & laborum grandine conterit: sicut serenissimus Propheta Psalm. 17 Eleganter depinxit: *intonuit de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam: grando, & carbones ignis.* Alios sagittis acutis transfigit: alijs multiplicat fulgura, & conturbat eos: *donec apparuerunt fontes aquarum,* & lachrymarum abundantia. De hac diuinæ virtutis efficacia explicat D. Augustinus illud Psalm. 147. *qui dat niuem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit:* id est frigida corda, calore charitatis sic accendit, vt alios calefaciant. Nebulam, id est peccatores nebulæ, & caliginis tenebris circumfusos, per cinerem pœnitentiæ illuminat. *Mittit crystallum sicut buccellam,* id est duros, & rebelles sicut crystallum, in mollem, & suauissimum cibum proximorum conuertit. Id quod regius vates Psalm. 28 diuinæ vocis virtutem, & efficaciam exaltans mirabiliter cecinit: *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringentis cedros:* quia superbos, & mundi potentes immutat, emollit, comminuit, & humiliat: atque ad imitationem Christi trahit: qui *vitulus est libani*, candidus, innocens, pro nobis oblatus. Ab ipso vocatus, & immutatus Paulus ait primæ ad Corinthios, cap. vndecimo, *imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Efficaciam diuinæ vocis satis propriè comparat scriptura sacra igni, malleo, gladio, & sagittæ Hierem. 23 *nunquid non verba mea quasi ignis & quasi malleus conterens petras?* Ad Hebræos 4 *Viuus est sermo Dei, & efficax: penetrabilior omni gladio ancipiti.* Et Psal. 44 *sagitta tua acuta.*

Psal. 17. *D. Aug.* *Psal. 28.* *Hierem. 23* *Psal. 44.*

Vocatio Pauli vndique fuit

Gloriosus quidem fuit triumphus Christi in aliorum Apostolorum vocatione: in Pauli tamen vocatione, & conuersione multò gloriosior: quia fuit vndique mirabilis, &

bilis, & extraordinaria vocatio. Reliquos enim vocauit adhuc mortalis, & in terris agens: Saulum verò vocauit, postquam in cœlum ascenderat, & ad dexteram patris sedebat: quiescebatque ab omni opere redemptionis nostrę. Et perinde, ac si aliquid defuisset negotio redemptionis nostræ, *como si quedara mellada, y falta la Iglesia sin tener à Sant Pablo*, quasi Ecclesiæ necessitate pectus Christi solicitante, descendit *saliens in montibus, transiliens colles*, per medios Angelorum choros, cœlicolarumque ordines; descendit apparens Saulo persecutori in medio aere: sicut apparebit omnibus visibilis in vltimo iudicij die: sicut docet Angelicus Doctor. 1. ad Corinth. 15. lect. prima, in illa verba, *visus est, & mihi*, & 3. p. quæst. 57. ab a. 6. ad 3. sic visibiliter apparuit Saulo & voce sensibili illum ex nomine vocans dixit: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Hoc videtur insinuasse Paulus ad Colos. 1. dum dixit: *adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius; quod est Ecclesia.* Quæ verba secundum superficiem possent habere malum sensum, quod Christi passio non sit sufficiens ad redemptionem nostram: quod est hæreticum contra illud primæ, Ioan. secundo, *ipse est propiciatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Quoad efficaciam verò deerat toti corpori mystico Christi tum mensura meritorum cuiusque iusti, secundum diuinam prædestinationem, sic dicit adimpleo mensuram eam, quæ deerat corpori Ecclesiæ. Tum secundò deerat corpori Ecclesiæ passiones Christi in carne Pauli: id est quòd sicut Christus passus fuerat in corpore suo naturali, sic pateretur in Paulo, aliisque Apostolis, & martyribus pro ædificatione corporis Ecclesiæ; quæ sanctorum sanguine ædificata est, & roborata: & quorum exemplo magnum augmentum suscepit. Deerat quoque Euangelij prædicatio, Ecclesiæque extensio; & dilatatio, quæ per doctrinam Pauli adimpleta est. Ad hoc igitur descendit Christus visibiliter sensibili, & querula voce illum vocans, *Saule, Saule quid me persequeris?*

Singularis, & mirabilis.

S. Thom.

Colos. 1.

1. Ioan. 2.

Vocis illa geminatio, nominisque Sauli repetitio affectum explicat, quo Deus errantem animam reuocat, fugienti

Vocationis geminatio

diuini a- fugienti obuians, & persequentem ad se alliciens, atque
moris affe- reducens: sicut explicant verba sponsi reuocantis spon-
ctum ex- sam Cant. 6. *Reuertere, reuertere Sulamitis: reuertere, re-*
plicat. *uertere, vt intueamur te* O mira dilectionis Christi di-
Cant. 6. gnatio, quæ non solùm in scelerum, & flagitiorum abys-
so persistentes patienter toleras: sed magna cum beni-
D. Ambr. gnitate ad tuam gratiam allicis, & reuocas! Diuus Am-
Hieron. bros lib. 3. de Virg & Hieron. epist. ad Algasiam pro re-
uertere, legunt, *conuertere, conuertere.* Sic nunc Christus
Dominus vocat Saulum: *Saule, Saule, &c;* Vox est dul-
cis, & quamquam querula, sed suauis; quæ iustificatio-
nem causæ Christi explicat. Similis est voci Dauid ad
1. Reg. 24. Saul. 1. Reg. 24. *quem persequeris Rex Israel: quem perse-*
queris? Cæterum Dauid Deum constituit iudicem suæ
causæ dicens: *sit Dominus iudex, & iudicet inter me &*
1. Reg. 12. *te: & videat, & iudicet causam meam.* Samuel. 1. Reg. 12.
Regem Saul constituit iudicem inter se, & populum di-
cens, *loquimini coram Domino, & coram Christo eius: v-*
trum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum: si quempiam
calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuius-
quam munus accepi, & contemnam illud hodie, restituam-
que vobis. Atque ab omni populo iustitiæ suæ plenissi-
Iudicium mum testimonium accepit. Quale deberent Principes
cum sub- omnes, & Reges terræ præ oculis semper habere, atque
ditis non imitari. *Iob vir simplex, & rectus* cap 31 similiter ait *si*
contemnē- *contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea,*
dum. *cum disceptarent aduersum me.* At verò clementissi-
Iob. 31. mus Dominus cum sit omnium creator, supremus prin-
ceps; & iudex, *cuius misericordia superexaltat iudicium,*
Hiere. 2. non dedignatur subire iudicium cum seruis suis Hie-
rem. 2. *quid inuenerunt in me patres vestri iniquitatis,*
quia elongauerunt a me: & ambulauerunt post vanita-
tem, & vani facti sunt? sic Christus Dominus Rex
Regum, gloriosusque princeps non cum Rege, non
cum seruo, sed cum persecutore Saulo in iudicium de-
scendit: ipsumque iudicent constituit causamque ipsius
iudicio decernendam relinquit, quare se persequatur.
Ille verò nullam persecutionis suæ causam inueniens
Christo victori se subiicit dicens: *Domine quid me vis fa-*
cere? Quasi dicat iustificationem tuam conuictus agno-

sco: te iustum profiteor, neque vllam te persequendi causam inuenio: meque iniustum persecutorem agnosco, me totum voluntati tuæ subiicio: supplexq; veniam peto. Sic postea magno cum animi dolore 1 ad Corint. 15. fatetur: *non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.* 1. Cor. 15.

Deinde vox hæc *quid me persequeris*, explicat quantum diuina bonitas diligat iustos, & amicos, sicut per Zachariam Prophetam satis explicuit capite 2. *qui tetigerit vos: tangit pupillam oculi mei.* De Aquila auium regina refert Plinius, quòd quantumcunque altissimè volet, & a nido recedat, nunquam tamen a pullis, quos sibi relinquit, oculos diuertit: quòd si quis ad nidum accedat, quam citissimè aduolat, vt illos protegat: Christus Dominus vera, & sublimis Aquila est, Deuteronom capite 32. *sicut Aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans*: de cœlo ad terram, imò ad infernum vsque descendit, vt inimicum Draconem contereret: & sicut Aquila tormenti, vel fulguris instar subitò descendit ad pullorum persecutorem Saulum: magnaque cum velocitate aduolauit. Aquila est secundum expositionem Diui Gregorij libro tricesimoprimo, moral. capite 33. & Ruperti super Ezechiel libro 1. capite 5. & 6 illi enim verè conueniunt quatuor vultus, qui Ezechiel primo, & Apocalyp 4 describuntur: in natiuitate enim faciem hominis habuit: in passione vituli: in resurrectione leonis: & in ascensione Aquilæ Quatuorque illa difficilia, quæ Prouerbiorum. 30. Salomon confitetur, de Christo Domino intelliguntur. *Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro. Viam Aquilæ in cœlo, viam colubri super petram: viam nauis in medio mari: & viam viri in adolescentula.* In natiuitate siquidem viam viri Christi in sacra virgine fides docet: Impletumque vaticinium Hieremi. capite 31. *fœmina circumdabit virum.* In vitæ progressu fuit sicut via nauis inter maris procellas: in passione colubet: atque serpens in crucem exaltatus Numero capite 21. & Ioannis capite 3. sicut Diuus Ambrosius eleganter explicat lib. 3. de Spiritu sancto c 9. super petram sepulchri nouam viam inueniés, resurrexit. In ascensione tandem visa est

Diuina bonitas tenerè diligit iustos: puternumq; oculus semper intuetur

Zach 2.

Plinius.

Deut. 32.

D Greg.

Rupert.

Ezech. 1.

Prouer. 30.

Hier. 31.

Num 21.

Ioan. 3.

D. Ambr.

visa est via Aquilæ in cœlo. Aquila est, *quæ ascendit super Cherubin, & volauit.* Quamquam ergo in cœlum ascẽderat, in nido tamen Ecclesiæ reliquerat dilectissimos pullos Apostolos, cæterosque amicos, & filios: quos ex animo diligebat: pro quibus se ipsum tradiderat: & quibus promiserat Ioannis. 14. *non vos relinquam orphanas, vado, & venio ad vos* Intimo cordis amore teneram diligebat Ecclesiam, neque ab illa vnquam oculos diuertebat: in ipsa verius quam in templo per Salomonem ædificato impletum est verbum illud ad Salomonem dictum. 3. Reg. 9. *erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Quare cum Christus Dominus vera Aquila Saulum furore agitatum, pullos inuadentem, & persequentem vidit, continuò in eum irruit, aduolauit: pullosque protegens dixit: *Saule, Saule quid me persequeris.*

Ioan. 14.

3. Reg. 9.

Quæ verba de corpore Christi mistico, quod est Ecclesia intelliguntur secundum regulam D. August lib 3. de doct Christia cap 3 vbi docet, quòd ea, quæ de Christo Domino dicuntur, aliquando de solo capite intelligenda sunt, vt illud Ioan. 14. *ego & Pater vnum sumus.* Aliquando de capite, & corpore, atque membris: vt Esai. 61 *induit me quasi sponsum, & quasi sponsam.* Christus caput. & sponsus est: corpus sponsa. Et Psal. 2. *astiterunt Reges terræ: & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Id quod in Christo capite impletum est: & quotidie impletur in membris. Et sicut Christus in membris, & martyribus patitur: ita etiam in illis loquitur, pugnat, & triumphat tanquam dux in militibus: sicut ait Paulus. 1. ad Corint. 13. *an experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Chrysostomus legit: *an experimentum quæritis præliantis in me Christi?* virtus enim martyris loquentis, patientis, præliantis, tolerantis, & vincentis, à Christo est. Sic enim dixit Dominus Matthæi 10. *non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Sanctus, qui loquitur in vobis.* Et Luc. 21. *ego dabo vobis os, & sapientiam &c.* Aliquando tamen verba quæ de Christo dicuntur, de solo corpore ipsius intelliguntur: vt hoc loco, *quid me persequeris?* id est corpus, & Ecclesiam meam, quam ex animo diligo: & sic-

Quæ de Christo Domino dicuntur in scriptura sacra aliquando de corpore mystico intelligenda sunt.

August.

Esai 6.

Psal. 2.


Chrysost.

Et sicut pupillam oculi mei? Qua voce Christi audita, quæsiuit Paulus: *quis es Domine: & Dominus ad eum: ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris: durum est tibi, contra stimulum calcitrare. Tunc ille tremens, ac stupens dixit: Domine quid me vis facere?* Sicut filius, qui noctu ambulans ignotum patrem sibi obuium vulnerat: statim vt audita voce patris, illum agnoscit: arma proiicit, humi prosternitur, veniamque petens paternos pedes exosculatur: sic Paulus vt Christi vocem audiuit, quasi alter Adam, qui præ pudore abscondi tus est, totus tremens ac stupens Christi pedibus se subiicit: vt verè illum saphirum vocare possimus, quem Ezechiel vidit sub throno Dei. *Hæc fuit mutatio dexteræ excelsi.* Ecce Dominus iam nos ad fidem sua miseratione vocauit: & quotidie ad pœnitentiam; atque gratiam suam magna benignitate vocat: supplices deprecemur, vt ipsius vocationi (vt par est) respondeamus: Et vt Apostolus docet ad Ephes. cap. 4. *Ambulemus dignè vocatione nostra*: gloriosumque principem nostrum, & triumphatorem Christum in vocatione Pauli Doctoris gentium semper laudemus: sicque exaltemus: vt per ipsius doctrinam, & imitationem transmutemur in viros alteros, nunc per gratiam, & in futuro per gloriam, Amen.

Simile.

Ezech. 1.

Ad Eph. 4.



IN EADEM FESTIVITATE,

CONCIO TERTIA.

De triumpho Pauli, quo triumphauit de se ipso.

THEMA.

Domine quid me vis facere?



AGNA vtique est orationis vis. Conuersio Pauli fructus fuit orationis Stephani, qua pro se lapidantibus, & persequentibus orauit. Vt enim ait Diuus Augustinus, *non haberet Ecclesia Paulum, nisi orasset pro eo Stephanus*. Christus Dominus in cruce pro crucifigentibus orans Stephanum inimicos diligere, & pro ipsis orare docuerat, dum orauit dicens: *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt*. Lectionem hanc memoriæ commendauerat Stephanus: & tanquam verus Christi discipulus, dum lapidaretur flexis genibus orauit: *Domine ne statuas illis hoc peccatum*: vt habetur Actuum 7. Quòd si tam pretiosus fuit fructus orationis Stephani, quantò potior erit fructus orationis sanctissimæ virginis? Non enim potest filius non exaudire matrem. Ipsa verò nos exaudiet, auxiliumque diuinæ gratiæ nobis obtinebit, si humili prece salutauerimus, dicentes: *Aue Maria*.

D. August.

Act. 7.

In conuersione mirabili Apostoli Pauli duos gloriosos triumphos celebrat Ecclesia. Priorem quidem, quo inuictissimus princeps Christus Paulum vicit, & ex persecutore in vas electionis, ministrum fidei, Ecclesiæque doctorem transtulit. De quo diximus concione superiori. Alterum triumphum colimus, quo Paulus de se ipso triumphauit: dum in terrâ prostratus, audita Christi voce

ti voce totus tremens, ac stupens, intellectum suum, & voluntatem in obsequium Christi redigens, dixit: *Domine quid me vis facere?* Efficax est diuina motio, sed suauis: vehemens est, sed minimè coacta. Quam statim vt persensit sponsa: toto corde, & corpore contremiscens surrexit, vt aperiret dilecto Cantic. cap. 5. *Dilectus meus misit manum suam per foramen: & venter meus intremuit ad tactum eius. Surrexi, vt aperirem dilecto meo* Vbi per missionem manus, & tactum sponsi diuina motio significatur: per ventrem verò, & tremorem voluntatis obedientia, & commotio cum timore, & tremore apertè indicantur: Sicut Pauli mens experta est: cum tremore, ac stupore plenus dixit, *Domine quid me vis facere?* Dicenteq; Domino, *surge, & ingredere ciuitatem:* surrexit, adiutus non solùm corpore, sed animo totus commotus, vt aperiret cor dilecto per liberum arbitrium à Deo motum, & efficaciter adiutū: ita vt nec solus Deus, nec solus homo, sed vterq; nostram salutem operetur. Sicut ipse Paulus ait 1. ad Corinth. 15. *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Efficax hoc Dei auxilium per immissionem manus, & tactum dilecti aptè intelligimus: quo posito nemo non conuertitur: quo etiam remoto, re ipsa nemo conuertitur. Meritò Hierem. Propheta cap. 31. nomine piorum omnium precatur, *conuerte me Domine, & conuertar: quia tu Dominus Deus. Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam: & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum, & erubui:* sic explicat D. Hieronym. in eum locum. Et Diuus Ambrosius, in Euangelium Lucæ 22. Exponens illud, *conuersus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: quia priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras Petrus fleuit amarè. Quos Iesus respicit, plorant delictum. Respice ergo Domine Iesu, vt sciamus nostrum deflere peccatum, & lauare delictum.* Quæ verba vt grauissima, & Ambrosio digna refert Augustinus lib. de gratia Christi. cap. 45. Vbi de hoc auxilio efficaci differit, aduersus Pelagianos. De quo auxilio dixit Christus Dominus Ioannis ca. 6. *nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me traxerit eum.* Iterumq; eodē capite inferiùs subdit: *propterea*

Cant. 5.

Per missionē manus, & tactum sponsi diuina motio significatur

1. Cor. 15.

Hiere. 31.

D. Hieron.
D. Ambro.

August.

Ioan. 6.

dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.

Diuina gratia nõ minùs suauiter, quã efficaciter omnem cordis duritiem aufert.

Hæc diuina gratia omnem cordis duritiem aufert, sed non minùs suauiter, quàm efficaciter operatur, salua semper arbitrij libertate. Quod enim Ioan. ca. 6. dixit Christus, *nisi Pater traxerit eum:* & Luc. c. 14. *Exi in vicos, & sepes, & compelle intrare,* neque tractio, neq; compulsio est coactionis, quæ arbitrij tollat libertatem: sed efficacissimæ vocationis vis explicatur, qua voluntas mouetur, & immutatur: sic tamen suauiter, vt libertati nulla vis inferatur: quin imò voluntas mota, atque excitata, vehementer, summaq; cum propensione, atq; alacritate prosequatur. Sicut satis propriè effectum diuinæ vocationis intelligens sponsa Canticor. 1. dixit: *trahe me post te curremus.* Quibus verbis vtrumque explicatur: & efficacia Dei vocantis, & suauitas voluntatis obsequentis. Id quod eleganti similitudine explicuit Euangelicus Propheta cap. 55. *quomodo descendit imber, & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur: sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo; non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.* Sic in Pauli vocatione vtrumque videmus, efficaciam nempe, qua motus est, & tractus, atque suauitatem: siquidem libertatis suæ compos, & conscius, voluntatem suam Christi voluntati subiiciens dixit: *Domine quid me vis facere?*

Cant. 1.

Esai. 55.

Gen. 12.

Videre mihi videor magnum illum Patriarcham Abrahamum, qui oraculo diuino dicenti Genes. 12. *egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tuis. & veni in terram, quam monstrauero tibi:* nil restitit: imò summa cum animi alacritate, ac velocitate obtemperauit, vt cognationem, patriam, paternámque familiam desereret: Et in regionem exteram, ac incertam migraret, & peregrinaretur. Quare propter velocem obedientiam meritò vocatur *auis* Esai. 41. Vbi enim nos legimus, *quis suscitauit ab Oriente iustum, & vocauit eum, vt sequeretur se?* septuaginta viri legunt, *quis suscitauit ab Oriente auem?* Quæ verba (vt adnotauit Hieron.) nonnulli

Abraham ob celerem obedientiã vocatur auis.

Esa. 41.

Hieron.

nonnulli ex Hebræis de Abrahamo dicta volunt: qui de Chaldæa vocatus est: cuius vocationis, atque obedientiæ gloriosam memoriam celebrauit Paulus ad Heb. 11. *Fide, qui vocatur Abraham, obediuit in locum extre, nesciens quò iret.* Ideò sponsa Cantic. 1. rogat sponsum: *Trahe me post te, curremus*: id est, si tu Domine attraxeris, nō solùm sequemur, sed curremus. Magnam enim velocitatem diuina virtus præstat, sicut Esai. 40. Dicitur: *qui dat lasso virtutem, & his qui non sunt, fortitudinem, & robur multiplicat. Deficient pueri, & laborabunt: & iuuenes in infirmitate cadent, qui autem sperant in Domino: mutabunt fortitudinem, assument pennas, sicut Aquila, current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient.* D. Bernard, *nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* & Ambr in illud Luc. 1. *exurgens Maria abiit in montana cum festinatione.* Concinit antiquum prouerbium, *amāti nihil satis festinatur.* Plato in Phædro ait, diuini amoris flamma liquefactas mentes alas quasdam ex se proferre, quibus in cœlum ipsum subuolant: sic diuini amoris flammis æstuans Regius Propheta Psal 54. ait, *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? & volabo, & requiescam.* Oportet ad Christi sequelam, & virtutis exercitia alacriter, & incunctanter conuolare. Ob hoc laudatur sacrificium Abel, vt Domino gratissimum (vt adnotauit Ambros lib. de Cain, & Abel c. 7. & 8.) quia statim, & de primitijs, primisq; fructibus terræ obtulit Domino. Similiter laudatur Abraham (sicut adnotauit idem Ambr. lib. 1. De Abraham c. 5) ob celeritatem in sequela Domini: & in exercendo hospitalitatis officio: atque in filij vnigeniti immolatione. Similiter gloriosus Paulus vocatus a Domino non protraxit moras: sed statim vt audiuit vocem Christi dicentis, *ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris*: ipsi se totum subiiciens, atq; ex animo offerens dixit: *Domine quid me vis facere?*

Heb. 11. *Cant. 1.* *Esai. 40.* *D. Bern.* *Ambr.* *Plato.* *Psal. 54.* *Ambr.* *Ambros.*

Insignem victoriæ palmam his verbis cœlo, & Ecclesiæ Paulus intulit. Victoriamque sui ipsius prima lectione exemplo suo Doctor gentium filios Ecclesiæ docuit. Dum enim se ipsum obtulit Christo, simul obtulit omnia Sicut cum Petrus Apostolus se ipsum in Christi sequelam obtulit, Matthæi c. 19. dixit: *ecce nos reliquimus omnia.*

Prima lectio Pauli fuit prædica per abnegationem sui ipsius. *Matth. 19.*

omnia. Qui enim propriam voluntatem, & proprium amorem deserit: omnia relinquit. Hæc summa fortitudo: hoc gloriosus Pauli triumphus. Sileant Alexandri, Cæsaris, Romanorum omnium: Iosue, Gedeonis, Dauidis, Iudæ Machabæi, cæterorumque quos fama celebrat, trophæa. Nam vt dicitur Prouerb. capit. 16. *melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium*; qui enim se ipsum vincit, cœlum expugnat. Diuus Ambrosius, in illud Matthæi. c. 11. *A diebus Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur: & violenti rapiunt illud*: violentos, qui sibi ipsis vim inferunt: sibique illata vi regnum cœlorum viriliter conquirunt. Sic Paulus non tantùm verba, sed opera, & voluntatem propriam, quæ radix est operum, offert Christo dicens, *Domine quid me vis facere*? Sic ad Rom. cap. 2. docet Apostolus: *non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur*. Et Iacob cap. 1. *Estote factores verbi, & non auditores tantùm*. Hæc est prima lectio practica, quam Doctor Ecclesiæ Paulus primo die conuersionis suæ nos edocet: incipit enim (sicut de Christo Domino (Actuum capit. 1. dicitur) facere, & docere. Hæc est summa totius Christianæ disciplinæ, cœlestis sapientiæ, scientiæque sanctorum, quæ in abnegatione sui ipsius sita est: sicut docuit Christus Lucæ capite 9. *si quis vult post me venire: abneget semetipsum: tollat crucem suam: & sequatur me*. Sic Paulus audiens Christum, videtur illi respondere: video te (ô Domine Iesu) caput spinis habere transfixum: manus, & pedes clauis perforatos: totum corpus flagellis afflictum, pulcherrimum vultum sputis illitum: atq; pro meis sceleribus cum iniquis deputatum, iniusteq; damnatum: en tibi cor meũ, voluntatem propriam: me ipsum, & omnia offero: *quid me vis facere*?

Prou. 16.

D. Ambr.

Rom. 2.

Iacob. 1.

Act. 1.

Luc. 9.

Per hanc viam abnegationis suæ duxit Dominus præcipuos amicos. Abrahamum, Isaac, Iacob, Dauid, & reliquos. Quare Abrahami aliorumque exempla commendat Paulus ad Hebr. cap. 11. qui diuinæ voluntati obsequentes, seque ipsos abnegantes *vicerunt regna, operati sunt iustitiam, & adepti sunt repromissiones: alij ludibria, & verbera experti, insuper, & vincula: & carceres: lapi-*

ad Heb. 11.

lapidati sunt, secti sunt, &c. Egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. Hanc promptam voluntatem offerebat Domino Rex Propheta Psalm. 56. Dicens cum geminatione: *paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Et iterum Psalm. 58 *Fortitudinem meã ad te custodiam* Fortitudo præcipua animæ, *el castillo y fortaleza,* voluntas est. Hanc fortitudinem petit Christus, *cum stat ad ostium, & pulsat* Apocal. cap. 3. quasi dicens, *fili prabe mihi cor tuum:* hic est cibus, quem tecũ cœnare volo. Hoc est, quod in vmbra Dominus petebat, cum Leuit. cap. 7. num. 8 præcepit in omni sacrificio offerri sibi sanguinem animalis per sanguinem, qui sedes est animæ, in quo spiritus vitales resident, voluntas designatur: sicut docet Angelicus Doctor 1. 2. q. 102. art. 3. ad octauum Nil mirum, quòd Christus à nobis cor petat: siquidẽ ipse erga nos appositum habet cor, & pro nobis latus suum aperiri voluit, vt patri cor pro nobis offerret: simulq; ad cor suum aditus nobis semper pateret: hæc est enim *cauerna maceria,* ad quam Cant. c. 2 Sponsam inuitat, vt veniat Vnde meritò Dauid vires omnes animi, & corporis intendebat, vt debitum Domino exolueret. Psal. 102. *benedic anima mea Domino, & omnia qua intra me sunt nomini sancto eius.* Et Psal. 83. *cor meũ, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Similiter Paulus cor suum, & carnem, & omnia Christo offert, atque vt cordis sui hospitium pro tanti hospitis dignitate decentiùs præparet, à se ipso egreditur: vt Christus totum cordis hospitium occupet: sicut ad Galat. 2. ait, *viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Ecce quam verè cordis sui possessionem, proprietatem & claues Christo Domino tradiderit, cũ dixit, *Domine quid me vis facere?*

Psal. 58. *Prouer. 28.* *Leuit. 7.* *D. Thom.* *Cant. 2.* *Ad Gal. 2.*

Magnum vtiq; emphaticum, substantiale, & essentiale verbum, quod protulit mutatus in virum alterum. Videtur mihi fuisse diuini verbi Christi Domini resonans in cœli altissimis Echo: quod retulit non duo, vel tria, sed quinq; verba Christi: Christus enim quinque verba protulerat: *Saule, Saule quid me persequeris?* veluti dolens, quòd persecutione sua, quinq; vulneribus nouum dolorẽ adderet, quibus quinq; verbis Christi totidẽ respõdit Paulus, mortificatis quinq; sensibus suis: *Domine*

Quinque verbis Christi veluti Echo, totidẽ resonuit Paulus.

quid me vis facere? Quibus quinque verbis ditior, atque fœlicior fuit sors Pauli, quam Beniamin quinque vestibus optimis, quas Ioseph frater illi contulit. Illæ enim stolæ, Beniamin induentes, illi in ornamentum fuere: Paulus verò his quinque verbis proprium amorem exuens voluntatisq; suæ stolam Christo offerens, multò pretiosiori stola indutus est: *y quedò mejorado en tercio y quinto:* quia, quamquam nudus voluntatis vestimẽto, Christum induit.

Genes. 45.

Quinque verbis suis fœlicissimam hanc sortem meruit *de ser mejorado en tercio, y quinto.* Christus Dominus quinque verbis panem in verum corpus suum in cœna vltima transsubstantiauit: totidem Saulum in terram prostrauit: & ex persecutore in verum defensorem, protectorem, atque magistrum mystici corporis Ecclesiæ conuertit: totidemque verbis Paulus Christo respondit se totum illi tradens: vereque conuersum, & transmutatum professus. Hæc vtique mutatio fuit dexteræ excelsi. Quare Apostolus verba Christi suæ conuersionis operatiua memoria semper recolens: efficaciamq; quinque verborum Christi celebrans 1. ad Corinth. 14. ait: *Volo in Ecclesia quinque verba sensu meo loqui, vt & alios instruam: quam decem millia verborum in lingua:* id est malo pauca ad intellectum, & cor cum sensu, spiritu, & vita, qualem in me habuerunt quinque verba Christi, loqui: quam decem millia verborum cum humanæ eloquentiæ floribus, & ornamento, quæ aures demulceant.

1. Cor. 14. *Præstat pauca verba cũ spiritu, & vita, dicere: quã multa cum verborum ornatu.*

Deinde quinque verba dixit, sicut adnotauit Doctor Sanctus in ea verba Pauli, lect. 4. quia quinque sunt, quæ potissimùm loqui oportet ad cor. Primò credenda: ad Titum. 3. *hæc loquere & exhortare.* Secundo agenda: Marci vlt. *euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia, quæcumque mandaui vobis.* Tertio vitanda, scilicet peccata: Eccles. 21. *Quasi à facie colubri fuge peccata.* Esai. 58. *annuncia populo meo scelera eorum: & domui Iacob peccata eorum.* Quartò speranda: id est mercedem æternam: 1. Petr. 1. *credẽtes exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata: reportantes finem fidei vestræ salutem anima-*

D. Thom.

1. Petr. 1.

animarum vestrarum. De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ. Quintò timenda scilicet pœnas inferni, Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Hæc sunt quinque verba, quæ semper docuit Paulus, quæ didicit ex lectione quinque verborum Christi, quibus totidem quinque velut cœlestis Echo respondit: *Domine quid me vis facere?*

Dialectici dicunt, quod ad quæstionem, per quid, respondendum est per essentiam rei. Sic Paulus quærenti Christo, *quid me persequeris?* respondit per verbum essentiale, & substantiale: *Quid me vis facere?* in hoc sita est tota essentia, & substantia religionis, imò & vitæ Christianæ in obedientia, & conformitate propriæ voluntatis cum diuina. Multi quidem facilè ieiunant, flagellantur, cilicijs vtuntur, eleemosynis, & orationi incumbunt, alij Sacramentorum frequentia delectantur: impetum tamen propriæ voluntatis vincere nequeunt: quin imò illius fluctibus ducuntur, & victi succumbunt. Atqui propriæ voluntatis abnegatio essentialis est, & tutissima salutis via. *Nos vellemus* (ait D. Bernardus) *vt Dominus diceret nobis id, quod dixit cæcis: quid vultis, vt faciam vobis? Querriamos Dios hecho à nuestro talle, y volunt ad. Nō tamen sic expedit, sed rursus, vt voluntas nostra in omnibus, & per omnia diuinæ subijciatur.* Sicut Paulus subiecit, dicens: *Domine quid me vis facere?* Et sicut in oratione dominica dicimus: *Fiat voluntas tua.* Solus Deus est quid, & substantia intellectus, & voluntatis, ille solus vtrumque replet. Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscam te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Et Rex Propheta ait: *Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* Quasi dicat, præter Deum nihil habet quidditatem, nec substantiam, neque in cœlo, neq; in terra. Solus Deus implet cor: Vnde subdit: *Deus cordis mei, & pars mea Dominus.* Atque adeò sicut nihil præter Deum humanum cor replere potest, sic neq; Deo quidquam præter cor, & voluntatem satisfacere potest. Quare rectè Paulus, vt diuino Spiritu edoctus, hæc illi offert, imò & cor suum omninò euacuat, vt Christi amor totum repleat. Sicut enim pupilla oculi plena luce radiorum solis,

In obediētia diuinæ legis sita est substātia Christianæ religionis.

D. Bernar.

Ioan. 17.

Psal. 72.

Simile.

solis, vel aliquo colore, non potest alia videre, neque vas plenum aqua potest alio liquore repleri, quia (sicut Philosophus ait) *intus existens prohibet extraneum*, 4. Reg. 4. cum vasa viduæ fuere plena, stetit oleum. Liquor amoris diuini pretiosior est super omnia vnguenta, & aromata: oportet ergo vas cordis euacuari, vt diuini amoris cœlesti liquore impleatur. *Amor enim sui vsq; ad contemptum Dei Babylonem ædificat:* vt ait August. *Amor verò Dei vsq; ad contemptum sui cœlestis Hierusalem ædificium construit.* Vbi deest fundamentum diuini amoris, spirituale ædificium non consurgit, imò statim ruit.

4. Reg. 4. *Vas cordis euacuare oportet, vt diuini amoris liquore impleatur* *August.*

Vt verò diuini amoris fundamentum firmum iaciatur, oportet terrenos affectus foras expellere. Sic intelligo verbum illud Christi Matth 8 & Luc. 6 *Sinite mortuos sepelire mortuos suos.* Nonne patrem sepelire opus est pietatis? Vtique ait D. Ambros. super Luc. 9. Cæterum voluit Christus hanc veritatem nos docere, quod mundanorum respublica verè est respublica mortuorum. Considera mortuorum rempublicam, comedentium, bibentium, & ridentium, quis non stuperet? Augustinus multò magis miratur, quomodo anima viuat sine Deo, quam corpus sine anima. Mundani ergo dum diuitijs, & honoribus, alijsq; seculi bonis filios, & amicos onerant, illos sepeliunt: nil enim aliud quam terram super terram accumulant: *tierra y mas tierra.* Terrena enim omnia cordis oculos operiunt, ne veritatis lucem aspicere possint: Sapient cap. 8. *Terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Mundanis ciuibus meritò clamat Hieremias Propheta, capite 22. *Terra, terra, terra, audi verbum Domini.* Iusti quidem bis terra sunt, ex limo terræ conditi, & in terram in fine vitæ reuersuri: Cæterum dum viuunt, cœlum sunt, quorum *conuersatio in cœlis est,* Philip. 3. Mundani verò ter sunt terra: in ortu, in vita, & in morte.

Matth 8. *Ambros.* *Respublica mundanorum verè mortuorũ respublica est.* *August.* *Sap. 8.* *Hiere. 22.* *Philip. 3.*

Oportet igitur cor terra euacuare, vt cœlo repleatur. *Delicata est enim diuina sequela* (vt ait Ambrosius super Luc. 9) Bonum studium erga parentes, sed maius impedimentum; nam qui partitur studium, deriuat affectum, qui diuidit curam, differt profectum. Consanguinei, & amici tyranni sunt, & raptores pacis interioris hominis, fructus-

Ambros.

fructusque spiritualis. Vnde Christus Dominus Matth. 10. *Nolite arbitrari, quia pacem veneri mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius.* Id quod Paulus intelligens ad Galat. capite 1. ait: *Cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret in me filium suum, continuò non acquieui carni, & sanguini.* Ex vtero synagogæ vocatus Paulus, vel ex vtero matris prædestinatus in Euangelium, non acquieuit carni, & sanguini: sicut iterum ad Philippens. capite tertio ait: *Quæ retrò sunt, obliuiscens.* Imò & à seipso, proprioque amore, & æstimatione discessit, sicut primæ ad Corinth. capite 15. constat. Cùm enim plus omnibus laborasset, ait: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei.* Et 1. ad Timoth. 1. *Qui fui blasphemus, & persecutor. At qui se humiliat, exaltabitur:* & qui se vocat minimum, a Christo exaltatus est vsq; ad tertium cœlum, & ab Ecclesia vocatur magnus, & Theologorum princeps Thom. 1 ad Corin. 15 lect. 1. de Paulo explicat illud oraculum Esa. 60. *Minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortissimam.* Sanctus Doctor legit, *& Paulus in gentem fortissimam.* Atq; ita impletum est, dum minimus conuertit millia, atq; in spirituali militia fortes cõsistere, fortiterq; resistere docuit.

Matth. 10. Ad Gal. 1. S. Thom. Esa. 60.

Hæc est prima lectio, quam Paulus nos edocet, nẽpe vt Deo offeramus cor. Hanc re ipsa exhibuit, à seipso exiens, vacuumq; cor Christo offerens, id quod vel nomen Paulus significat, id est, pusillus, & seipso vacuus, sicut verba significant, quibus voluntatem suam Christi voluntati subiecit, dicens: *Domine quid me vis facere?*

Quæ verba dulcedine plena sunt, fauumq; mellis cõtinent in ore leonis inuentũ. Hanc dulcedinem, animiq; teneritudinem effecit in Paulo vox Christi Domini, sicut fœlix anima in Dei sponsam electa experitur, quæ audita voce sponsi Cant. 5. ait: *Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est.* Hebræa lectio habet: *Anima mea exiuit, cùm ille loqueretur.* Eodẽ ferè modo habet translatio

Vox Christi dulcedine replet animam. Cant. 5.

septua-

septuaginta virorū: *Anima mea exijt, seu egressa est:* quasi dicat, ecstasim, vel excessum, & alienationē mentis passa est, obstupefacta, conturbata, & præ nimio amore attonita, vt in tanta rei nouitate, & admiratione nescirē quid agerem. Sic Moyses dixit ad Dominum, Exodi 4. *Ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris linguæ sum.* Elegāter tamen, & satis propriè interpres Latinus transtulit, liquefacta est. Anima enim præ nimio amore quasi liquescit, labefactatur, & soluitur, vt interdum nō sit vox, neq; mens, neq; sensus, id quod exprimitur per verbum, liquefacta est, significatur enim amatorius affectus, quo anima quasi deficit, & patitur deliquiū. Sicut apud Virgilium Eclo. 8. Maga illa, seu venefica Daphnidem optabat sic amare, vt tanquam cera liquesceret, sic dicens:

Limus vt hic durescit, & hæc vt cera liquescit:
Vno eodemq; igni, sic nostro Daphnis amore.

D. Ambro. Similiter D Ambros. in commen. in Psalm. 118. in illa verba: *Defecit in salutare tuum anima mea*, dicit amoris affectum ibi explicari. Quidquid enim est desiderabile, si non contingat desideranti, deficit in illud, & quasi deliquium patitur anima. Si tamen spes consequēdi assurgat, recipit animum. Absentia item dilecti defectionem solet efficere. Eadē metaphora esse videtur in verbo deficiendi, & liquescendi, vel exeundi à se, idemq; affectus amoris exprimitur: Quo liquefactus Paul⁹ audita Christi voce, omnique animi duritie, & obstinatione in summam teneritudinem conuersa, mutatus in virum alterū, & quasi extra se exiens, dixit: *Domine quid me vis facere?* Hanc igitur Pauli primam lectionē ex animo discamus, & in corde abscondamus, vt amore proprio deposito Christi dilectione, ipsiusq; voluntatis obedientia in omnibus sic repleamur, vt non viuat iam, neq; *regnet peccatum in nostro mortali corpore:* quin potius *abnegantes nosmetipsos*, voluntatis nostræ fortitudinem Christo Domino tradamus, vt ipse viuat in nobis, & nos per ipsum reportemus nunc triumphum gratiæ, & in futurum palmam gloriæ. Amen.



IN

IN EODEM FESTO,

CONCIO QVARTA.

De vase electionis, atq; de dignitate ministerij Euangelici.

THEMA.

Vas electionis mihi est iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Israel. Act. 9.

VERBA sunt Saluatoris Christi ad Ananiam, quibus Pauli electio, dignitas, & excellentia explicantur. Siquidem ipse Christus testatur esse vas electum, quod ad ministerium prædicationis ante mundi constitutionem elegerat, & nunc Spiritu sancto suo repleuit: sicut & ipse Apostolus 2. ad Cor. 3. testatur, dicens: *Qui & idoneos nos fecit ministros novi Testamenti.* Et iterum: *Nos Spiritum mundi huius non accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est.* Petamus & nos; quo vasis huius excellentiam, atque electionem dignè explicare valeamus; vt Spiritus diuinæ gratiæ nos repleat, per almæ Virginis intercessionem dicentes: *Aue.* 2. Cor. 3.

Paulus Apostolus ad Roma. 10. docet ad salutem hominis duo esse omninò necessaria, scilicet corde credere, & ore fidei veritatem confiteri. *Corde* (inquit) *creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et in hoc *non est distinctio Iudæi, & Græci, nam idem est Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum.* Id quod probat Apostolus ex testimonio Iohelis 2. *Omnis, quicumq; inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Inuocatio enim ad salutem, fidem præsupponit. 2. ad Corinth. 4. *Nos credimus,*

mus, propter quod & loquimur. Et Psalm 115. *Credidi propter quod locutus sum* Fides verò procedit ab auditu, Ro. 10. Siue interiori, vt in Psal. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus:* siue exteriori, sicut Act. 10. *Adhuc loquēte Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant Verbum.* Cùm igitur *fides sit ex auditu, auditus autem per verbum Christi:* Tunc subdit Apostolus: *Quomodo audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur? Sicut scriptum est: quam speciosi pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona?* Ad salutem ergo necessaria est cognitio diuinæ veritatis, & voluntatis. Veritatis ad credendum: voluntatis verò ad operandum. Quare diuina bonitas, atque prouidentia, quæ nunquam deficit in necessarijs, magna solicitudine semper misit Prophetas, Prædicatores, atque Doctores: Esa. capite 21. *Quæ audiui à Domino Deo exercituum, annunciaui vobis.* Hierem capite 7. *Locutus sum ad vos manè consurgens, & non audistis.* Et cap. 25. *Locutus sum ad vos de nocte consurgens, & loquens, & non audistis. Et misit Dominus ad vos omnes seruos suos Prophetas, consurgens diluculò, mittensque, & non audistis, neque inclinastis aurem vestram.* Diuus Hieronymus non per vnum Prophetam, sed per omnem populum suum Deus admonuit: & quasi ipse in vigilijs, & excubijs constitutus surrexit diluculò, vt populum suum commoneret: sicut 2. Paralipom. capite 36. habetur locus insignis: *Fecitque malum in oculis Domini Dei sui, nec erubuit faciem Hieremiæ Prophetæ loquentis ad se ex ore Domini.* Et subdit: *Mittebat autem Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum nunciorum suorum, de nocte consurgens, & quotidie commonens, eò quod parceret populo, & habitaculo suo.*

Fides ex auditu procedit.

Esa. 52.

Diuina bonitas Ecclesiæ semper prouidit duces, atque Doctores.

D. Hieron.

2. Paral. 36.

Sic autem Deus dilexit mundum, vt non tantùm Prophetas, & Doctores miserit, sed & filium suum vnigenitum: sicut ipse dixit Luc. cap. 20. In celebri illa parabola vineæ, Dominus enim vineæ, Pater vtique æternus post occisos alios ministros tandem misit dilectum filium suum, dicens: *Verebuntur forsan filium meum.* Quare Esa. capite 5. meritò conqueritur; *Quid vltra debui facere vineæ meæ?* Nunc verò, cùm videmus nullos amplius ad Iu-

Luc. 20.

Pater æternus ex nimia dilectione filium suū nobis

ad Iudæos mitti Prophetas, euidens signum est, quod translata est iam lex, translatumque sacerdotium. Summum enim, atque vltimum supplicium Domini est non mittere Prophetas Ezech 3. *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, quia domus exasperans est:* Threnor. 3. Id extremæ miseriæ signum ponitur, quod *paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Et Amos 8. *Emittam famem in terram, non famem panis, nec sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini* Vt igitur necessitatem Euangelicæ doctrinæ, dignitatemq; ministerij prædicationis Dominus ostēdat: & quanti æstimet vnum dignum ministrum, ipse Christus Dei filius hodie visibiliter de cœlo descendit, inclamans, & ex nomine Saulum vocans, atq; ex persecutore prædicatorem gentium instituens: sicut & ipse Paulus ad Galat. 1 ait: *Vocauit me per gratiam suam, vt euangelizarem illum in gentibus* Hoc est, quod nunc in visu dixit Dominus Ananię, *Vas electionis mihi est iste.*

dedit in magistrū. *Ezech.* 3. *Thren.* 3. *Amos* 8. *Galat.* 1.

In magna domo (vt Paulus ait 2. ad Timoth. capite 2.) *non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia. Et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Sic in domo Ecclesiæ, Baruch 3. *O Israel quam magna est domus Dei!* Esa 32. *Fraudulenti vasa pessima sunt.* Eccles 21. *Cor fatui, quasi vas confractum.* Iusti verò vasa sunt aurea, & argentea, secundum maiorem, vel minorem charitatis splendorem, vasa sunt in honorem, & testimonium diuinæ misericordiæ: impij verò vasa sunt contumeliæ, atq; iræ, *apta in interitum*, in quorum vindicta splendet diuina iustitia. Hiere 8. *Surge, & descende in domum figuli, & ibi audies verba mea* Oportet à somno culpæ surgere, atq; per humilem tui cognitionem, quod lutum sis, puluis, & cinis, militantis Ecclesiæ magnam domum intueri, in qua multa vasa sunt, & plurima ex eis pretiosa, quamuis fictilia: *portamus enim thesaurum in vasis fictilibus:* 2. ad Corint 4. Ibi doctus est Propheta, quod sicut lutū in manu figuli, ita nos in manu Domini. Et sicut figulus vas factum ex luto, pro suo libito diruit, & immutat lutū in vas alterum, sic diuina potētia ostēditur, dū homines in viros alteros cōmutat. Sic mirabilis est cōuersio cuiuscunq; peccatoris. Insignis

2. Tim. 2. *Esa.* 32. *Eccl.* 21. *Hiere.* 8. *2 Cor.* 4.

fuit

fuit Matthæi vocatio, mirabilis Magdalenæ conuersio: Hæc verò Pauli mirabilior est,& stupenda.

Esther 1. Magnus ille Persarum Princeps Assuerus fecit grande conuiuium cunctis Principibus Persarum,& Medorum, & præfectis prouinciarum: *Vt ostenderet diuitias gloriæ Regni sui:* & inter cætera bibebant, qui inuitati erant, aureis poculis,&alijs,atque alijs vasis cibi inferebantur, sicut inter Principes moris est. Sic similiter in conuiuio *Ephes. 4.* nuptiarum diuini Verbi cum Ecclesia,vt ostenderet Pater æternus diuitias gloriæ suæ, præparauit vasa aurea, & argentea: dum *ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas: alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij.* Maximè verò dedit Ecclesiæ suæ *Ephes. 3.* Apostolum Paulum, *Vas electionis:* sicut ad Ephes. 3. ipse ait: *Mihi Sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus Euangelizare inuestigabiles diuitias Christi,& illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à seculis in Deo, vt innotescat principatibus, & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Prou. *Prouer. 20.* 20. *Est aurum,& multitudo gemmarum, vas autem pretiosum, labia scientia.* Cæteri quidē Apostoli fuere aurum, & gemmæ, quæ Ecclesiam exornant: Paulus verò vas pretiosum est, & labia scientiæ habens. Fuit enim vas plenum Euangelica doctrina.

Scyphus fuit Ioseph in quo augurari solebat, Genesis 44. Qui positus est in ore sacci Beniamin. Quam figu- *D. Ambro.* ram explicant D Ambros. de Ioseph. cap. 11.& Beda super *Beda.* Genes. 42 de Paulo, qui Beniamin vocatur, non solùm, quia fuit de tribu Beniamin, sed quia binomius fuit, sicut Beniamin, & quia vltimo vocatus, atque natus: qua ratione ipse vocat se minimum Apostolorum; & in quo impletum est Iacob Patriarchæ vaticinium, Genesis 49. *Beniamin lupus rapax:* sicut superius concione prima fusius explicuimus. Saccus Beniamin apertus est, cùm *ceciderunt ab oculis eius, tanquam squamma:* & accepit Spiritum Christi ad prædicandum. Quare dixit Ananiæ, *Vas electionis mihi est iste,* id est, vas electissimum: Hebraismus est, sicut filius dilectionis, id est, dilectissimus. Subdit verò, *mihi est iste,* iam enim non sibi viuit, quia (vt

ipse

ipse ait ad Gal.1.) *Postquam complacuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, continuò non acquieui carni, & sanguini* Et iterum ad Gal. 2. *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Id quod responsione sua ad Christũ manifestè professus est, quod vellet deinceps ipsi viuere, voluntatisq; habitaculum soli Christo præparare, cùm dixit: *Domine quid me vis facere?* Ex tunc enim cœpit Christo viuere, in ipsius manus se totum resignans, nihilq; sibi reseruans. Vel sensus est, vas electionis mihi est iste, id est, Ecclesiæ meæ, iuxta regulam Beati Augustini, quod ea, quæ de Christo dicunrur, sępè de corpore ipsius mystico intelligi oportet: sicut est illud Matth. cap. 25. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* *Galat. 1.* *Galat. 2.* *August.* *Matth. 25.*

Vas vtique electionis fuit Paulus, cui aptè conuenit, quod Ecclesiast. 50. de Simone Oniæ filio Sacerdote magno dicitur: *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* Verè aureum vas, quia splendida charitate ardebat, cùm dixit: *Quis nos separabit à charitate Christi?* ad Rom. 8. Et cum optabat *Anathema esse pro fratribus*, Rom. 9. Solidum quoque vas fuit, non fragile, neque infirmum; sed forte, solidum; quod nullis ictibus mundi, neque cœli, & terræ, imò neque inferni frangi potuit. Solidum (inquam) non vanum, neque vacuum: imò omnem mortiferum liquorem mundi, amoris proprij, atque odij, quo Christi Ecclesiam persequebatur, prorsus euacuauit, repletusque est diuini Spiritus liquore, & gratia, quæ in ipso vacua non fuit: quin potius adeò fuit aucta, quod vas ipsum sic corroborauit, atq; solidum effecit, vt capax fuerit cœlestis nectaris gloriæ. Verè fuit *vas admirabile opus excelsi*, Eccles. 43. Ex materia molli non mirum est, quòd vas pulchrum pro voto artificis perficiatur: in materia verò scabra, duriori, & rudiori maior peritia artificis ostēditur, vt si ex rudi petra pulcherrimum vas perficiat, meritò mirentur omnes. Ecce dextera manus Christi ex Saulo persecutore, omnique saxo duriori non tantum vas pretiosum efficit, sed adeò admirabile, quod sicut olim ex petra Oreb tactu virgæ Moysi largissimè fluxerunt aquæ populo Dei, Num 20. Id quod Rex Propheta Psalm 113. magnificè celebrauit: *Qui conuertit* *Paulus fuit vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso.* *Eccl 43.* *Simile.* *Num. 20.* *Psal. 113.*

petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum: sic tactu vocis Christi ex petra durissima cordis Sauli factum est *Vas admirabile:* quod vniuerso mundo cœlestis doctrinæ aquæ vitæ fluenta propinauit. Si videres desertum, terram inuiam, petrosam, aridam subito mutatam in amœnissimum hortum voluptatis, quasi paradisum, meritò rei nouitatem, & mutationem admirans diceres: potentissima manus fecit hoc opus, sicut contingit his, qui nunc aspiciunt fabricam D. Laurentij Regalis, & olim nil aliud quam nemus, & solitudinem agnouerant: sic cum mirabilem, ac subitam mutationem Pauli contemplamur, meritò dicimus, *hæc mutatio dexteræ excelsi.*

Esa. 41. Nunc impletum est oraculum Esa. cap. 41. *Dabo in solitudine cedrum, & spinam, & myrtum, & lignum oliuæ: ponam in deserto abietem, Vlmum, & buxum simul. Vt videant, & sciant, & recogitent, & intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc.* Non minus mirabile fuit opus cōuersionis Pauli, quo ex vase contumeliæ factum est *Vas electionis*, & gloriæ.

Cætera vasa cuiuscunque materiæ sint, liquorem infusum, si non minuunt, nunquam tamen augent. Quod si inueniretur vas, quod infusum liquorem augeret, nullum pretium illo dignum iudicaremus. Ecce Paulus vas est pretiosissimum, *& admirabile, opus excelsi:* quod in se suscepit nomen Christi: quod oleum est effusum de cœlo, super omne balsamum, & vnguenta pretiosum: sic enim dixit Dominus Ananiæ, *Vas electionis mihi est iste, vt portet nomen meum.* Sic autem portauit, quod non tantùm fideliter illud seruauit, & reddidit, sed auxit, & gloriose multiplicauit, sicut ipse ait ad Philip. c. 1. *Magnificabitur Christus in corpore meo, siue per mortem, siue per vitam. At quis magnificabit eum sicuti est à principio?* Eccl. cap. 43. in seipso, cum sit verus Deus excelsus, & immensus, magnificari, vel minorari nullo modo potest: in nobis tamen, nostraq; cognitione tunc magnificatur Christus, quando ipsius cognitio dilatatur, & pluribus communicatur, cumque doctrina, & exemplo ipsius magnitudo pluribus ostenditur. Gloriosus ergo Paulus verè magnificauit Christum, dum terram, & mare Euangelio repleuit: sicut ad Rom. cap. 15, ait: *Ita vt ab Hierusalem*

Paulus vas mirabile, quod oleū nominis Christi non tantùm seruauit, sed auxit.

Ad Ro. 15.

per

per circuitum vsque ad Illiricum repleuerim Euangelium Christi. Explicatq; modum subdens: *Sic autem prædicaui Euangelium non vbi nominatus est Christus.* Gloriosus igitur Apostolus meritò per vniuersalem Christi Ecclesiam celebrandus est, siquidem vniuersum mundum, mare, & terram Euangelio repleuit: in ipsum cœlum raptus *audiuit arcana verba, quæ nō licet homini loqui:* infernum ipsum timore replet: Simonem Magum oculorum lumine priuat: Listris paralyticum sanat, Dæmones expellit: vincula ex eius pedibus soluuntur, portæ illi aperiuntur, terra tremit: illum veluti Deum adorare vult mare, illum reueretur: semicinctia, & sudaria sunt in salutem: suscitat mortuos. *Vas ergo fuit admirabile opus excelsi:* id quod vnico verbo Christus Dominus explicuit, dicens: *Vas electionis mihi est iste, vt portet nomen meum coram gentibus,* &c. *Act. 14.*

Petro quidem Christus Dominus commisit Ecclesiam, Ioanni matrem, Paulo nomen. Vas est Saulis, quod ad caput suum plenum aqua habet cum hasta cōtra Ecclesiam, cuius sanguinem sitiebat. 1. Reg. 26. Christus verus Dauid hastam, & arma Diaboli abstulit, quia fortior illo superuenit, Lucæ 13. & *vasa illius diripuit:* pretiosumque vas Sauli sibi elegit. Vas est nouum, Euangelico sale plenum, quod verus Elisæus Christus in aquas mundi misit, vt sanaretur aquarum sterilitas, & amaritudo. Vas est, quod portauit lucem Euangelicæ doctrinæ, & quanquam vas fictile, pretiosum tamen, quia portabat testimonium efficax patientiæ, longanimitatis, & misericordiæ, diuinæ potentiæ, atque efficacis vocis Christi. Hic est thesaurus triumphi, & victoriæ Christi, de quo ipse ait 2. ad Corinth. 4. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis.* Et subdit: *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* Et ad Gal. 6. *Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Christus Dominus nomē æterni Patris portauit, & manifestauit hominibus, vt ipse ait Ioan. 17. Paulus verò nomen Christi, vt vas electissimum per vniuersum orbem portauit. Impletumque est in illo Esa. vaticinium 49. *Parum mihi est, vt sis mihi seruus ad suscitandas*

Paulus vas fuit cum hasta à Saule ereptum. *1. Reg. 26.* *Luc 13.* *4. Reg. 2.* *2. Cor. 4.* *Galat. 6.* *Esa. 49.*

tribus Iacob, & faces Israel conuertendas, dedi te in lucem gentium. Hinc à Gregorio Nisseno Oratione 14. in Cantica dicitur Paulus locasse vocem suam Christo Domino, vt ex ipsius gutture suauissima manaret oratio. Sicut enim Ioannes Baptista dicitur fuisse vox, sic Paulus guttur erat loquentis in se Christi, cui satis congruenter aptari potest, quod Cantic. 5 dicitur, *guttur illius suauissimum.* Fuit enim adeò suaue per Euangelicæ doctrinæ prędicationem, perfectis quidem solidum cibum proferens, paruulis verò lac exhibens, vt cum Romæ decollatus fuit, lac pro sanguine fluxerit.

Greg. Niss.

Paulus guttur Christi meritò dicitur.

Cant. 5.

Vas fuit electissimum plenum diuino, & cœlesti odore: sicut ipse ait 2. ad Corinth. capite 2. *Christi bonus odor sumus:* & odorem notitię suæ manifestat per nos *in omni loco.* Et sicut Basilius magnus Epist. ad Iulittam, quæ est 175. ait: *Quadam est ars aucupandi columbas, videlicet, vt cum aucupes vnam capiunt, illam cicurem reddunt, & humano conuictui assuefaciunt. Deinde vnguento alas perungunt, volareque sinunt, & agrestibus coniungi, vt odore suo illas ad suum columbare trahant:* sic Paulus odore suo tam Euangelicæ prædicationis, quam exempli, veluti suauissimo vnguento innumeram multitudinem fidelium ex infidelitatis agris, & solitudine in Christi columbare, veluti simplices columbas attraxit. Impletumque est illud Cantic. 1. *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Christus Dominus per odorem suauissimi vnguenti, quod in vase electionis Paulo deposuit vniuersum mundum ad cursum excitauit. Ea ratione Christus Dominus tam sublimis ministri celsitudinem explicuit, non solùm vas electionis appellans, sed dicens, *est mihi iste:* quasi dicat, quamuis alij suppetant prædicatores, & Euangelij ministri, vnus hic Paulus præ omnibus mihi est. Diuus Chrysostomus comparat Paulum omnibus antiquis Patribus. Laudátque primùm illum iustum Abel, cuius sacrificium respexit Dominus, Genesis 4. Pauli verò sacrificium multò fuit gratius, quia seipsum in holocaustum obtulit. Noe saluauit per arcam octo animas: Paulus per Euangelium omnem Ecclesiam. Abrahæ fides commendatur, quia obediens diuinę voci patriam deseruit, & filium obtulit: Paulus

Basil.

Simile.

Cant. 1.

Paulus inter Sanctos omnes, tam veteris, quam noui Testamẽti, palmam habet, & laudem.

D. Chrys.

Paulus statim, vt audiuit Christi vocem, continuò non acquieuit carni & sanguini, imò & seipsum abnegauit, & in sacrificium obtulit. Laudatur Iacob, qui in somnis scalam vidit stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Paulus verò Dominum Iesum vidit, & vocem ipsius audiuit, imò & ad diuinæ essentiæ visionem raptus est. Si obedientia Isaac commendatur, castitas Ioseph, charitas Moysi, mansuetudo & misericordia Dauid, has omnes virtutes cum maiori cumulo, tanquam *Vas electionis* solidum, plenum, atque omni lapide pretioso ornatum habuit Paulus, imò & virtutes Sanctorum omnium noui Testamenti martyrum, Apostolorum, imò & Angelorum adhuc viuens complexus est, vt verè dici possit pratum amœnissimis floribus plenum, ex quo procedit odor suauissimus agri pleni: hortusque deliciarum, & paradisus Domini, ex quo possimus flores carpere, variarum virtutum fasciculos componere, & gratiarum diademata texere. Regula est Christianæ vitæ, dux, & lux morum, gladius hæresum, columna Ecclesiæ. Dignus vtique Paulus, vt consona laude illum celebret omnis Ecclesia, vtque ipsum tanquam virtutum omnium speculum iugiter contemplemur, atque in omnibus imitemur, vt tam excelsi, admirabilisque vasis liquorem percipere mereamur, vt de ipsius fontibus, qui fontes sunt Saluatoris, hauriamus nunc liquorem gratiæ, & in futuro gloriæ. Amen. *Gen. 28.*



FRAGMENTA IN EPISTOLAM EIVSDEM FESTIuitatis, ex capite 9. Act. Apostolorum.

1. Vid *me persequeris?* Locus sese offert discurrendi contra singulos hominum status, qui donis diuinis, beneficijsq; à Deo collatis abutuntur: dignitatibus, diuitijs, & potestate, vt sint tyranni, & impij in pauperes, aleatores, & Ose.2. deliciosi, cõtra quos Ose. 2. ait Dominus: *Et hac nesciuit, quia ego dedi frumentum, & vinum, & oleum, & argẽtum multiplicaui ei, & aurum, qua fecerunt Baal. Idcircò conuertar, & sumam frumentum meum in tempore suo, & vinum meum, & liberabo lanam meam, & linum meum, qua operiebant ignominiam eius.*

2. Secundò sese offert locus dicendi de miserabili, infœliciq; statu peccatorum, qui grauitate, immanitate, multitudineq; scelerum Christum persequuntur. Atque de benignitate, & longanimitate, qua clementissimus Dominus illos euocat, vt dicitur Cant. 4. *De cubilibus leonum, & de montibus pardorum.* Cant.4.

3. *Ego sum Iesus Nazarenus.* Verba sunt Christi, dum ad dexteram Patris sedet, atq; ab Angelis adoratur, & tamẽ Nazarenum se vocat: tum quia iuxta nominis significationem vbiq; floridus est, flos enim est campi cœlum, & terram suauissimo odore replens: quo Paulum tanquam *vas electionis* abundanter replere disponebat, tum verò maximè, quia quanquã gloriosus Dominus, humilitatis tamen magister semper esse gaudet, & vt insolentes, & superbos mundi titulos, vanitateque plenos damnet, ex humili Nazareth, Nazarenus vocari dignatur.

4. *Vas electionis est mihi iste:* quanquam potuisset Dominus se solo totum negotium humanæ redemptionis perficere, voluit tamen coadiutores habere, ministrosque Euangelicos honorificare: sicut Paulus ait 1. ad Corinth.

rinth. 3. *Dei adiutores sumus:* in quo damnatur Regum, Principum, & magnatum arrogantia, qui nil honoris alijs communicari volunt, sed omnem gloriam sibi arroganter vsurpant. *1. Cor. 3.*

Ecce enim orat. Orantes Dominus respicit, & exaudit. Christus Dominus orans trãsfiguratus est, Matth. 17. *Et erat pernoctans in oratione Dei:* atq; adeò docuit, Marc. 11. *Omnia quæcunq; orantes petitis, credite quia accipietis:* vt enim dicitur Eccl. 35 *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Magna enim est orationis vis, & excellentia: siquidẽ Dæmones expellit, Angelos lætificat, qui orationes nostras velut suauissima odoramenta ante conspectum diuinæ maiestatis offerunt: ea enim est orationis vis, vt ipsum quoq; cœlum orationibus vinci gaudeat. Hoc loco magnus campus aperitur dicẽdi de oratione: proprius tamẽ locus est dominica quarta post pascha, & in tribus diebus rogationum, siue litanijs. 5. *Matth. 17.* *Marc. 11.*

Erat tribus diebus non manducans, neque bibens: nempe totus ecstaticus, & extra se raptus mirabili conuersione remansit: & quasi diuino Spiritu ebrius, sicut Hiere. vi diuini amoris raptus, capite 23. ait: *Factus sum quasi vir ebrius, & quasi homo madidus à vino, à facie Domini, & à facie verborum sanctorum eius.* Diuus Augustinus in Psalm. 35. In ea verba, *inebriabuntur ab vbertate domus tua, cum accepta fuerit ineffabilis lætitia, perit quodammodo humana mens, & fit diuina, & inebriatur ab vbertate domus Dei.* Vnde Psalm. 22. iterum ait: *Calix meus inebrians quam præclarus est?* Diuus Dionysius cap. 4. de diuinis nominibus; *Diuinus amor ecstasim facit:* id quod probat exemplo Apostoli Pauli, qui diuini amoris vim expertus, & extra se raptus, ad Galat. cap 2. dixit: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Introductus fuerat à Rege in cellam vinariam, & ordinauerat in ipso charitatem: inde factus est quasi ebrius, & deliquium patiens: vnde subditur Cantic 2. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Raptus fuit in tertium cœlum, ibiq; suxit sponsi *vbera meliora vino:* super omnem cibũ, & potum vini inebriantia, atq; cõfortantia. Inde immissus est cœlestis ille sopor similis sopori Adami. In media tamen ecstasi, tantaque corporis dormitione erat cor 6. *Hiere. 23.* *D. August.* *Psal. 22.* *Dionys.* *Galat. 2.* *Cant. 2.* *Cant. 1.*

eius vigilans, audiens arcana Dei, cœlestiaque mysteria intuens, impletaque sunt in illo verba sponsæ, Cantic. cap. 5. quæ vino sponsi degustato ebria, & soporata ait: *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

Cant. 5.

IN PVRIFICATIONE SANCTISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ,

CONCIO PRIMA.

De oblatione pueri Iesu.

THEMA.

Tulerunt illum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino, & vt darent hostiam, secundùm quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum, Luc. 2.



Cvm primum Princeps egreditur, vt Regni sui possessionem apprehēdat, insignioresq; vrbes visitet, magno cū honore, atq; exultatione ab omnibus suscipi solet, & ad spectaculum ciues omnes ornatissimi certatim confluunt, & obuiam occurrunt. Hodierno die Princeps gloriæ Christus *cunctis gentibus desideratus* ex Bethlehemitico præsepio primum egreditur, *vt veniat in templum sanctum suū*, quæsitus ille dominator, per Malach. c. 3. prædictus, atq; glorioso ferculo, quod fecit sibi rex Salomon, nempe in almæ Virginis vlnis delatus. Æquum igitur est, vt omnium

Aggai 2.

Cant. 3.

omnium virtutum, & gratiæ ornamentis induti illi obuiam procedamus. Illud verè gratiæ indumentum in cœlo texitur Inde nobis petendum est Dabitur verò nobis *absque argento, & absque vlla commutatione* per gloriosæ Virginis intercessionem dicentibus: *Aue.*

Sacrum huius diei mysterium præuidens Rex Propheta magna cum animi iucunditate, & mentis exultatione canticum Psal. 47. filijs Core musico instrumento, humanaque voce decantandum dictauit: in quo diuinæ maiestatis celsitudinem exaltat, maximaque laude dignam prædicat dicens: *magnus Dominus, & laudabilis nimis.* Quare æquum est, vt fundatur exultatio per vniuersam terram, per montem Sion, per latera Aquilonis, ciuitatemque Regis magni: quibus verbis vniuersalem Ecclesiam ad exultationem inuitat: quæ velut terrena Hierusalem ædificari cœpit: per Regem Dauid in monte Sion: postea ampliata per Salomonem in mõte Moria, vbi templum ædificauit, qui mons ad partem Aquilonarem situs ventis Aquilonis quatiebatur: sic Ecclesia Christi quæ ciuitas est Regis magni in monte Sion per Christum ædificari cœpit per consecrationem sui veri corporis, & mystici. Ibi enim in vltima cœna suũ corpus consecrauit: atque discipulos suos sacerdotes instituit: in monte Moria consummauit ædificium, cum ibi crucifixus dixit, *consummatum est*: fundata etiam est Ecclesia ad latera Aquilonis propter persecutiones Tyrannorum, & hæreticorum. Iam verò de hodierno mysterio subdit Prophera, quasi illud præsens intueretur, *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui: secundum nomen tuum, ita & laus tua.* At verò cum nomen tuum (ô bone Iesu) infinitum sit, siquidem continet infinitas tuas perfectiones, quo pacto laus tua poterit nomini adæquari, quantumcunque Hierarchiæ omnes cœlestes, & beati omnes laudes tibi incessanter alternent? *Maior enim es omni laude*, vt dicitur Eccles c. 43 Quamquam verò nostra laus tanto nomine inferior sit; non tamen dedignatur diuina bonitas à nobis laudari: quin imò per vatem Regium Psalm. 49. ait: *immola Deo sacrificium laudis*: & subdit, *sacrificium laudis honorificabit me.* Et Matthæi cap. 21. Pharisæis indi-

Psal. 47. *Psal. 49.* *Matth. 21.*

 gnanti-

gnantibus, quod pueri Christum laudarent, & acclamarent. *Hosanna filio Dauid*, pro illis respondens Christus
Psal. 8. dixit: *nunquam legistis illud Psalmi ex ore infantium: & lactentium perfecisti laudem tuam?*

Genes. 2. Vt igitur hodierni mysterij celsitudinem in Saluatoris laudem explicare incipiamus: fons ille in paradiso clausus hodie aperiri cœpit, atque diuidi in quatuor flumina: vt irrigare incipiat vniuersam superficiem terræ: mitigetque vniuersalem sitim mundi, salutisque desiderium. Hodie mystica illa sitis Dauid qua. 2. Reg. capite 23. optauit potum aquæ de cisterna Bethlehem, per Saluatorem Christum mitigata, & sedata est. Cisterna siquidem Bethlehem quæ verum fontem aquæ viuæ, imò etiam panem vitæ hactenus continuerat, facta est *fons* ille *patens*, quem Zacharias cap. 13. prædixerat,
Eccles. 20. *in ablutionem peccatoru, & menstruata iam non est sapientia abscondita: neque thesaurus inuisus*: sed ad omnium vtilitatem in medio templi manifestatus. Impletum
Cant. 8. quoque video sponsæ desiderium Cantic. cap. 8. Vbi ait: *quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ?* Quæ verba multi ex Hebræis interpretibus dicunt, vaticinium Regis Messiæ continere: vt sit votum Ecclesiæ optantis Christum in nostra natura similem, & quasi vnum ex multis fratribus, paruulum infantem, atque lactantem, sugentemque humano more matris vbera: cui interpretationi suffragatur interpres Chaldæus, cuius grauis est authoritas apud Hebræos. Sunt verò illius verba: *illo autem tempore apparebit Rex Messias synagogæ Israel: & dicent ei filij Israel: adesdum, esto nobiscum pro fratre: & ascendemus Hierusalem, & sugemus tecum sententias legis: quemadmodum sugit infans vbera matris suæ.* Rabi Selamoh hæc verba sponsæ Prophetica esse opinatur de Messia, qui amicus familiaris, & quasi frater, synagogæ futurus erat, propter singularem, eximiumque amorem, quo illam prosequebatur: iuxta illud Deuteron. ca. 4. *non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Concinit vaticinium Esai c. 7. *Ecce Virgo concipiet. &c.* & cap. 9. *Paruulus*
Hebr. 2. *datus est nobis*: vnde Paulus ad Hebr cap. 2. *Non confunditur*

ditur fratres eos vocare dicens, nunciabo nomen tuum fratribus meis: & subdit: *vnde debuit per omnia fratribus assimilari.*

Iam verò sequentia verba sponsæ ad hodiernum mysterium propius accedunt: ait enim: *vt videam te foris, & deosculer te*, id enim sororibus quantumcunque castissimis absque vlla turpitudinis nota licet, paruulos fratres, & adhuc sugentes vbera deosculari. Quæ verba de Christo explicuit Ambros. lib. de Isaac, & anima, cap. 8. & lib. 3. de virginibus: vbi ait: *foris osculatur Ecclesia Christum, quando tanquam sponsus procedens de Thalamo suo, & tanquam Gigas exultauit ad currendam viam. Fortis factus est, qui erat intus, cum in forma Dei esset, formam serui accepit. Vide illum intus, quando legis quod in sinu est patris: cognosce illum foris, cum in vlnis est matris. Foris sibi factus est, vt mihi intus esset.* Vtinam illum in præcordijs mentis recondamus. Hodie illum foris videmus in medio templi Hierosolymitani, vt in æternum maneat nobiscum. Hodiernam hanc pueri Iesu oblationem in templo procul intuens Aggæus Propheta capite secundo dixit: *adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cœlum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes: & veniet desideratus cunctis gentibus: & implebo domum istam gloria. Magna erit gloria domus istius nouissima, plusquam prima.* Certum est antiquum ædificium primi templi Salomonis gloriosius multò fuisse, quàm secundum: vt habetur 1. Esdræ 3. Vbi cùm reædificaretur secundum, seniores, qui priùs templum viderant, flebant. Cæterùm ex præsentia Christi, oblatione ipsius, doctrina, & conuersatione secundum multò gloriosius fuit iuxta oraculum Prophetæ Aggæi. Hodierno siquidem die allatus est puer Iesus in Hierusalem, vt sisteretur, & offerretur Domino: & vt daretur hostia pro eo.

Ambros.

Filius Dei qui erat intus, nobis factus est foris.

Aggæi 2.

De prole duplex erat legis præceptum (vt docet Doctor Angelicus 3. part q. 37 artic. 3.) Vnum quidem generale quo ad omnes tam filios, quàm filias: vt completis diebus purificationis offerretur sacrificium pro filio, siue pro filia: vt habetur Leuitici. 12. & hoc sacrificium offerebatur pro expiatione peccati, in quo proles erat conce-

S. Thom.

Leuit. 12.

concepta, & nata: offerebatur etiam ad consecrationem quandam ipsius prolis: ea ratione offerebatur aliquid in holocaustum: & aliquid pro peccato. Aliud verò erat speciale præceptum de primogenitis tam hominum,
Exod. 13. quàm iumentorum: quo Exod. 13 Præcepit Dominus offerri sibi omnia primogenita tam hominum, quàm pecorum, & iumentorum: tum in memoriam ingentis illius beneficij, quo in brachio extento eduxit Dominus
Exod. 12. Israeliticum populum ab Ægyptiaca seruitute, occisis per Angelum omnibus primogenitis Ægypti à primogenito hominis, vsque ad primogenitum iumentorum: tum vt ea oblatione præfiguraretur Christus Dominus,
Duplex præceptum legis seruatum in pueri Iesu oblatione. qui ad Rom. 8. Vocatur a Paulo *primogenitus in multis fratribus.* Atque adeò vtrumque in ipso seruatum dicit Euangelista: id quod pertinet ad primogenita sub illis verbis: *Vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur:* secundò impletum est id, quod communiter pertinet ad omnem prolem: sicut dicitur verbis sequentibus, *& vt darent hostiam pro eo.* Imò ad-
S Thom. Greg. Niss. dit Doctor Sanctus ex Gregor. Nissen. illud præceptum legis in solo incarnato Verbo singulariter, & ab aliis differenter impletum. Ipse namque solus ineffabiliter cõceptus, ac incomprehensibiliter editus, virginalem vterum aperuit seruans inuiolabiliter signaculum castitatis. Quod enim dicitur *adaperiens vuluã* designat, quòd nihil antea intrauerat, vel exierat: virgo enim mater porta fuit Orientalis, per quam diuinus sol oriens maiori puritate, ac subtilitate ingressus est, quam solaris radius: fuitque *clausa ipsi Principi:* vt Ezechieli Prophetæ
Ezech. 44. dixit Angelus. c. 44. Præterea dictum est *omne masculinum*, quia Saluator nihil de fœmineitate culpæ portauit. Tertiò singulariter dicitur *sanctum Domino vocabitur*, quia terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non sensit. Christus Dominus fuit per excellẽtiam *sanctus sanctorum*: imò fuit omne sanctum, vtpote totius sanctitatis fons, & origo.

Christus tanquam primoge- Voluit ergo Saluator multis de causis offerri in tẽplo. Primò vt comprobaretur verus filius Abrahæ *primogenitus in multis fratribus* iuxta vocem Pauli ad Rom. 8.

Deinde quia ſicut primogenitus patris, qui in ipſius ſinu erat, eiuſque ſapientia : ſciebat quantum placeant diuinis oculis primogenita, quia vt in plurimum plus cæteris diliguntur. Duplici verò ratione diuina bonitas præcepit offerri ſibi primogenita : primò quidem quaſi zelotes id ſibi offerri deſiderat, quod nimis diligitur, ea ratione tentauit Abrahamum in primogenito Iſaac, quē maximè diligebat, Gen. 21. & primogenitum Dauid ex Bethſabee illi abſtulit. 2.Reg.12. Imò & cum videret Saluator diſcipulos ſuæ humanitati, viſibilique conuerſationi plus nimio affectos quaſi humanitatis ſuæ zelotes dixit Ioan 16. *Expedit vobis, vt ego vadam* : quaſi nimius humanitatis amor Spiritus ſancti aduentum impediret. Secundò præcepit Dominus offerri ſibi primogenita, vt per illorum oblationem diſponerentur, facilioreſque redderentur, vt cor, quod Deus ſummoperè diligit, ſibi offerrent: iuxta illud Prouerb.23. *fili præbe mihi cor tuum.* Ea ratione Geneſ. 4. Dicitur, *quod reſpexit Dominus ad Abel & ad munera eius : ad Cain verò non reſpexit :* quia Cain non obtulit primos fructus terræ: ſed poſt multos dies obtulit de fructibus terræ. Ad Abel verò reſpexit, quia ex toto corde & prompto animo, atque de primogenitis ſtatim obtulit Domino.

nitus merito voluit offerri.

Geneſ. 21.

Ioan. 16.

Geneſ. 4.

Secundò voluit puer Ieſus in templo præſentari, patrique offerri, quamquam liber à vi coerciua legis tanquam illius author, vt habetur. l. Princeps ff de legi. voluit tamen legi ſubiici: vt diſcant Principes, & legum latores legum obſeruantiam : Iob c.36. *ecce Deus excelſus in fortitudine ſua : & nullus ei ſimilis in legislatoribus. Quis poterit ſcrutari vias eius?* Secundum rationem naturalem inſcrutabiles ſunt ; reuelauit autem Dominus per ſpiritum ſuum Apoſtolis, & ſanctis Doctoribus Erat enim ſupremus legislator, qui non venit *ſoluere legem, ſed adimplere* Matthæi cap. 5. Voluit igitur legum obſeruantiam : atque ſuperiorum obedientiam nos docere. Vt enim ait Paulus ad Roman c. 5 *ſicut per vnius hominis in obedientiam peccatores conſtituti ſunt multi: ita per vnius obedtionem iuſti conſtituentur multi.* Obedientia indiuidua comes eſt charitatis. Charitas quidem reſpicit Deum, vt amicum ; obedientia verò vt ſuperiorem: ita

l. Princeps ff. de legib.

Iob.36.

Oblatus Chriſtus legum, & ſuperiorũ obedientiã docuit.

Caiet. rem: ita docet Caietan. sicut sol, & planetæ duplicem
Simile. habent motum, vnum quidem proprium, alterum ad motum superiorem primi mobilis: sic iustus mouetur in Deum ex charitate tanquam ex proprio motu: sed mouetur ab obedientia ex motu superiori, cum lex diuina, vel humana præcipit opus. Hanc obedientiam di-
Hebr. 5. dicit Christus *ex his, quæ passus est*, ad Hebræ. 5. hanc docuit verbo, & exemplo. In hac probati sunt olim amici Dei: Abraham ex præcepto Domini de terra sua egressus, & primogenitum Isaac offerens. Saul inobediens reprobatur 1 Reg 15. Dauid obediens eligitur: *quia melior est obedientia, quam victima.* Eccles. 4. Hanc ergo re ipsa voluit Saluator docere: atque se se tanquam inferiorem, imo tanquam seruum patri exhibere. iuxta illud
Psal 115. Psal. 115. *ô Domine quia ego seruus tuus: ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ:* vbi trina illa seruitutis geminatione summam humilitatem, & obedientiam profitetur iuxta
Philipp. 2. verbum Pauli ad Philip. 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem,* cum paulò ante dixisset, *exinaniuit semetipsum formam serui accipiens:* & concinit
Psal. 39. verbum Psal. 39. *aures autem perfecisti mihi,* ad obediendum (vel vt habet alia lectio) *perforasti mihi*, sicut solebant seruorum aures subula perforari. Huic obedientiæ rationi possunt adiungi rationes amoris, & humilitatis, quas concione quarta, quinta, & sexta de circumcisione Domini fusiùs prosecuti sumus.

Tertiam rationem, eamque potissimam exhibet An-
S. Thom. geli. Doct. 3. p. q. 37. artic 3 Acceptam ex Paulo ad Gal. 4.
Galat. 4. *vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege: vt eos, qui sub lege erant,*
Christus per oblationem suam inchoare voluit adoptionem nostram. Per oblationem Christi *redimeret: vt adoptionem filiorum reciperemus.* Et quia per oblationem filij Dei naturalis in cruce perficienda erat adoptio filiorum Ecclesiæ, & fratrum Christi: charitatis excessus, desideriumque habendi fratres, ab infantia impellit, vt patri nunc sese offerat in sacrificium matutinum, dum accedit hora vespertini: vt per ipsius oblationem antiqua lex per authorem suum comprobetur, & impleatur: figuraque veritati coniuncta veritate ipsa confirmetur, adoptioq; nostra sacro, & fœlicissimo exordio inchoetur.

Quarta

Quarta ratio fuit, vt incarnationis mysterium, & ineffabilis partus, virginis puritas, & integritas Diabolo celaretur, Ecclesiæ verò filiis manifestari inciperet diuina lux: non solùm pastoribus per Angelum, Magis per stellam: sed in medio templi omnes illuminet sicut Simeon sanctus in suo Cantico cecinit, *lumen ad reuelationem gentium.* Diuus Augustinus sermone secundo de natiuitate Domini, *hæc sunt testimonia tua (ô bone Iesu) antequam tibi sternerentur campi fluctus maris cederent imperanti, antequam venti te iubente siluissent: mortui te vocante surrexissent: sol te moriente palluisset: terra te resurgente tremuisset: cœlum te ascendente patuisset: in manibus matris portabaris. & Dominus orbis agnoscebaris: tibi omnis ætas: omnis sexus testimonium perhibet: vidua confitetur, iustus expectat.* Impletur illud Esai. capite 49. *Dedi te in lucem gentium.* Ad hoc venit Christus Dominus *illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent*: sicut Zacharias pater Ioannis in suo Cantico cecinit Luc. capite secundo. *Erat enim lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* Ioan. 1. Illuminat verò dum testimonium perhibet veritati: & dum æterni patris charitatem, & gloriam mundo manifestat, atque de hoc munere potissimum gloriatur Ioannis cap. 18. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.* Et Ioannis capite 17. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum Ego te clarificaui super terram.* Nulla verò maior claritas æterno Patri, diuinæq; maiestati accedere potuit, quam vt ipse Dei filius patri æqualis, atq; consubstantialis, secundum humanam naturam se se inferiorē, minoremq; profiteatur, non solùm voce Ioan. 14. *Pater maior me est:* sed re ipsa, & opere, dum paternis oculis se se præsentat, atq; subiicit. Doctrina est Angelici Doctoris 1 p. q 12. a. 3. ad secundum, quod in hac vita potiùs cognoscimus de Deo quid non sit: quàm quid sit. *Deū enim nemo vidit vnquā: vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit* Nullo autem medio enarrare apertiùs potuit hominibus, quantò honore, & reuerētia digna sit diuina maiestas, quàm dum ipse Deus patri coæternus: & coæqua-

mysteriū incarnationis Diabolo celatū est, & fidelibus ostendi cœpit.

D. Aug.

Esai. 49.

S. Thom.

Ioan. 1.

Christus patri oblatus diuina

celsitudinis reuerentiam nos docet. coæqualis illi se se subdit; in quantum homo, atque in vlnis matris, brachiisque Sancti Simeonis offerri, & hostiam pro se nunc dari vult: in crucis brachiis se se postea in holocaustum oblaturus: Vt ipsius Redemptoris exemplo discamus diuinam maiestatem agnoscere, & agnitam, vt æquum est, corde, & ore, omnibusque viribus nostris, & actionibus diligere, & reuereri. *Accedet enim homo ad cor altum: & exaltabitur Deus* Psalm. 63. *Quid ergo superbis terra, & cinis?* Quid contra Deum curris erecto collo: Et pingui ceruice armatus? Iob. 31. Iob diuinam maiestatem non solum reuerebatur, sed magno cum timore trepidans dicebat, *semper enim, quasi tumentes super me fluctus maris timui Deum, & pondus eius ferre non potui.*

Tandem quinto humilitatis magister in omnibus humilitatem docere, & profiteri voluit: ex humili, matre natus vilibus pannis inuolutus, & in præsepio reclinatus, nunc patri offerri voluit, & vt pauperum hostia pro se offerretur. *Siquidem cum esset diues, egenus pro nobis factus est, vt illius inopia nos diuites essemus:* secundæ ad Corinth. 8. Imò & ipsius oblationis aues, nostras voluit esse magistras. Obtulerunt enim pro illo Domino *par turturum, aut duos pullos columbarum.* Turtur castitatis symbolum est apud omnes receptum: postquam enim parem admittit, nunquam ampliùs alteri coniungitur: dum verò solitudinem amat, contemplationis: & in cantu confessionis fidei symbolum est. Columba verò mansuetudinis, & simplicitatis iuxta verbum Christi Matth cap. 10. *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columba.* D. Cyril. Turtur, & columba typum gessere Christi. D Cyrillus de adoratione in spiritu lib. 15. *Turturi, & columba aptissimè conferri potest Dominus noster Iesus Christus: oblectauit enim orbem terrarum Euangelica prædicatione turtur ille supernus atque cælestis, cum suaue quodammodo carmen modulatur, & Dei, ac patris voluntatem nobis declararet.* Procopius. Procopius in illud Leuit. cap. 12. *Par turturum, aut duos pullos columbarum* sic ait: *elegit autem legislator ex auibus modestiores, & temperatiores, scilicet turtures, & pullos columbinos, propter vita innocentiam; quia ex teneriori ætatula inhabiles sunt ad venerem: hac verò volatilia continentia nos admonent, &*

nent, & Christum in memoriam reuocant, qui turtur est, qui vniuersum orbem sua voce compleuit. D. Hieron. lib. 1. contra Iouin. *turtur auis pudicissima semper habitans in sublimibus typus est Saluatoris.* Hæc enim natura est turturis, vt si parem perdiderit, alteri non iungatur. Hieronymo subscribit August. lib 50. homiliar. 33 *Turtur pudicissima auis*, & ideò Saluator noster turtur dictus est, quia primus castitatem docuit: vt constat Matth. ca. 19. *non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est; qui potest capere, capiat.* Et tandem D. Bernard. serm 59. In Cantica, *Vox turturis gementis, quàm canentis similior est.* Quare peregrinationis nostræ nos admonet. Nec solùm commendat turturem gemitus, commendat, & castitas: nam compare vno contenta est: quo amisso, alterum iam non admittit Par verò turturum, duoque pulli columbini mutuam dilectionem nobis insinuant: integramque sanctitatem corporis, & animæ commendant: vt cor, & caro nostra iuxta vocem Regij vatis Psal. 83. exultent in Deum viuum.

D. Hieron. *August.* *Matth. 19.* *D. Bern.*

Dulcissimum ergo puerum Iesum hodierno die paternis oculis pro nobis oblatũ toto cordis affectu, mẽtisq; vlnis suscipiamus, exosculemur, & veneremur: suauissimi magistri nostri doctrinã fideli, salubriq; memoria teneamus: in corde abscondamus ipsius eloquia: & opere, atque imitatione ipsius discipulos nos profiteamur Pro matutina hac oblatione, qua patri oblatus fœlicissimo exordio adoptionem nostram inchoauit: lucemq; diuinæ cognitionis, atq; incomprehensibilis maiestatis suæ celsitudinem diabolo absconditam, nobis per gratiam suam misericorditer manifestauit, immensas gratias semper agamus Ipsius obedientiam, & humilitatem imitemur: ac primogenita nostra quæ diuinis oculis gratissima sunt, cordis (inquam) nostri primitias, primum cordis amorem, & cor ipsum cum oblatione primogeniti filij Dei, primogenitiq; nostri *in multis fratribus*, paternis oculis offeramus: erit enim oblatio Deo gratissima: quæ adoptionem nostrã confirmabit: & tanquã filijs, & hæredibus, cohæredibus autem Christi, purificatis mentibus per purissimum munus, præstabit hunc hæreditatem gratiæ & postea gloriæ.

IN EADEM SOLENNITATE,

CONCIO SECVNDA.

De purificatione B. Virginis Mariæ.

THEMA.

Postquam impleti sunt dies purificationis Mariæ secundum legem Moysi. Luc. 2.

PVRISSIMA Virgo Angelos omnes puritate vincens, quadragesimo die à partu Saluatoris Bethlehemiticum præsepe deserens, templum Hierosolymitanum ascendit: vt communi legi purificationis obtemperet: filiumque suum vnigenitum paternis oculis sistat, & offerat. Cum Euangelicus Propheta, cap. 6. visione illi mirabili, *qua vidit Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum*, & domum plenam à Maiestate eius, stupore correptus dixit: *Væ mihi, quia tacui*: quòd si loqui voluero, *Vir pollutus labiis ego sum*: quantò potiùs hodierni mysterij Maiestas, cum Dei filium super excelsum solium brachiorum virginis almæ intueor, templumque Maiestate, & gloria plenum iuxta Aggæi vaticinium, stupore, & ecstasi replear, elinguisque fiam? Quòd si Virginis sacræ ineffabilem puritatem enarrare voluero, meritò dicam, *Vir pollutus labijs ego sum.* Domini tamen benignitas trementem Prophetam eleuauit, ac cœlesti spiritu corroborauit, dum vnus de Seraphin ignito calculo, quem de altari forcipe tulerat, os, & labia tetigit: vt audacter, & constanter visionem populo enarraret. Vtinam hodie Seraphinorum Regina corda nostra, labiaque mea diuini spiritus ignito calculo purificet, vt tanti mysterij celsitudinem pro dignitate eloquar.

Esai. 6.

Aggæi. 2.

quat. Quod vt fœliciùs contingat, ipsam Reginam supplices deprecemur dicentes: *Aue Maria.*

Cum arca Testamenti in oraculum templi, & Sanctum Sanctorum per Sacerdotes inducta est. 3. Reg. 8. *nebula impleuit domum Domini: ita vt non possent sacerdotes stare, neque ministrare propter nebulam: impleuerat enim gloria Domini domum Domini.* Diuus Gregorius 17 Moral. capite decimo octauo. *Occulta mysteria diuinæ potentiæ, & sapientiæ nebula absconduntur, quorum gloriam penetrare non valemus.* Hodierno die sanctissima Virgo vera Testamenti arca diuinum manna, paternæ virtutis virgam, & viuam legem vlnis suis deferens in templum ingressa est: Tantaque maiestate, & gloria Ecclesiam replet, vt mysteriorum sublimitas admirationis nebula, & caligine humanam mentem, intellectumque perfundat. Quis enim non miretur videns purissimam, atque sanctissimam diuini Verbi genitricem, tanquam immundam, & puritate indigentem, ad purificationem accedere? Nonne hæc sacra Virgo in matrem Dei electa ab Archangelo Gabriele salutata, *gratia plena* prædicata est? Nonne conceptionis filij ineffabilem modum ipsi Virgini interroganti explicuit dicens, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi?* Nonne Ioseph mysterij nouitate stupenti, dixit idem Angelus Matthæi capite primo, *noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est?* Atqui alma Dei genitrix semper fuit purissima, niuis albedinem, rosarum odorem, & pulchritudinem: stellarumque lucem puritate vincens: *stellæ non sunt mundæ in conspectu eius?* Imò creaturas omnes, supremosque Angelos puritate superauit. Quare ab ipso mundi exordio purissimis rebus præfigurata est. Antiquus ille paradisus est, in quo plantatum est lignum vitæ: iuxta illud Cantic. 4 *emissiones tuæ paradisus, &c.* Florum omnium, & aromatum odorem, ac puritatem vincens: Prouerb. 3 *primi, & purissimi fructus eius.* Columba candida, simplex, & purissima, quæ ramum oliuæ, pacis symbolum, imò germen Domini, totiusq; pacis nostræ primariam radicem hodie in templũ inuexit.

3. Reg. 8.
D. Greg.
Iob. 25.
Purissima Virgo creaturas omnes & Angelos puritate superauit.
Cant. 4.
Genes. 8.

 Thro-

Thronus est Salomonis ex ebore incorruptibili vestitus auro fuluo. 3. Reg. 10. Stella splendida est ex Iacob orta iuxta vaticinium Balaam Num 24. Imò hæc est *speciosior sole, & luci comparata inuenitur prior* Sapient. 7. Mulier siquidem est illa cœlestis, quam diuinorum contemplator Ioan. Apocal. 12. vidit amictam sole: cuius puritatem D. Anselmus lib de Conceptione Virginis, capite 12. eleganter explicuit dicens: *decebat, vt quæ Deum erat paritura, ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi.*

3. Reg. 10. *Num. 24.* *Apoc. 12.* *D. Ansel.*

Quò igitur progrederis purissima Virgo, *quasi aurora valde rutilans consurgens, pulchra vt luna, electa vt Sol,* vt secundum legem Moysi purificeris? Atqui lex ipsa per Moysem lata Leuitic 12. apertis verbis te excepit, dum ait, *mulier si suscepto semine pepererit masculum*: tu enim non ex virili semine filium Dei peperisti: sic enim canit Ecclesia: *non ex virili semine, sed mystico spiramine Verbum Dei factum caro, fructusque ventris floruit*: sicut & Angelus Gabriel Virgini prædixit: *Virgo concepit, Virgo peperit, & in æternum Virgo permansit.* Tunc impletum est illud Psalmi. 45. *Fluminis impetus*, id est, Spiritus sancti gratia, *lætificanit ciuitatem Dei*: & illud Ecclesiast. 39. *Benedictio Domini quasi fluuius inundabit eam*: & Esai cap. 66. *Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam gentium* Verbis quoque ipsius legis exceptam fuisse sacram Virginem adnotarunt Origenes homil. 8. in Leuit Rupert. lib. 2. in Leuit. cap 16. Eusebius Emiss. sermone de Purificatione, Bernardus, & Chrysostomus. Deinde mater Principis, sicut & vxor, eodem priuilegio gaudent, quo Princeps, vt habetur in l. Princeps. ff. de legib. Atque adeò multis titulis immunis erat a legis præcepto

Leuit. 12. *Psal. 45.* *Ecclesi. 39.* *Esai. 66.* *Origen.* *Rupert.* *Euseb.* *D. Bern.*

Virgo Dei genitrix legi voluit subiici, vt filium imitaretur.

Nihilominus tamen pluribus de causis voluit purissima Dei genitrix purificationis legem subire. Prima ea sit, vt dilectissimo filio sese conformem exhiberet, ipsiusq; exemplum imitaretur: sicut D. Bern. ait, *esto tu vna inter mulieres, nam, & filius tuus sic est in numero puerorum.* Quam rationem latiùs explicat noster Angelicus Doctor Thomas, 3. p. quæst. 37. artic, quarto. Omnis enim

D. Bern. *S. Thom.*

enim plenitudo gratiæ à Christo deriuatur in matrem: Christus verò in omnibus voluit humilitatis gratiam, & exemplum exhibere: sicut Matthæi capite 11. dixit: *disci-te a me, quia mitis sum, & humilis corde*: & sicut Romani pro glorioso epitaphio celebrant, *parcere subie-ctis, & debellare superbos*: simile diuinæ maiestati tribuit Iacobus Apost. capite quarto. *Deus superbis resi-stit, humilibus autem dat gratiam.* Vnde Saluator purissimam matrem in omnibus voluit esse sibi similem. Amor enim similitudine gaudet. Christus ex amore voluit *per omnia fratribus assimilari* ad Hebræos 2. Virgo mater similitudine, & imitatione filij delectatur: vt verè dicat, *dilectus meus mihi, & ego illi* Cantic. 2. Sicut enim aurifex aurum coaptat gemmæ, vel lapillo: *sic diuina sapientia ædificauit sibi domum*, & quoad fieri potuit, sibi similem matrem coaptauit: in cuius vtero per nouem menses habitaret, & cuius lacte, nutrimentoque aleretur. Potissimum verò decuit, vt mater humilitati filij esset conformis. Id quod per similitudinem oculorum significatur. Nam Cantic. 5. de oculis sponsi ait spōsa: *oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum*, quasi dicat, oculi purissimi, simplices, benigni, mites, ac humiles Similiter Cantic. 1. & 4. sponsus captus amore oculorum sponsæ ait: *ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.* Humilitatem ergo filij voluit imitari purissima mater.

Matth. 11. *Iacob. 4.* *Amor similitudine gaudet.* *Cant. 2.* *Simile.* *Cant. 5.* *Cant. 1.*

Secundò immaculata Virgo, sicut virtutum omnium fuit absolutum exemplar: sic & hodierni mysterij cunctis seculis meritò laudando exemplo nos docuit, quantum oporteat diuinis legibus, etiam cum discrimine propriæ quietis, imò honoris, & vitæ, alacriter obtemperare. Vt enim habetur 1. Regum 15. & Ecclesiast. 4. *melior est obedientia, quam victima.* Quia (vt Diuus Gregorius eleganter dixit) *per victimam offertur Deo caro aliena; per obedientiam verò voluntas propria*: Abraham obediens voci Domini, non pepercit vnigenito filio. Saluatoris Christi obedientiam ad Philippenses 2. exaltat Apostolus dicens: *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem.* Sanctissimam ergo matrem decet filij obedientiam imitari. Ea ratione

Virgo sacra diuina legis obedientiam nos docuit. *D. Greg.* *Genes. 22.* *Philip. 2.*

 tione

tione meritò comparatur arcæ testamenti, in qua continebatur lex, & manna: sic in pectore Virginis obseruantia diuinæ legis, quæ ipsius cibus erat dulcissimus supra manna Adeoque grata est cœlesti sponso sanctissimæ sponsæ obedientia, vt illius amore sese vulneratum fateatur: id enim significant verba illa Canticorum 5. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa: Vulnerasti cor meũ in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui,* siue (vt alij legunt) *in vno ornamento, vel monili, siue torque colli tui.* Rupert. acutè explicat, in vnitate, & vniformitate visus interioris, quo nil præter diuinam voluntatem aspiciebat, nec volebat: in vno legit substantiuè pro eo, quod est, in vnitate oculorum, id est, omnimoda diuinæ voluntatis obedientia. Quæ in crine quoque designatur. In crine Sampsonis fortitudo ipsius sita erat: in obedientia fortitudo nostra Prouerbiorum 21. *Vir obediens loquetur victorias.* Nulla maior victoria, quàm obedientia, qua seipsum vincit obediens. Crinis gracilis & facilè flexibilis: sic cor humile, & obediens superioris voluntati facilè ducitur: sicut equus fræno benè obtemperans, sic obediens per crinem ducitur: sicut Hispanè dici solet, *Lleuareysle por vn cabello.*

Cant 5. *Rupert.* *Iudic. 16.* *Prou. 21.* *Simile.*

Cant. 1. Hic est sensus verborum sponsi Canticorum 1. quibus sponsæ humilitatem, atque obedientiam laudat dicens: *equitaui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.* Sicut enim equi curruum, vel sonitu flagelli facilè ab auriga ducuntur, & quoquo velit, inuertuntur: sic obediens ad nutum obtemperat. Sed nonne crinis in capite sedem habet? qua ergo ratione sponsus dicit se vulneratum in vno crine colli? At qui animus verè humilis, & obediens non habet caput, nec erigit cristam: caput illius Christus est. Collum, & ceruicem submittit capiti Christo. Fortior est crinis submissi colli, & obedientis animæ, quàm Sampsonis. Siquidem vel solo illius aspectu sponsus bis sese vulneratum, atque victum fatetur. Illa enim vulneris geminatio magnam emphasim habet, quæ sponsæ palmam tribuit: sponsúmque quasi victum fatetur, ac si dicat: *Yo me rindo, y me doy por vencido:* hæc est summa obedientiæ victoria. Fauet huic interpretationi

Per crinẽ animus obediens significatur.

lectio,

lectio, quæ loco, vulnerasti, habet, excordasti, id est, cor rapuisti: sicut enim est in prouerbio: *Amor con amor se paga, y coraçon con coraçon*: sic vtique cœlestis sponsus cor suum pro corde exhibet: sicut virgo Catherina Senensis tertij habitus nostri Prædicatorij ordinis experta est: cui (teste Diuo Antonino) Christus Dominus apparuit dicens: *cogita de me, & ego cogitabo de te*. Obsecranti que virgini, vt cor nouum ipsi exhiberet, quo meliùs de ipso iugiter cogitare posset, corde ipsius extracto, nouum induxit

D. Anton.

In hac verò sacræ Virginis obedientia duo maximè obseruanda sunt: primum quidem quantum damnet sacratę virginis exemplum nostri seculi arrogantiam, & fastum principum, & magnatum, atque potentum, qui diuinarum, & humanarum legum contemptum, excellentiam, & dignitatem reputant: nullique legi subijci pro summo habent honore: quibus aptare possumus quod Iob. cap. 15. ait, *currunt contra Deum erecto collo*; atque Dauid psalm. 16. *à resistentibus dextera tua custodi me, vt pupillam oculi*. Alterum nos edocet alma Dei genetrix, quod quanto quis maiori discrimini, vel honoris, vel rei familiaris, vel vitæ, sese exponit propter diuinæ legis obseruantiam: tanto maiori prouidentia Deus illi prospicit: sic Saluatori Christo, ipsiusque matri legis præcepta, quocunque incommodo postposito, seruantibus, sanctum Simeonem prouidit, qui diuino afflatus spiritu vtriusque laudes decantaret.

Superbus legum contemptus maximè Deo displicet.

Iob.15.

Psal. 16.

Tertiò verò illud documentum tradidit alma Virgo duodecim stellarum coronam habens in capite, totiusque virtutis, & perfectionis speculum splendidissimum his maximè, qui perfectionis semitam ingrediuntur, vt non tantùm diuinis legibus, & præceptis obsequi contenti sint: quin potiùs tunc dicant, *serui inutiles sumus, quòd debuimus facere; fecimus*, Luc. 17. Sed & diuina consilia magna cum auiditate amplectantur D. Hiero. verba illa Prouerbiorum 1. *audi fili disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ: vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo:* explicuit, quòd sic seruanda est diuina lex, vt simul auscultentur diuinæ inspirationes, & consilia: vt addatur capiti corona misericordiæ, & collo

Diuina consilia magna cũ auiditate amplectẽda.

D. Hieron.

Prouer. 1.

torques charitatis: quibus monilibus pulcherrima redditur anima. Verbum quoque illud Cant 1. *indica mihi, vbi pascas, vbi cubes in meridie,* Origenes homil 1 in cantica sic explicat: quòd sicut sol in meridie altissima cœli tenet: sic Deus in meridie, altiorique vitæ perfectione tunc lucet animæ, illamque pascit, quando perfectionis viam ostendit, & ducit per angustas, sed augustas, & suaues iustitiæ semitas His qui legis præcepta tantùm obseruant, apparet in luce diluculi: his verò, qui per angustas consiliorum semitas ingrediuntur, apparet in meridiana luce, maiori splendore mentes illustrans. Angeli apparuerunt Abrahæ cum magno charitatis feruore sedenti ad ostium *tabernaculi, in ipso feruore diei* Genes. c. 18 Ioseph quoq; fratres inuitauit in meridie Gen. c. 43. In quibus conuiuijs typicè cœleste illud, meridianumque Saluatoris conuiuium præfiguratum est, quo in meridiana luce beatitudinis, Angelos, & beatos omnes inuitat: conuiuium etiam feruentissimæ charitatis, quo iustos, & amicos perfectiores, maioris, & auctioris gratiæ suauissimis ferculis in meridie pascit. De quibus Prouerb. 4. dicitur: *iustorum semita quasi lux splendens, procedit, & crescit vsq; ad perfectam diem.*

Cant. 1. *Origenes.* *Gen.* 18. *Genes.* 43.

Quatto loco sacrarum ceremoniarum obseruantiam exemplo suo nos docuit Sanctissima Virgo, contra nostri temporis impios hæreticos, qui sacras Ecclesiæ ceremonias irrident: sæpè tamen irridentes diuina virtute mirabiliter sunt vita priuati: sicut in illo hæretico diuina iustitia manifestauit, qui, cum non esset minister Ecclesiæ, atque per irrisionem alteri super caput cineres in die cinerum imponeret, ipsorum cinerum puluere subitò suffocatus interijt Atqui interior puritas fidei, charitatis, aliarumque virtutum absque exterioribus exercitijs, & ceremonijs conseruari nequit, sicut vitis vuas, cæterosque fructus folia protegũt: cortex quoque adeò necessarius est, vt illo detracto fructus, imò & arbor facilè pereant. Flores sunt Ecclesiæ honoris, & honestatis, qui fructus producũt, atq; cõseruãt. Cinis sunt, quo charitatis ignis cõseruatur Capillus sunt, & crinis ille Sampsonis, quo abciso facilè captus est Iudic. cap 16. Opus est, vt non solùm cor, *sed & caro,*

Interior puritas absq; ceremonijs, & exteriorib. exercitijs conseruari nequit.

Iudic. 16.

exultent

exultent in Deum viuum, Psalm. 83. Hoc significauit præceptum Domini, Exodi capite 12. Vt non solum agnus intus immolaretur, & comederetur, sed & ipsius sanguine super liminaria, & postes domus exterius linirentur: Idem significauit signum coccineum in fenestra Raab, Iosue 2. & Psal. 44. De pulchritudine sponsæ cecinit Regius vates, quod *omnis quidem gloria eius ab intus*, sed ornari quoq; exterius opus est *in fimbrijs aureis, & circumdari varietate.* Vnde Cant. 8. sponsus sponsam rogat: *Pone me vt signaculum super cor tuum*: & non tantum super cor, sed & exterius, *super brachium tuum.* Ad duo potissimum conducunt ceremoniæ: primò ad conseruationem interioris virtutis, sicut folia fructus à temporis iniurijs protegunt. Secundò maximè mentem excitant ad humilitatem, deuotionem, diuinæque maiestatis venerationem. Ea de causa Spiritus sanctus purissimam Virginem ceremoniarum Ecclesiæ magistram esse voluit. Psal. 83. Exod. 12. Iosue 2. Psal. 44. Cant. 8.

Accedit quinta ratio D. Bern. serm. 3. huius solennitatis: ne quis fortè scandalizaretur, videns puerperam ante quadragesimum diem templum ingredi: vel legem purificationis non obseruare, neque filium offerre, cum *Sacramentum absconditum à seculis in Deo* abscondere omninò oporteret, neque illud reuelare fas esset: Ideò legi subijci voluit, ne quis scandalizaretur. Sic enim docuit filius Matth. 18. *Væ mundo à scandalis, veruntamen væ homini illi, per quem scandalum venit.* Ad Rom. cap. 14. *Si propter escam frater scandalizatur, noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Et 1 Corinth 8. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum.* Ea ratione Apostolus manuum labore cibum quærebat, ne quem scandalizaret. Imò Saluator ipse Matth. capite 17. cum dixisset Petro: *Ergo liberi sunt filij.* Subdit: *Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me, & te.* Ea videtur vrgens ratio, quare in prima illa originali culpa maiori pœna, & primo loco maledictus fuit serpens, Genesis capite 3. Quia prima fuit occasio, & scandalum ruinæ hominum, & Eua maiori adhuc D. Bernar. Matth. 18. Rom. 14. Matth. 17. Genes. 3.

pœna, & prius iudicata, quam Adam, quia ipsa virum ad pomi vetiti edulium inuitauit. Iezabel similiter grauiori pœna, quam Achab, punita est, 4 Reg. 9. Singularitas, & nolle subijci legibus, multum scandalizat. Nil adeò Diabolum terret atque vnitas, & conformitas Ecclesiæ, Cant. 6. *Terribilis, vt castrorum acies ordinata.*

Singularitas vitãda.

Cant. 6.

Sextam præterea rationem addere possumus: quia sicut Dominus propter suam bonitatem est diffusiuus sui, & quia liberalissimus donorum largitione gaudet: sic in gratiarum actione, qua ipsi reddimus gloriam, & honorem, maximè delectatur, non propter se, sed propter nos, quia plura adhuc, & maiora beneficia nobis conferre desiderat: gratitudo verò futuris beneficijs ianuam aperit, retributionemque meretur, sicut ingratitudo, quantum est ex se, diuinę liberalitatis ianuas claudit, diuinæque bonitatis inexhaustum fontem exiccat. Hinc sancti patriarchæ Abraham, Isaac, & Iacob pro perceptis beneficijs gratias agentes magna cum solicitudine lapides vngebant, & altaria erigebant. Similiter Dauid 2. Reg capite 24. cùm vidit Angelum Dei cædentem populum, pœnitentiam egit, dicens: *Ego sum, qui peccaui:* tunc venit in die illa Gad Propheta veniæ nuncium ipsi deferens, & in gratiarum actionem indulgentiæ præstitæ dixit ei: *Ascende, constitue altare Domino in area Areuna Iebusæi:* qui non violenta manu, neque potestate Regia abutens, sed iusto pretio empta area, ædificauit altare Domino, & obtulit holocausta. Nomen Dei ineffabile in aurea lamina inscriptum, & ex chiara fronti Sacerdotis imminens admonebat gratitudine, suique nominis memoria Dominum delectari. In memoriam cœlestis illius cibi Israelitico populo per tot annos mirabiliter de cœlo dati, præcepit Dominus vrnam plenam manna in arca seruari, Exodi capite 16. Præceptum denique de celebratione phase, immolationeque paschalis agni, atque de oblatione primogenitorum in gratiarum actionem pro singulari illo beneficio libertatis concessæ ab Ægypti seruitute, occisis primogenitis Ægyptiorum à Domino latum est. Leuitarum quoque electio, & consecratio quædam erat gratiarum actio, vt habetur Numer. capite 8. *Pro primogenitis*

Gratiarũ actio maximè grata Deo.

2. Reg 24.

Exod. 16.


nitis accepi eos ex die , quo percussi omne primogenitum in terra Ægypti , sanctificaui eos mihi. Quare purissima Virgo , vt tot , tantisque beneficijs à Domino perceptis gratissima , libentissimè templum ascendit, vt legi purificationis sese obedientem exhiberet , vtque pro perceptis beneficijs legem gratiarum actionis impleret. Tandem sanctissima Dei genitrix exemplo suo illam veritatem nos edocet, quam dilecto discipulo Ioanni, Apocal. capite 22. Angelus reuelauit : *Qui* *Apoc. 22.*
iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus, sanctificetur ad- *Sacra Vir-*
huc. Alma Virgo vnigenitum filium benedictis vlnis *go iustos do-*
in templum inducit, vt nos purificet, & amplius à pec- *cet, vt am-*
catis emundet : de quo Malachias capite tertio præ- *plius iusti-*
dixit: *Statim veniet ad templum suum dominator, quem* *ficentur.*
vos quaritis , & Angelus Testamenti, quem vos vultis. *Malach. 3.*
Ipse enim quasi ignis conflans , & emundans argentum, & purgabit filios Leui , & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum , & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. Vbi metaphora metallorum , quæ per ignem purgantur , mentis nostræ purificatio à peccatis explicatur. Et sicut Phœnix per ignem ex lignis a- *Simile.*
romaticis proprijs pennis accensum renouatur, sic anima per ignem charitatis ex lignis peccatorum per pœnitentiam , & diuinum timorem accensum renouatur. Iustos verò , qui sunt quasi aurum , & quasi argentum , qui quasi filij Leui perfectiorem vitam profitentur , & quorum portio Dominus est , adhuc purgabit , *& colabit eos quasi aurum , & quasi argentum,* vt adhuc magis purificati offerant Domino sacrificia in abundatiori iustitia , Numerorum capite 19. cinis *Num. 19.*
vitulæ seruabatur ad purificationem immundorum, & qui offerebat vitulam , & qui colligebat cineres, immundi erant vsque ad vesperum. Quo significatur, vt quantumcunque iustus offerat Domino bona opera, imò etiamsi aliorum purificationis, & iustificationis minister sit, & cooperator, semper tamen timeat, & dicat cum Iob, capite nono : *Verebar omnia opera* *Iob 9.*
mea. Si iustificare me voluero , os meum condemnabit me, si lotus fuero aquis niuium, & fulserint velut mundissima manus mea ; tamen sordibus intinges me,

& abomi-

Iob 15. *& abominabuntur me vestimenta mea.* Et capite 15. *Cæli non sunt mundi in conspectu eius.* Et capite 25. *Numquid iustificari potest homo compositus Deo? Ecce luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius.* Meritò Dauid, vir secundum cor Dei, adhuc post dimissam culpam, per singulas noctes stratum suum lachrymis rigabat, & dicebat: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Amplectamur ergo (fratres charissimi) almæ Dei genitricis, purissimæque Virginis sacros pedes exosculemur, firmiterque teneamus, & sequamur ipsius vestigia: humilitatem, obedientiamque diuinæ legis imitantes, & adhuc diuina consilia, sacrasque ceremonias ex animo venerantes, fratrum scandala solicitè vitantes, diuinæ maiestati pro perceptis beneficijs semper gratias agentes, cordis ampliorem munditiam, & puritatem sic diligentes, vt purificatis mentibus, & mundo corde Deum videre mereamur, nunc per lucem gratiæ, & in futuro per lumen gloriæ.
Amen.

Iob 25.

Psal 50.



IN

IN EADEM SOLENNITATE,

CONCIO TERTIA.

De Christo vero lumine Ecclesiæ.

THEMA.

Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. Luc. 2.

VERBA sunt sancti Simeonis, quibus puerum Iesum in vlnas suas accipiens præ exultatione Spiritus miris laudibus, nouisque epithetis exultans, dulcissimè affatur. *Salutare namq; omnium populorum, lumen gentium,* Israeliticique populi *gloriam* appellat. Hodierna die Maiestas Domini templum repleuit non nebulâ, vt olim, sed gloria, non caligine, sed lumine: omnia video vndiq; plena cœlesti lumine, & Spiritus sancti illustratione. Ne igitur in medio lumine cæcutiamus, nimioq; claritatis huius diei splendore perstringantur debiles mentis nostræ oculi, cœlestis gratiæ, diuiniquè Spiritus lumen per illius delatricem Virginem almam petamus, dicentes: *Aue Maria.*

Solennitas hodierna per Sergium primum circa annum Domini sexcentesimum octogesimum ad instantiam Iustiniani Imperatoris instituta est, ad superstitionem Romanorum tollendam, qui hoc die festum celebrare solebant in honorem Cereris, quæ luminaribus accensis Proserpinam filiam per montes, & colles quæsierat: in cuius locum substitutum est festum hoc purificationis, quod vulgò dici solet, *de la candelaria:* dictum quoq; est festum exceptionis Seruatoris, teste Nicephoro lib. 17. cap. 28. quanquam Diuus Cyrillus Hierosoly- *Niceph.* *Cyrill.*

mitanus

mitanus Archiepiscopus abhinc mille ducétis annis huius solemnitatis tanquam antiquæ mentionem facit. Vtcumq; sit in honorem eius mysterij festum hoc colimus, quo quadragesimo die post sacrum puerperium per sacram Dei genitricem puer Iesus in templo est præsentatus, atq; à sancto Simeone in vlnas susceptus. Tunc Spiritu sancto plenus celebre illud canticū cecinit, quo singulis diebus diuinis laudibus, & hymnis sacra mater Ecclesia in Completorio finē imponit, & quasi solatio plena in gratiarum actionem pro beneficijs eo die perceptis canticum lætitiæ exultanter concinit.

Sancti Simeonis iustitia commendatur. *Lumen ad reuelationem gentium.* Sancti Simeonis huius cantici authoris excellens testimonium perhibet Lucas Euangelista. Illum enim non solùm iustum, & timoratum, & Spiritu sancto plenum testatur: sed quasi iustitiæ, & sancti timoris exemplar Spiritus sancti digito ostendit, atq; proponit, dicens: *Ecce, homo erat in Hierusalem*, &c. & *Spiritus sanctus erat in eo*: non solùm per gratiam, sed per speciale donum propheticum, diuinæque reuelationis. Quare omnes Thalmudistæ, Doctoresque Hebræorum sanctum Simeonem iustum appellant: & confitentur, quod dum sanctus Simeon sacerdotale officium in templo exercuit, adhuc perseuerabant antiqua miracula templi, quæ post illius obitum non sunt amplius visa.

Dan. 9. Videns ergo sanctus Simeon tempus aduentus Christi iuxta septuaginta hebdomadas à Daniele prædictas, cap 9. iam iam imminere, incessanter orationes, & sacrificia Domino offerebat, vt dignaretur mundi Redemptorem, & Saluatorem mittere. Cùm igitur feruentissimis orationibus, & ieiunijs ingiter esset intentus, exaudita est ipsius oratio, *responsumq; accepit ab Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Do-*
Psal. 84. *mini.* Simeon, audiens interpretatur, attentè audiebat quid loqueretur in se Dominus Deus, atque adeò iuxta nomen suum bonus auditor bonum habuit responsum,
1. Cor. 2. *quod nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.* Quo responso fide certus, spe gaudens, & maiori desiderio videndi Saluatoris accensus, dicens fortè verba sponsi: *Ostende mihi faciem tuam, venit in Spiritu in templum:*

& quan-

& *quando venit plenitudo temporis, inducerentq́; puerum Iesum parentes eius, vt sisterent eum Domino*: factum est diuina prouidentia, vt sanctus sacerdos Simeon vnus ex vigintiquatuor(cuius ductor erat Spiritus sanctus)sacerdotij munus secundum vicem suam exequeretur, tuncq́; per manus sacratæ Virginis oblatum puerum Iesum acciperet in vlnas suas: atq, per diuini Spiritus illustrationem cognoscens illum esse Messiam promissum verum Deum,& hominem, vniuersalemq́; Redemptorem, Spiritus sancti gaudio perfusus, magnoq́; mentis iubilo tôtus exultabundus, secundum consuetudinem legis, cum mysticis donis pro ipso oblatis, æterno Patri illum obtulit: suscipe Pater omnipotens, æterne Deus filium tuũ vnigenitũ. Ecce munus, quod de manu tua suscepimus, reddimus tibi. Suscipe nũc sacrificium hoc matutinum, quod tibi acceptissimum cum lætitia offerimus; dum accedit hora, cum ipse sese in crùce in sacrificium vespertinum cum fletu, *clamore valido, & lachrymis* pro nostrà redemptione offeret. Virgo sanctissima pariter cum Simeone dilectissimum filium Patri obtulit. Et ipse quoque filius sese Patri obtulit, iuxta illud Psalm.39. *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Et paulò ante prædixerat: *Holocaustum, & pro peccato nõ postulasti. Tunc dixi, ecce venio*: quæ verba citauit Paulus ad Hebr.10.

Cant 2.

Pueri Iesu oblatio.

Psal.39.

Tunc venerandus senex Simeon gaudij lachrymis totus perfusus, exultationeque diuini Spiritus plenus gratias agens æterno Patri pro tam immensô, tamque singulari beneficio sibi adimpleto diceret meritò verba illa, Luc. 10. *Multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre*, quod ego video, *& non viderunt, & audire*, quæ ego audio, *& non audierunt. Illi enim iuxta fidem defuncti sunt non acceptis repromissionibus* (vt Paulus ait ad Hebr. 11.) Ego autem non solùm illum video, *in quem desiderant Angeli prospicere*, 1 Petri 1. non tantùm audio, sed vlnis, & manibus teneo, & contrecto verbum vitæ. Tunc sicut solet cygnus morti proximus super aquas dulciter canere(teste Socrate apud Platonem)& sicut Ouidius de illo cecinit:

Luc 10.

1. Petr. 1.

Sic

Sic vbi fata vocant vdis abiectus in vndis
Ad vada Menandri concinit albus olor.

Sic sanctus Simeon mortem iam exoptans, vicinamque cernens, diuinum responsum re ipsa impletum intuens, vniuersalem mundi Redemptorem, atque Saluatorem trepidantibus brachijs sustinens: nomine Israelitici, atque gentilis populi celebre illud canticum feruore Spiritus, gaudio, & gratiarum actione plenum cecinit: *Nunc dimittis seruum tuum Domine*, &c. in quo inter alia epitheta, & nomina puero Iesu conuenientia, quæ magna cum iucunditate tribuit; vocat illum *lumen*, & meritò: nam secundum diuinam naturam lumen est, de quo fatemur in symbolo, *lumen de lumine*: secundum humanam verò venit, vt esset lumen Ecclesiæ.

Christus meritò lumen appellatur.

Auicen. Lumen (secundum doctrinam Auicennæ) ex reflexione lucis procedit: sic diuinum Verbum ex cognitione intellectus paterni: hoc est quod Sapient. 7. dicitur: *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula*: vt enim in speculo reflectitur lux, sic in Verbo claritas Patris æterni. Sicut & ad Hebr. 1. dixit Paulus: *Qui cùm sit splendor gloriæ*, id est, claræ notitiæ, qua Pater sese cognoscit: quod primò procedit ab illa Patris notitia, est Verbum. Vel secundum Cyrill pater *ignis* est, Deutero. 6. filius *splendor*, Esa. 62. *Propter Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur, vt splendor iustus eius*: vel (sicut Septuaginta legunt) *donec egrediatur, vt lumen iustus eius*. Sic in festo natalis Domini Ecclesia canit: *Tu lumen, tu splendor Patris*. Lumen hoc antiqui patres ad pellendas peccati, & ignorantiæ tenebras anxiè petebant: vt Psalm. 17. *Deus meus illumina tenebras meas*: & Psalm. 66. *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos*: & Tobias capite 11. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Descendit tandem ad nos diuinum lumen laterna carnis inclusum, adhuc tamen potens *illuminare his, qui in tenebris, & vmbra mortis sedent*: fugauit tenebras nostras, restituit amissa per culpam lumina, tristitiam depulit, & lætitiam inuexit: *Dulce enim lumen, & delectabile oculis videre solem*: Eccles. cap. 11. & Psalm. 96. *Lux orta*

Sap. 7. *Hebr. 1.* *Cyrill.* *Esa. 62.* *Tob. 11.* *Psal. 96.*

orta est iusto, & rectis corde lætitia. Impletum quoque est Esa. vaticinium, capite 60. *Surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum,* &c. *& ambulabunt gentes in lumine tuo:* sic Ioan capite 1. dicitur de Christo, *erat lux vera, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* & de Ioanne Baptista, *non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.* Vnde exorto diuino hoc lumine, statim claritas Dei pastores circumfulsit: Magos ab Oriente lumine suo stella vocauit, ipseque Christus doctrina, vita, miraculis, & exemplis sese lumen esse manifestè comprobauit: cum Ioann. capite nono dixit: *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi:* & postquam in cœlum ascendit, Saulumque vocauit, vt esset sibi vas electionis, *circumfulsit illum lux de cælo,* vt Iesum verum lumen agnosceret, & prædicaret ipsius Regnum, *Regnum esse luminis,* ad Coloss. capite 1. & 1 Petri capite primo: *De tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.*

Esa. 60. *Ioan. 1.* *Luc. 2.* *Matth. 2.* *Act. 9.*

Luminaria cœlestia posita sunt *in firmamento, vt sint in signa, & tempora:* sic Christus *positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum, & in signum, cui contradicetur:* sicut hodierno die Spiritu prophetico afflatus Virgini prædixit Simeon, Luc. 2. Lumen hoc datur fidelibus in baptismo: quare baptizatis lucerna accensa in manu ponitur, & similiter his, qui in articulo mortis constituti sunt, vt in exordio, & fine vitæ luminis huius fidem profiteantur. Idem & nos hodierno die profitemur, dum cerea luminaria accensa in processione deferimus, eaque Sacerdoti offerimus, in quibus totum Christum ipsiusque fidem repræsentamus In cera enim, quæ apum ministerio ex rore cœli, & floribus conficitur, corpus Christi sanctissimum de Spiritu sancto, purissimoque sacræ Virginis sanguine super omnes flores odorifero cōceptum significatur, in lino cera cooperto beatissima Christi anima carne induta: per ignem, & lumen, quod ceram, & linum sibi vnit, diuinitas, quæ corpus, & animam assumpsit, & quæ corda nostra potenter inflammat, satis aptè significatur.

Gen. 1. *Cereis luminaribus totum Christum repræsentamus.*

Dum magni principes primò excipiuntur, vel ipsorum victoriæ, & triumphi celebrantur, luminaria accendun-

cenduntur in lætitiæ signum: sic hodie primum ingressum Principis nostri in templum Hierosolymitanum accensis luminaribus recolimus, ipsiusque gloriosum triumphum, splendidumque lumen celebrare incipimus. In virtute huius luminis hostes nostri vincendi sunt, id quod in mirabili illa victoria præfiguratum habemus, quam milites Gedeonis luminaribus, lampadibusque accensis, pro armis vtentes contra Madianitas obtinuerunt. His igitur fidei luminaribus contra spirituales hostes nobis dimicandum est. Væ his, quibus hoc lumen absconditur, & qui in tremendo illo iudicij die dicent: *Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Diligite ergo sapientiæ lumen. Prudentes virgines, quæ accensas lampades cum oleo vigilantes seruauerunt, *intrauerunt cum sponso ad nuptias:* fatuis verò, quibus oleum, & lumen defecit, *clausa est ianua.* Quod si prudentes virgines accensas lampades deferunt, sanctissima Virgo verum lumen nobis detulit, siquidem ex ea ortus est, vt splendor iustus, & Saluator noster, & vt lampas accensus, sicut Euangelicus Propheta capite 62 prædixit. Ipsa Virgo mater est luminis, atque adeò accensus luminaribus non solùm filium, vt verum lumen, repræsentamus, sed ipsam quoque Virginem matrem multis de causis celebramus. Tum quia veram lucem mundo protulit: Tum quia lucem fidei indeficientem semper seruauit: Tum denique propter vitæ claritatem, & plenissimum splendorem. Atque ea ratione ab exordio huius solennitatis, quę à tempore Apostolorum verosimile est initium habuisse, videtur id institutum, vt hoc sacro die, inter cæteras virginis festiuitates, cerei magna cum solennitate benedicantur, accensi deferantur, & offerantur, ne quis in hac virginis almæ purificatione, indignum aliquid ipsius puritate, vel suspicati, vel mente excogitare possit. Imò sanctus Timotheus presbyter Hierosolymitanus addit, quod Simeon videns sacram Virginem cum puero in vlnis, cœlesti quadam luce circumfusam Spiritu sancto afflatus agnouit esse matrem Dei.

Iudic 7.

Christus verum lumen arma spiritualia nobis præstat.

Sap. 5.

Matth. 25.

Esa. 62.

Sacrā Dei genitricem accensis luminaribus meritò celebramus.

Et quid mirum? nam si ex diuino commercio per

quadra-

quadraginta dies facies Moysi sic splendebat, vt Aaron, & filij Israel videntes cornutam faciem, timuerint propè accedere, ita vt ipse Moyses posuerit velamen super faciem suam, si quando loquebatur ad eos: quantò potius sanctissimæ Dei genitricis, splenderet facies ex nouem mensium Verbi mirabili conceptione, & quadraginta dierum ab ineffabili partu diuino commercio? Sanctus Epiphanius serm. de natiuit. Dom. *O Virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem deduxisti!* stupendum est miraculum in cœlis mulier amicta Sole: stupendum miraculum in terris mulier gestans lucem in vlnis. Atque inter alia complura miracula, quibus diuina maiestas dignata est ostendere cereorum, & luminarium vsum in hac festiuitate dilectissimæ genitricis suæ sibi esse gratissimum: in Victoriensi vrbe Hispaniæ in Alauæ prouincia apud insigne cœnobium beatissimi Dominici patris nostri adhuc seruantur viginti, vel viginti duo cerei maximis miraculis in augmento ponderis, & numeri à Domino mirabiliter decorati, anno millesimo quingentesimo tertio decimo: quos ego dum ibi concionatoris munus obtinerem anno millesimo quingentesimo octogesimo secundo, in sacello ad latus Euangelij eleemosynis collectis tunc constructo, proprijs manibus reposui, atque ad Dei optimi, ipsiusque genitricis gloriam tria disticha sequẽtia composui, quæ intra cor deauratum, ipsique sacello supposi-tum subscripta sunt:

Exod. 34.

Epiphan.

Omnibus vt seclis laudetur mira potestas:
Laudenturq; rosa virginis eximia:
Inclusi hec clamant elidgus voce sacello
Cerei & eximium testificantur opus.
Extincti lucem spargent per secla futura
Crescentis subitò ponderis, & numeri.

Dum igitur nostris cereis, accensisque luminaribus Saluatorem nostrum suscipimus, diuinumque lumen de lumine profitemur, splendorem paternæ gloriæ recolimus, ipsiusque genitricem, quæ cœleste hoc lumen mũdo protulit, & ipsius indeficientem lucem iugiter seruauit, in hac purificationis ipsius solennitate celebra-

cenduntur in lætitiæ signum: sic hodie primum ingressum Principis nostri in templum Hierosolymitanum accensis luminaribus recolimus, ipsiusque gloriosum triumphum, splendidumque lumen celebrare incipimus. In virtute huius luminis hostes nostri vincendi sunt, id quod in mirabili illa victoria præfiguratum habemus, quam milites Gedeonis luminaribus, lampadibusque accensis, pro armis vtentes contra Madianitas obtinuerunt. His igitur fidei luminaribus contra spirituales hostes nobis dimicandum est. Væ his, quibus hoc lumen absconditur, & qui in tremendo illo iudicij die dicent: *Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Diligite ergo sapientiæ lumen. Prudentes virgines, quæ accensas lampades cum oleo vigilantes seruauerunt, *intrauerunt cum sponso ad nuptias:* fatuis verò, quibus oleum, & lumen defecit, *clausa est ianua.* Quod si prudentes virgines accensas lampades deferunt, sanctissima Virgo verum lumen nobis detulit, siquidem ex ea ortus est, vt splendor iustus, & Saluator noster, & vt lampas accensus, sicut Euangelicus Propheta capite 62 prædixit. Ipsa Virgo mater est luminis, atque adeò accensus luminaribus non solùm filium, vt verum lumen, repræsentamus, sed ipsam quoque Virginem matrem multis de causis celebramus. Tum quia veram lucem mundo protulit: Tum quia lucem fidei indeficientem semper seruauit: Tum denique propter vitæ claritatem, & plenissimum splendorem. Atque ea ratione ab exordio huius solennitatis, quę à tempore Apostolorum verosimile est initium habuisse, videtur id institutum, vt hoc sacro die, inter cæteras virginis festiuitates, cerei magna cum solennitate benedicantur, accensi deferantur, & offerantur, ne quis in hac virginis almæ purificatione, indignum aliquid ipsius puritate, vel suspicari, vel mente excogitare possit. Imò sanctus Timotheus presbyter Hierosolymitanus addit, quod Simeon videns sacram Virginem cum puero in vlnis, cœlesti quadam luce circumfusam Spiritu sancto afflatus agnouit esse matrem Dei.

Iudic 7.
Christus verum lumen arma spiritualia nobis præstat
Sap. 5.
Matth. 25.
Esa. 62.
Sacrā Dei genitricem accensis luminaribus merito celebramus.

Et quid mirum? nam si ex diuino commercio per

quadra-

quadraginta dies facies Moysi sic splendebat, vt Aaron, & filij Israel videntes cornutam faciem, timuerint propè accedere, ita vt ipse Moyses posuerit velamen super faciem suam, si quando loquebatur ad eos: quantò potius sanctissimæ Dei genitricis, splenderet facies ex nouem mensium Verbi mirabili conceptione, & quadraginta dierum ab ineffabili partu diuino commercio? Sanctus Epiphanius serm. de natiuit. Dom. *O Virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem deduxisti!* stupendum est miraculum in cœlis mulier amicta Sole: stupendum miraculum in terris mulier gestans lucem in vlnis. Atque inter alia complura miracula, quibus diuina maiestas dignata est ostendere cereorum, & luminarium vsum in hac festiuitate dilectissimæ genitricis suæ sibi esse gratissimum: in Victoriensi vrbe Hispaniæ in Alauæ prouincia apud insigne cœnobium beatissimi Dominici patris nostri adhuc seruantur viginti, vel viginti duo cerei maximis miraculis in augmento ponderis, & numeri à Domino mirabiliter decorati, anno millesimo quingentesimo tertio decimo: quos ego dum ibi concionatoris munus obtinerem anno millesimo quingentesimo octogesimo secundo, in sacello ad latus Euangelij eleemosynis collectis tunc constructo, proprijs manibus reposui, atque ad Dei optimi, ipsiusque genitricis gloriam tria disticha sequẽtia composui, quæ intra cor deauratum, ipsique sacello supposi tum subscripta sunt:

Exod. 34.

Epiphan.

Omnibus vt seclis laudatur mira potestas:
Laudenturq; rosa virginis eximia:
Inclusi hæc clamant eligui voce sacello
Cerei & eximium testificantur opus.
Extincti lucem spargent per secla futura
Crescentis subitò ponderis, & numeri.

Dum igitur nostris cereis, accensisque luminaribus Saluatorem nostrum suscipimus, diuinumque lumen de lumine profitemur, splendorem paternæ gloriæ recolimus, ipsiusque genitricem, quæ cœleste hoc lumen mũdo protulit, & ipsius indeficientem lucem iugiter seruauit, in hac purificationis ipsius solennitate celebra-

mus, diligenter attendamus, vt sic luminaria nostra exterius splendeant, vt cordibus nostris tanti luminis claritas non deficiat. Sic cerei foris accendantur, vt diuini luminis flammis mentes interius ardeant Accedamus
Psal. 33. ad matrem luminis, dicentes: ***Solue vincla reis, profer lumen cæcis.*** Accedamus (fratres charissimi) ad puerum Iesum, verum lumen, vt illuminemur. Sic enim ab ipso dulcissimo puero lumen petamus, absque inuidia vtique, imò libentissimè communicabit. Non solùm autem hic nobis lumen præstabit, vt ***in lumine vultus*** ipsius ambulemus, Psalm. 88. sed ex hoc lumine transferet nos in excellentius illud increatum lumen, à quo omne participatum lumen procedit: iuxta illud Psalm.
Psal. 35. 35. ***In lumine tuo videbimus lumen.*** Lumini enim gratiæ succedet lumen gloriæ, ad quam nos perducat idem IESVS CHRISTVS Dominus noster, qui lumen est de lumine Patris.
Amen.



IN

IN EADEM SOLENNITATE,

CONCIO QVARTA.

De Prophetarum oraculis in hoc mysterio completis.

THEMA.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, secundum legem Moysi, tulerunt illum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino. Luc. 2.

POST celebrata infantiæ Saluatoris mysteria, vltimum hodierno die recolit Ecclesia, quo alma Dei genitrix filium suum vnigenitum per manus sancti Simeonis æterno Patri obtulit. Cuius mirabili exemplo ducta in gratiarum actionem pro immenso munere Verbi diuini nobis nati, nobisque dati, idem munus Patri reddit: vt verè dicamus cum Rege Propheta, 1. Paralip. vlt. *Quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.* Virgo sanctissima tanti muneris delatrix est, vt pro vtriusque dignitate aliquid disseramus, munus gratiæ per ipsam nobis postulemus, dicentes: *Aue Maria.* 1. Para. vlt.

Postquam impleti sunt dies. Hi sunt dies verè pleni, de quibus Propheta Rex Psal. 72. prædixerat: *Dies pleni inuenientur in eis:* & Iob cap. 7. horum dierum desiderio tenebatur, cum dicebat: *Sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeraui mihi.* Saluator Christus illius desiderium, Dauidisque oraculum impleuit, cùm venit *Saluator in mundo natus dierum plenitudinem effecit. Iob 7.*

plenus gratia, & veritate, Ioann. 1. Hæc fuit *corona anni benignitatis*, cui iuxta vaticinium Dauid Psal 64 benedixit Dominus. & Ecclesiæ *campi repleti sunt vbertate* gratiæ, & Euangelicæ doctrinæ. De horum dierum fœlicitate dixit Paulus ad Gal. 4. *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum natum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus* Sicut hodierna die recolimus puerum Iesum legum authorem factum sub lege, atq; in templo Patri oblatum.

Psal 64. *Galat. 4.*

Nunc impletum est illud modicum per Prophetam Aggæum ca. 2. prædictum (cuius vaticinij meminit Paulus ad Hebr. 12.) *adhuc modicum* (Paulus transtulit *adhuc semel) & ego mouebo cælum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria.* Impletum est etiam hodierno die oraculum Malach cap. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum* (qui fuit Ioannes Baptista, sicut sequentia verba apertè declarant) *& præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis. Et quis poterit cogitare diem aduentus eius? Et quis stabit ad videndum eum?* Et subdit: *Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & collabit eos quasi aurum, & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia.* Vbi per Prophetam purificationis nostræ spiritualis lectio apertè insinuatur, quam hodierno mysterio Redemptor noster Christus operari cœpit, atque doctrina sua, & exemplo nos docuit, munditiam cordis, & puritatem mentis commendans: dum Matth 5 ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Agga. 2. *Hebr. 12.* *Malach 3.* *Matth. 5.*

Propheta quoq; Daniel (quanquam in vmbra, & in visione noctis) vidit gloriosum hunc diem, solennem processionem, atq; sublimem, & ineffabilem Christi oblationem: sic enim ait c. 7. *Ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & lingua ipsi seruient*

Daniel 7.

seruient: potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod nō corrumpetur. Puer vtiq; noster Iesus vnigenitus filius ante omne tempus ex Patre genitus, filius hominis in plenitudine temporis, ex Virgine natus, hodie quadragesimo die a natiuitate sua Patri sistitur, & offertur: *potestas tamen illius potestas æterna est*, potestatique Patris coæqualis, & regnum ipsius stabile, *quod non corrumpetur*: sicut Lucæ 1. virgini prædixit Angelus: *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Filius hominis est, qui, cùm in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens*: Cæterùm *dedit ei potestatem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient*. Respondeat Porphyrius, cui hominum hoc conuenire possit: aut quis ille sit tam potens, vt omnes gentes seruiant ei? Explicet quomodo cum nubibus cœli veniat, *quasi filius hominis*: quomodo potestas eius sit potestas æterna, quæ nullo fine claudatur. Id verò nos docuit Apostolus Paulus ad Philip 2. dicens: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, Vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum*: aduentum verò cum nubibus cœli vsque ad antiquum dierum Lucas Euangelista hodierno Euangelio nobis explicuit, dicens: *Tulerunt puerum Iesum parentes eius, & accepit eum Simeon in Vlnas suas.* Sacra enim Virgo Maria, & Ioseph nubes cœli verè dicuntur. Nam si Apostoli sancti, sacrique Doctores, & Prophetæ nubes vocantur, qui terrena despicientes, velut nubes in alta conscendunt, atque ad ea, quæ sunt priora (vt Paulus ait) extendunt seipsos, qui multitudine diuinæ scientiæ pleni, cœlestium mysteriorum imbres continent: imò & de iustis omnibus, qui culparum grauedine expediti conuersationem in cœlis habent, aptè intelligitur admiratio illa, quæ habetur Esa. 60 *Qui sunt isti, qui Vt nubes Volant?* Quantò potius Mariam, & Ioseph cœli nubes appellabimus, quæ continuerunt, & seruauerunt cœlestem illum rorem, atque pluuiam gratiæ, & veritatis: quam Euangelicus Propheta anxio desiderio cap 45. postulabat: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum.* Nubes Spiritus sanctus est, qui

Luc. 1. *Philip. 2.* *Philip. 2.* *Sacra Virgo, & Ioseph meritò nubes appellantur.* *Philip. 3.* *Philip. 3.* *Esa 60.* *Esa 45.* *Spiritus*

sanctus nubes dicitur. qui super Virginem descendit, illiusque vterum diuino spiramine irrorauit, atq; repleuit: ipse nubes est illa lucida, quæ transfigurato Domino in monte Thabor discipulos obumbrauit. Nubes est & alma Virgo, quæ de cœlesti rore filium conceptum, velut desideratissimum imbrem nobis effudit, atq; hodierno die, vt vniuersum orbem inciperet irrigare, in templum detulit. Nubes vtiq; sunt cœli, Maria & Ioseph per altissimam, cœlestem, & verè Angelicam conuersationem, meditationem, ac cœlestia desideria sublimes.

Matth. 17.

Sacra Virgo specialissima ratione nubes dicitur. Adhuc tamen specialissima ratione sacrosancta Virgo Maria nubes meritò dicitur: primò quia inter Deum, & homines medium locum obtinet. Quidquid enim perfectionis, & honoris in creaturis inuenitur, Virgo sanctissima eminenter continet. Perfectiones verò diuinas, infinitate sublata, quæ diuinum esse, illis confert, almæ Virgini, vt æterni Verbi matri, tribuere possumus: id quod nos docet sacra mater Ecclesia, dum ipsi tribuit multa in diuinis officijs, quæ de æterna Sapientia scripta sunt: vt est illud Ecclesiastici capite 24. *Ab initio & ante secula creata sum: ego quasi vitis fructificaui.* Christus enim vera vitis est, Dei genitrix verò quasi vitis. Verè ergo dignitate, & sublimitate nubes est. Deinde secundo loco nubes dicitur, quia nubes secundum doctrinam philosophi. 1. Metheo. ex vapore terræ, & radijs solaribus generatur, quorum virtute naturali grauitate deposita in æthera eleuatur. Ex aqua quoque maris amara, in medium aeris vaporem extenuatum, & dulcoratum Sol eleuat: sic sacra Dei genitrix ex graui terra eleuata est ad dignitatem matris filij Dei, & ex amaritudine Iudaici populi dulcissima nubes ascendit, quæ noxialis pomi antiquam amaritudinem in nouam, mirabilemque dulcedinem commutauit. Tertiò nubes dicitur, quia diuini Solis ardorem mitigauit: diuina enim maiestas olim *Deus vltionum* vocari volebat: at postquam ex Virgine nasci dignatus est, *apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei,* ad Titum ca. 3. Quartò sicut mediante nube Sol efficitur visibilis, vt in eum oculos possimus intendere, sic Sol iustitiæ, qui *lucem habitat inaccessibilem,* primæ Timoth. capite 6. nube carnis,

Eccl. 24.

Tit. 3.

carnis, quam ex virgine sumpsit, tectus, factus est visibilis. *In terris enim visus est, & cum hominibus conuersatus est*, Baruc. 3. Hæc est nubes, de qua Ezech. 32 scriptum est, *solem nube tegam* Quintò nubes est, quæ terram prius aridam, & sterilem fœcundauit, & benedictione repleuit. Fœcunditas enim virginis Ecclesię campos vbertate, & aream pretioso tritici aceruo, lilijs vallato decorauit, atque ditauit Ipsa est mirabilis illa columna nubis, quæ filios Ecclesiæ in promissionis, & beatitudinis patriam perducit. *Ezech. 32.*

Hæc est nubes illa purissima, absque vllo peccati pondere leuis, de qua Esa cap 19. prædixit, *ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, &c.* Ipsa est nubes, quæ nulla coniugij onera, neq; diuini fœtus grauedinem sensit. Quin imò mirabili quadam super Angelorum hierarchias, adhuc viuens, sublimis cœlestium meditatione ascendebat. Nam si adhuc mortalis Maria Magdalena septies in die per manus Angelorum in sublime eleuabatur, vt cœlestium hymnorum melodia frueretur: quò non eleuaretur sanctissima Dei genitrix, tanti filij mater, & Angelorum Regina? Quare verba illa, Cantic. 3 6 & 8. quibus antiqua synagoga nouæ Ecclesiæ Christi admiratur augmentum (iuxta regulam Tyconij magni patris Augustini iudicio comprobatam) nobilissimo membro Ecclesiæ, nimirum almæ virgini, meritò adaptare possumus. Cantic. 6. Contemplantes Angeli gradus, ipsaque virtutum incrementa, per quæ ad perfectionis, æternæque fœlicitatis culmen peruenit, admirãtes dicunt: *quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Initio quidem puella sanctissima auroræ surgentis pulchritudinem præferebat: aurea enim hora erat (iuxta nominis etymologiam) natiuitatis suæ luce, peccati tenebras fugans: & quasi pulchra nubecula, splendida luce coruscans iam iam omnium solem nunciabat. Lunæ verò pulchritudinem, & plenitudinem habuit, cum mater Dei effecta Saluatorem in Bethlehemitico stabulo pariens, noctem sicut diem illuminauit: & lumen illud immensum, quod Simeon Cantico suo celebrat, mundo protu- *Esai. 19.* *Cant. 3. 6. & 8.* *August.* *Cant. 6.* *Virgo Deigenitrix ex aurora luce ad meridianum splendorẽ semper ascendit.*

protulit. Cum verò ex Bethlehemitico domicilio quadragesimo die à partu Saluatoris, illum detulit in Hierusalē, vt in templo patri offerret: tunc tantum filiū supra ipsum solē splendidū super pectus, & brachia ferens, virtutū cœlestiū, & Angelorū agminibus vallata, verè dicitur electa, vt Sol: terribilis, vt castrorū acies ordinata.

Alma Virgo aromatica virgula rectè dicitur.

Et primò quidem statui virginis almæ, antequam filium Deum conciperet, aptatur prior illa quæstio puellarum Hierosolymitanarum: *quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris?* Per desertū enim vitæ præsentis semper progrediens, & se ipsa robustior, *de virtute in virtutē* ascendit. Erat enim tunc similis virgulæ suffumiganti, & puluere odoratissimo pigmentaria arte confectæ: *como pouete finissimo*: humilitate, religione, deuotione, fide, spe, charitate, omniumq; virtutum genere, quasi pigmentaria diuini opificis arte cōposita virgula, quæ Deo, Angelis, & hominib suauissimum virtutū omnium odorē diffudit.

At postquam per Angeli nuntium superueniēte Spiritu sancto, altissimiq; virtute obumbrante sacra Virgo absq; virginei pudoris dispendio æterni patris filiū concepit, peperit, lactauit, nutriuit, & ipsius diuino consortio fruens vsque ad virilem ætatē perduxit: se ipsa in dies superior, & excellentior effecta, maiorem in Angelicis mētibus excitare cœpit admirationem. Quare meritò

Cant. 8.

interrogāt, *quæ est ista, quæ ascen iit de deserto delitiis affluens, innixa super dilectum suum?* Quasi dicant, quæ est ista, quæ ab ipso suæ conceptionis momento, diuini amoris impulsu incitata aquilis velocior: promptitudine, alacritate, ardore, & agilitate altissimas nubes, imò & supremos Angelos superans, semper ascendere conata est: deliciis virtutū, donorū Spiritus sancti, & magnorū priuilegiorū semper affluens? Quid de immensis illis occultis deliciis d cā, quibus æterni patris generationem im tatur? Sicut enim ex fœcūdissimo patris intellectu oritur filius natura, & essentia vnus cum patre, & Spiritu sancto, sed persona distinctus: sic alma Dei genitrix eundē patris æterni filiū concepit, peperit, & lactauit, eundē (inquā) in persona, sed in duplici natura, nēpe diuina, & humana. Pater æternus per generationem filij nullum dispen-

diſpendium patitur: Virgo ſanctiſſima eundem filium concepit, & peperit: integra ſemper, & intemerata virginea puritate Quòd ſi ex mutua patris, & filij dilectione procedit Spiritus ſanctus, qui eſt mutuus amor: eximius quoque & mutuus amor copulat filium, & matrē: vt verè dicat Cant. 2. *dilectus meus mihi, & ego illi*: Et c. 7. *ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius*. Hæc eſt deliciarum virginis affluentia. O Virginem fœliciſſimam! O delicias ineffabiles! O diuini amoris flammas gratiſſimas, amabiles, & ardentiſſimas! Cant. 2. Cant. 7.

Sed nouas adhuc virginis delicias proferamus. Per verbum patris *omnia facta ſunt* Ioan. 1. per Chriſtum virginis filium omnia inſtaurata: vt Paul docet ad Epheſios 1. *propoſuit ſecundum beneplacitum ſuum in diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælis, & quæ in terra ſunt*. Filius Dei patris ſapientia omnia conſeruat, moderatur, & regit. Idem virginis filius omnia in ſe reconciliat, cœleſtia terrenis, humana diuinis *Filius ſplendor gloriæ patris, & ſpeculum ſine macula*, æterniq; patris imago: ſic in Chriſto virginis filio, velut puriſſimo ſpeculo, ſplēdet matris integritas, charitas, humilitas, religio, & perfectiſſima ſanctitas. Hæc eſt nubes excelſa, ſublimis, & leuis: quæ ſemper aſcendit ſe ipſa ſuperior. Altera nubes eſt Ioſeph ipſius ſpōſus, Euangelico oraculo iuſtus prædicatus, diuinis muneribus plenus, vt idoneus eſſet virginis nuptiis: atq; filij Dei nutritius, & cuſtos. Cum his altiſſimis cœli nubibus venit filius Dei, quaſi filius hominis: ſicut vidit Propheta Daniel citato, cap. 7. Vbi particula illa, quaſi, non ſignificat ſimilitudinem, ſed certiſſimam fidei confirmationem: ſicut Ioan 1. dicitur, *Vidimus gloriam eius, quaſi gloriam Vnigeniti à patre*: id eſt cum tali gloria, qualis decebat eum, qui eſt vnigenitus patris. Sic nunc venit ipſe, *cuius poteſtas eſt poteſtas æterna, quæ non auferetur: Et regnum eius, quod non corrumpetur: quaſi filius hominis cum nubibus cœli, & vſq; ad antiquum dierum peruenit*: id eſt cum ea benignitate, humilitate, & obedientia diuinis legibus, quæ verū hominē decebat: per manus virginis, atque Ioſeph delatus ad venerandū ſenem Simeonē, antiquū dierū peruenit, vt paternis oculis offerretur.

Per filium Dei omnia creata: per filium virginis omnia inſtaurata. Ioan. 1. Epheſ. 1. Daniel. 7. Ioan. 1.

Ipſe eſt

Ipse est de quo quasi Spiritus sancti digito signato, ait Euangelista: *ecce homo erat*: Illum enim quasi virtutis exemplar, Ecclesię inspiciendum, & imitandum proponit, dum ait: *ecce*: Dum verò subdit, *homo erat*, idem est, ac si dicat, quòd secundum rationis regulas vitam dirigebat: quod totius virtutis fundamentũ est. Et quamquam iustus erat ante Deum, nil tamen de se præsumens, *imò timoratus erat*. Et expectabat, non honores, non diuitias, neque temporalia bona, *sed consolationem Israel* per Esaiam promissam, cap. *66. ego ipse consolabor vos, & in Hierusalem consolabimini: videbitis, & gaudebit cor vestrum: & ossa vestra quasi herba germinabunt*. Diuina enim consolatio omnes vires animæ, vsque ad ipsa ossa, interioresque potentias reficit. Quod vaticinium impletum vidit Simeon, & in vlnis suis susceptum puerum Iesum obtulit æterno patri. Qui iuxta Danielis vaticinium antiquus quoque dierum dici potest, siquidem *neque initium, neque finem dierum* habet: & in conspectu eius obtulerunt eum.

Esa. 66.

Ea tamen visione non solùm hodiernum aduentum, atque oblationem vidit Propheta sanctus, sed & vltimum illum aduentum filij Dei ad iudicium. Id quod insinuauit horror spiritus, quo se territum dicit Propheta, visionibusque capitis sui conturbatum: & quod inferiùs subdit, *iudicium dedit sanctis excelsi: & tempus aduenit, & regnum obtinuerunt sancti*. Idem etiam manifestius indicant verba, quæ paulò ante dixerat: *aspiciebam, donec throni positi sunt: & iudicium sedit, & libri aperti sunt*. Sic enim de ipsius vltimo aduentu ad iudicium, aspicientibus Apostolis ascendentem Christum in cœlum duo viri in vestibus albis illis apparentes dixerunt Actuum 1. *Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Et sicut tunc nubes suscepit eum ab oculis eorum*, sic veniet tunc visibilis cum nubibus cœli, sicut ipse Christus prædixit Luc. 21. *Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & maiestate*. Et Ioan. 5. *Amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent. Sicut enim pater habet*

Act. 1.

Luc. 21.

Ioan. 5.

habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso, & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Et Apocalyp.1. Vidit dilectus discipulus, *ecce venit cum nubibus cæli, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. De ore eius gladius vtraque parte acutus exibat. Tunc trementes impij dicent montibus, cadite super nos; & collibus operite nos* Luc capite 23. Furorem quoque iudicis præuidens Iob.cap.14. dicebat, *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me: & abscondas me, donec pertranseat furor tuus. Quem videntes impij turbabuntur timore horribili.* sicut dicitur Sapient. capite 5. *Iusti verò stabunt in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum.* Illis siquidem iucunda voce ait Christus verus, & fidelis iudex, qui sanctorum deposita non minùs fideliter, quàm potenter seruat: *respicite, & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* In hodiernæ igitur oblationis mysterio redemptori nostro Christo immensas gratias semper agamus, qui tot prophetarum oracula in mundum veniens, se seque patri offerens, pro nostra salute implere dignatus est, atque in templo *cum nubibus cæli* veniens per manus Simeonis æterno patri in sacrificium matutinum offerri voluit: Illum & nos magna cum animi deuotione, & cordis exultatione, æterni patris oculis sic offeramus, vt oblationis vespertini sacrificij, quo in crucis altari se se patri obtulit, fructum percipere mereamur, qui est fructus nunc gratiæ, & in futuro gloriæ: Ad quam nos perducat idem Iesus Christus Dominus noster, Amen.

Apoc. 1.
Luc. 23.
Iob. 14.
Sap. 5.

IN EADEM SOLENNITATE fragmenta in Euangelium.

POSTQVAM *impleti sunt dies purgationis Mariæ.* Maximam munditiam, etiam corporis Dominus desi- 1.

dera-

derabat, vt in templum suum ingressus pateret: siquidem immundis quacunque occasione interdicebatur. *Mētis puritatem Dominus desiderat.* Quantò maiorem puritatem interiorem in cordibus fidelium desiderabat, siquidem 1 ad Cor. c. 3 Paul ait, *An nescitis quia templum Dei estis vos, & Spiritus sanctus habitat in vobis?* *1.Cor.3.* Et quantò maiorem puritatem exiget Dominus à sacerdotibus, qui quotidie templum sunt *Esai. 1.* Spiritus sancti, & sacrarium Dei viui? Quare Esai. 1 ait, Dominus: *lauamini, mundi estote: auferte malum cogitationum vestrarum.* *Esa 52.* Et c. 52. *Pollutum nolite tangere: exite de medio eius, mundamini, qui fertis vasa Domini.*

2\. *Vt sisterent eum Domino.* *Pueri à lacte Domino offerendi.* Pueri à lacte Domino offerendi sunt. Sic Anna Samuelis mater, antequam filium conciperet, orauit ad Dominum, & votum vouit dicens: *Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ; nec oblitus ancillæ tuæ dederis sexum* *1.Reg.1.* *virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ suæ.* Statimque vt Samuelem ablectauit, iuxta votum suum *Tob. 1.* obtulit Domino. Tobias *ab infantia docuit filium timere Dominum.* Deinde puer Iesus patri sisti voluit, vt nos, qui eramus longè, per ipsum appropinquaremus, *Ephes.1.* & fieremus propè, sicut Paulus ait ad Ephes. capite primo. *Et vt per dilectionem, & charitatem satagamus sem-* *Psal.15.* *per præsentes esse Deo:* iuxta illud Psalm. 15. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear.*

3\. *Et vt darent hostiam pro eo.* *S. Thom.* Antiqua sacrificia duplici ratione grata erant Domino: vt docet S. Thom 1.2 quæstio. 102. articulo 3. *Antiqua sacrificia duplici de causa Domino grata erant.* Primo quia ordinabantur ad cultum Dei: & per oblationem mens offerentis excitabatur, & ordinabatur in Deum, tanquam in primum rerũ omnium principium, vltimumq; finem: sicut dixit Dauid 1. Paralipom cap. 29. *tua sunt Domine omnia, & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.* *1.Paral.29* Et ex hac ratione oritur alia, nempe, vt per hæc sacrificia vero Deo oblata, retraheretur populus ab idolorum sacrificiis; ad quæ propensus erat ex praua consuetudine Ægyptiorũ. *Hiere. 7.* Quare Hierem. 7 aduertit Dominus: *non sum locutus cũ patribus vestris, & non praecepi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum, & victimarum.*

Non

Non enim dederat Dominus pręcepta de sacrificiis, donec in adoratione vituli conflatilis ad idololatriam populus declinauit. Altera ratio sacrificiorum, & hostiarũ fuit figuralis, & mystica, secundum quòd ordinabantur ad figurandum Christum, qui pro peccatis nostris *oblatus est, quia ipse voluit:* vt Esai. c. 53. prædixit. Dumque in templo hodie oblatus est, cœpit veritas cum vmbra, & figura coniungi, lex adimpleri: & peccatum deleri: sicut ad Hebr. cap. 10. docet Paul. *impossibile enim est sanguine hircorum, aut vitulorum peccata deleri: propter quod ingrediens mundum dicit: hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocaustomata & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: ecce venio.* Et quia verus agnus offerebatur, nil opus fuit pro illo agnum offerri: *sed par turturum, aut duos pullos columbarum.* *Esai. 53.* *Hebr. 10.*

Par turturum. Rectè Diuus Hieronymus ait, *anathema sit, qui dixerit Deum obligare ad impossibile.* A nemine enim amplius exigit, quàm potest. Sic Tob. 4. *si multum tibi fuerit abundanter tribue. Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impende.* Offert se se locus dicendi contra diuites, & potentes impios in pauperes: contra quos Amos 6. *optimates capita populorum ingredientes pompaticè domum Domini nihil compatiebantur super contritione Ioseph.* 4. *D. Hierom.* *Tob. 4.* *Amos 6.*

Par turturum. Eam oblationem pro se offerri voluit Saluator, quia ea erat pauperũ oblatio. *Ipse verò, cũ esset diues* (vt Paul. ait 2. ad Cor. 8.) *egenus pro nobis factus est, vt illius inopia nos diuites essemus:* ipsius infirmitas fortitudinẽ nobis præstitit: ipsiusq; inopia, & humilitas opera nostra ex se vilia ditauit, & exaltauit. Sicut arbor debilem hederã sibi adhærentẽ eleuat in sublime: inde enim hedera ab hęrendo dicta est secundum Isidorũ: sic opera nostra ex se humilia, atq; debilia, Christo vero ligno vitæ, proceræq;, & excelsæ arbori, cuius proceritas contingit cœlũ, adhærentia in cœlum exaltantur. Quare Dauid meritò dixit Ps. 72. *Mihi adhærere Deo bonum est.* Cuius rationem exhibet Ps. 118. *adhæsit pauimento anima mea:* quasi dicat, anima mea ex se ipsa terrã sapit, vilisq; est: cæterùm per te eleuatur, & exaltatur. Vnde Psal. 62. ait, *adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.* 5. *2. Cor. 8.* *Humilitas Christi opera nostra vilia exaltat.* *Simile.* *Isidor.* *Psal. 72.*

Par tur-

6\. *Par turturum.* Voluit etiam Saluator eas auiculas prò se offerri; quia vt D. Hieron. ait, lib. 2. contra Iouinianum, *turtur auis pudicissima typus est Saluatoris. Ea enim turturis natura est, vt si parem perdiderit, alteri non iungatur.* Hieronymo subscribit Augustinus lib. 50. homiliarum homil. 33. *Turtur* (vt legimus) *pudicissima auis est.* & ideò Saluator noster turtur dictus est, quia primus castitatem docuit: sicut Salomon in Canticis prædixit: *Vox turturis audita est in terra nostra.* Vox turturis doctrina est Saluatoris. Nonne vox illa turturis est Matth. cap. 19. vbi exhortatur ad continentiam, & virginitatē? *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est: qui potest capere capiat.* Quam doctrinam à Christo acceptam, docuit Paulus 1 ad Corinth 7. *bonum est homini mulierem non tangere.* Et subdit: *de virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus.* Suffragatur etiam Diuus Bernardus, serm. 59. in Cantic. *Vox turturis gementis quam canenti similior est.* Quare peregrinationis nostræ nos admonet: sicut Paulus ad Rom. 8. pro se, & in persona iustorum peregrinantium ait: *nos ipsi intra nos gemimus.* Neque solùm commendant turturem gemitus: commendat & castitas. Castitatis vox à principio non fuit in terris audita: *sed crescite, & multiplicamini.* Cum autem ex ore castissimæ turturis insonuit commēdatio spadonum, *qui se castrauerunt propter regnum Dei*: & alterius cuiusdam castissimæ turturis consilium de virginibus vbique inualuit: Tum primum veraciter dici potuit, *quia vox turturis audita est in terra nostra.* Qui plura de hac re desiderat, legat D. Aug. lib. de bono coniugali, c. 10. & lib de sancta virginitate c 9.

Turtur auis pudicissima typus est Saluatoris. *Hieron.* *August.* *Cant. 2.* *1. Cor. 7.* *D. Bern.* *Rom. 8.* *D. August.*

7\. *Aut duos pullos columbarum.* Per columbam castitas, mentisque simplicitas significatur: sicut docet S. Tho. 1. 2. quæst. 102. art 3. ad secundum, quare columbæ oculos sponsa tribuit sponso. Cantic. 4. Significatur etiam per columbam charitas, quia columba auis est amatoria, quæ oculis, osculis, ipso murmure, & gesticulationibus amorem insinuat. Dum ergo de oculis sponsi dicit sponsa, *oculi eius sicut columbæ*, perinde est, ac si dicat oculi eius sunt pulchri, iucundi puri, nitidi, & amabiles: quales

Per columbam castitas, mentisque simplicitas significatur. *S. Thom.* *Cant. 4.*

quales sunt oculi columbarum albissimarum: quæ præter natiuum candorem, lacte sunt ablutæ: & resident iuxta fluenta aquarum plenissima Id quod Gregorius Nissen. in eum locum his verbis sponsæ significari intelligit fidem & charitatem Christi erga sponsam suam Ecclesiam, quam fideliter, & tenere diligit: simul & simplicitatem, sinceritatemq; morum singularem, & innocentiam vitæ, animi puritatem, atq; candorem. In duplicis verò auis oblatione, turturis, & columbæ duarum naturarum; diuinæ & humanæ coniunctio in Christo significatur. Idem etiam in binario, siue pari turturum, vel columbarum insinuatur: mutuaq; charitas, & dilectio. Greg. Niss.

8. *Ecce homo erat in Hierusalem*. Simeon sacerdos erat secundum Cyrillum oratione de occursu Domini, & Epiphanius lib de patrib. veteris testamenti Ab Euangelista verò Luca homo sanctus describitur. Sanctitatis verò primum fundamentum explicat, *quia homo erat*: qui secundum regulam rationis viuebat. Rarus est, qui sic viuat: id quod Diogenes Cynicus significauit, dum in meridiana luce accensa facula in foro hominibus pleno dicebat, se hominem quærere, id est aliquem, qui secundum rationis regulas viueret. Similiter Hieremias, capite quarto ait, *aspexi terram, & ecce vacua erat: intuitus sum, & non erat homo*. Ecclesiastes capite duodecimo: *Deum time, & mandata eius serua: & hoc est omnis homo*. Hic verè homo dicitur, qui secundum hominis dignitatem viuit: & sicut decet eum, qui ad Dei imaginem formatus est. Quare qui secundum regulas rationis non viuunt, in bestiarum naturam degenerant: quibus Rex Propheta ait, Psalm. 31. *Nolite fieri, sicut equus, & mulus, in quibus non est intellectus*: & Psalm. 48. *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*. Et Christus Dominus Luc cap. 3 de Herode dixit: *dicite vulpi illi*. Ioannes quoque Baptista Scribas, & Pharisæos *genimina viperarum* appellauit. Simeon sacerdos fuit. Cyril. Epiphan. Diogen. Hierem. 4. Eccles. 12. Psal. 31. Psal. 48. Luc. 3.

9. Sanctitas Simeonis magis adhuc explicatur, quia *iustus erat, & timoratus*. Iustitia virtutum plenitudinem complectitur. Vel iustus erat ad proximos, & timoratus ad Deum. Et quamquam iustus erat, agnoscens ta-

 meri

men humanam fragilitatem, & inconstantiam, *& quòd omnes iustitia nostra sunt tanquam pannus menstruata* Esai. cap 64. nihil de se præsumebat. Ex maiori enim iustitia maior reuerentia, timorque Domini oritur: *quia initium sapientia timor Domini.* Psalm 110. & vt Esai. ait, capite 26. *à timore tuo concepimus, & quasi parturiuimus spiritum salutis:* Eccl. c 25. *Timor Dei initium est dilectionis* Diuus August. in Psalm. 110. *ædificij perfectio, cuius est initium timor Domini* iuxta illud Eccl. 27. *Si non in timore Dei tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua.* Vnde Paul. 1. ad Corin. 10. *qui stat, videat ne cadat,* & ad Philippen. 2. *cum metu, & tremore vestram salutem operamini:* sanctus timor Dei iustitiam conseruat, sicut cinis ignem. Per timorem enim homo recedit à malo, & per iustitiam facit bonum Psalm. 33. *Declina à malo, & fac bonum.*

Timor Domini fundamentũ est totius iustitia. *Esai. 26.* *D. August.*

10. *Expectans consolationem Israel.* Non honores, non diuitias, neque delicias expectabat, sed consolationem Israel. Consolationem (inquam) per Esai. prædictam, capite 66. *ego ipse consolabor vos, & in Hierusalem consolabimini. Videbitis, & gaudebit cor vestrum: & ossa vestra quasi herba germinabunt.* Diuina enim solatia omnes vires animæ, omniaque ossa penetrant. Simili tropo Dauid Psalm. 34. Magnam cordis exultationem explicuit dicens: *anima mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari suo: omnia ossa mea dicent, Domine quis similis tui?* Boni communis, consolationis populi cura, principum, iudicum, & maximè prælatorum corda sollicitare debet. Id quod in ornamento sacerdotis Dominus apertè satis indicauit, dum Exod. 28. præcepit: *portabitq; Aaron nomina filiorum Israel in rationali iudicij, super pectus suum, quando ingredietur sanctuarium: memoriale coram Domino in æternum.* Vnde Paul. ad Rom. 12. *qui præest, in sollicitudine:* sicut ipse quotidianam suam sollicitudinem omnium Ecclesiarum explicuit 2. ad Cor. 11. Et ad Rom. 9. *optabat anathema esse pro fratribus suis.* Atque ea ratione, quamquam optabat separari à corpore: morique lucrum existimans, *desiderium habebat dissolui, & esse cum Christo: manere autem in carne necessarium* iudicabat propter ædificationem

Esai. 66. *Psal. 34.* *Principes, & prælatos decet sollicitudo boni communis.* *Exod. 28.* *Rom. 9.* *Philip. 1.*

nem Ecclesiæ ad Philippen. 1. & 2. ad Cor 11 dicebat, *quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* O miseranda tempora, *cum omnes quæ sua sunt, quærunt* ad Philippen 2 Meritò cum Esai.c.64. deflere possumus: *cecidimus quasi folium vniuersi: iniquitates nostræ, quasi ventus abstulerunt nos: non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te*, Ezech. 22. *quæsiui de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni.* Vbi Moyses, qui pro populo suo de libro vitæ deleri petebat: Vbi Eliæ zelus, vbi Oniæ, & Hieremiæ charitas, & zelus? clamare possumus cum Dauid Psal. 11. *Saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus.* Simeon verò verè *iustus, & timoratus expectabat consolationem Israel:* hæc cura pectus illius iugiter sollicitabat: atq; adeò Dominus, qui desiderium pauperum exaudit: *Et qui præsto adest cunctis obsecrationibus nostris* Deut. 4. iuxta ipsius cor gratissimum dedit responsum. *Esai. 64.* *Ezech. 22.* *Psal. 11.*

Responsum accepit ab Spiritu sancto, non visurum se mortem, &c. In mente Simeonis gratum hospitium, & permanentem sedem Spiritus sanctus habebat: non solùm per essentiam, potentiam, & præsentiam: neq; solũ per charitatem, & gratiam, sicut habet in omnibus iustis: sed per eminentem gratiam, feruentissimamq; charitatem populi sui: atq; adeò secundum charitatis desiderium, benignissimum habuit responsum: *non visurum se mortẽ, &c* mors sicut Basiliscus, quem incautum prius intuetur, occidit: sed qui rursus illã priùs aspexerit, mortem occidit. *Memor esto, quoniam mors non tardat.* Eccl. 14 Et cap. 7. *memorare nouissima tua: Et in æternum non peccabis.* Antiqui illi patres, quorum catalogum Apostolus recensuit ad Hebr. c. 11. quamquam sanctitate insignes, iusti, timorati, & expectantes eandem consolationem Israel: *testimonio quidem fidei probati: cæterùm iuxta fidem defuncti sunt, non acceptis repromissionibus.* Fœlicissimus tamen inter omnes Simeon, qui non solùm repromissionem accepit, sed in vlnis suis Saluatorem suscepit, & manibus contrectauit. 11. *Mors similis Basilisco.* *Heb. 11.*

Et venit in spiritu in templum. Super hæc verba primò offert se se locus ad dicendum de donis, & impulsu Spiritus 12.

S. Thom. ritus sancti. De qua re legatur Angelicus Doctor 1. 2.
Rom. 8. quæst. 68. & super illud ad Romanos 8. *qui spiritu Dei*
Maxima *aguntur, filij Dei sunt.* Secundò locus est dicendi de ve-
cum reue- neratione templorum: de præparatione, atque decentia,
rētia opor- & humilitate, qua in domum Dei ingredi oportet Le-
tet ingredi uit. cap 26. ait Dominus; *pauete ad sanctuarium meum.*
domum Christus Dominus, cum multa scelera tolerasset: irreue-
Domini. renter tamen in templo vendentes, & ementes, facto
Leuit. 26. flagello de funiculis omnes eiecit de templo dicens: *au-*
Ioan. 2. *ferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum*
Matth. 21 *negotiationis.* Et iterum dixit; *domus mea domus oratio-*
nis vocabitur: & Marci capite 11. non sinebat Saluator,
Amos 6. vt quisquam per templum vas transferret Amos capite
6. *Væ vobis, qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Domini.* Oportet vtique cum omni humilitate coram diuina maiestate in templo apparere: maximeque illius domum reuereri: oculos, & sensus omnes ab illicitis temperare. Peccata namque in domo Dei cōmissa diuinum cor vehementer vulnerant, sicut Hiere. 11. grauiter Dominus conqueritur. Cum enim dixisset:
Hierem. 11.
tu noli orare pro populo hoc; & ne assumas pro eis laudem, & orationem: quia non exaudiam, &c indignationis, atque furoris sui rationem reddens subdit: *quid est, quòd dilectus meus in domo mea facit scelera multa?* Qui plura de hac re volet, locus proprius habetur feria secuda post quartam dominicam quadragesimæ: in qua legitur euangelium ex Ioan. 2. vbi Christus Dominus eiecit de templo ementes, & vendentes.

13. *Et cum inducerent puerum Iesum.* D. Ambr. *ô quam*
D. Ambr. *paruus, ô quam magnus! paruus in humanitate, magnus in diuinitate.* Paruulos Christus dilexit, atque illis dele-
Matth. 18. ctabatur. Matth. 18. *aduocans Iesus paruulum statuit in medio discipulorum dicens: nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum:* &
Matth. 19. cap. 19 *sinite paruulos venire ad me; talium est enim re-*
Matth. 11 *gnum cælorum:* & Matthæi 11. *Confiteor tibi pater, Domine cæli, & terra, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus: & reuelasti ea paruulis.* Oportet pueri nostri Iesu candorem, animi sinceritatem & humilitatem imitari:

qui su-

qui superbos,& gloriosos titulos potentum huius seculi manifestè damnat, dum *Rex gloriæ* pro nobis puer fieri, & vocari dignatur. Ad hanc humilitatem, & morum simplicitatem nos hortatur Paulus 1. ad Cor 14. dicens: *nolite pueri effici sensibus; sed malitia paruuli estote.* *1. Cor. 14.*

14. *Accepit eum in vlnas suas.* Non vna tantùm, sed vtraque vlna Simeon Christum suscepit: vtraque enim potentia, intellectu scilicet, & voluntate suscipiendus est Christus:per fidemque & opera illum amplecti oportet. Eccl. 27. *Volatilia ad sibi similia conueniunt: & Veritas ad eos, qui operantur illam reuertetur*: id est veritas speculatiua fidei reuertitur ad opera; sicut aues ad sonum similis vocis vulgariter dictum, *el reclamo*, cum auiditate aduolant. *La buena Vida es reclamo de la Fè.* Psal. 110 *intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Hoc est, quod Dominus Deut. 6. ait: *Verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, erunt in corde tuo: & ligabis ea, quasi signum in manu tua*: Vbi manus typus est operum. *Fides, & opera mutuam correspondentiam habent.* *Eccles. 27.* *Psal. 110.* *Deut. 6.*

15. Deinde obserua Domini magnificentiam, atque liberalitatem, qui promiserat Simeoni Saluatoris visionem: non tantùm id concessit, sed vt in vlnis susciperet, & manibus contrectaret. O fœlicissimum Simeonem, qui desiderium sponsæ impletum vides, illiusque verba Cantic. cap. 3. Verè dicere potes, *inueni quem diligit anima mea. Tenui eum, nec dimittam* Dauid Psal. 47. cum exultatione cecinit, *suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*: sed ille per fidem, & desiderium suscepit: tu verò re ipsa, non tantùm vidisti iuxta Spiritus sancti responsum, atq; promissum, sed tetigisti. Per Esai. c. 55 inuitat Dominus, omnes sitientes ad aquas: postea verò absq; argento, & absq; vlla commutatione offert vinum, & lac. Origenes hom. 15 *si mulier tactu fimbriæ sanata est, quid non salutis percepit Simeon tam pleno tactu, tamq; benigno amplexu Saluatoris?* *Cant. 3.* *Psal. 47.* *Esai. 55.* *Origen.*

16. *Nunc dimittis seruum tuum in pace Nunc cum aduenisti desideratus cunctis gentibus, desiderium collium æternorum*, expectatioq; gentium: quem antiqui patres à lögè aspicientes salutabant. Nunc cum antiqua prophetarum oracula impleta video: & gloriam templi huius secundi maiorem, quàm prioris, sicut Aggæus c. 2. prædixit. *Heb. 11.*

dixit. Nunc cum oculi mei vident illum, *in quem desiderant Angeli prospicere:* nil amplius expectari, neq; desiderari potest. Nunc cum video consolationem Israel, omneque desiderium meum impletum: iam in pace moriar: sicut Iacob viso filio Ioseph, quem mortuũ credens iam defleuerat, in illius amplexus, & oscula ruens, dixit: *iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam & te superstitem relinquo* Et sicut Pater, qui videt filiam, pro voto suo traditã viro sibi conueniẽti, dicit, nunc lætus moriar; quia dilectam filiam pro desiderio nuptui tradidi: sic Simeon *expectans consolationẽ Israel,* vidensq; humanam naturã filio Dei nuptã iuxta Esa. vaticinium, c 62. *non vocaberis vltra derelicta, sed vocaberis Voluntas mea,* id est, amor meus, & quasi filia mihi dilecta: *& terra tua inhabitata:* in Hebræo habetur, *maritata,* quia complacuit Domino in te fœlicem hanc sortem, desponsationemq; humanæ naturæ cum filio Dei, exultatione spiritus totus plenus Simeon meritò canit: *Nunc dimittis seruum tuum in pace.* Si Salomon 3 Regum, c. 8. adeò lætatus est, omnisque populus Israel, cum arca Domini in templum illata est; quantò potiùs lætetur Simeon veram arcam in manibus tenens, in qua non manna, non virga in vmbra, & typo: sed ipsa diuinitatis plenitudo inhabitabat, sicut Paul ait ad Coloss. 2. *& in qua erant omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi.*

1. Petr. 1. — Gen. 46. — Esai. 62. — 3. Reg. 8. — Coloss. 2.

17. *Nunc dimittis.* Velut nauta, qui nauigationi accinctus est, nihilque aliud quam prosperum ventum expectat, vt è portu exeat, & det vela ventis: sic nunc Simeon quasi nauigationi in portum æternæ vitæ iam paratus, cum aura secunda, & fœlicissima diuini spiritus illius velis afflauit: meritò ait: *nunc dimittis seruum tuum in pace.* Et quasi viator itineri accinctus, qui fidissimum ducem itineris Christum habet: tutissimum iter pręoculis habẽs, ducemque itineris Christum manibus tenens, mortem intrepidus, imò lætus aspiciens ait: *nunc dimittis seruum tuum in pace:* quasi dicat, certus sum, *quia spiritus tuus bonus deducet me in terrã rectam* D. Bern *quomodo hinc exibis* (anima misera) *qua ducẽ itineris Iesum ignoras!* Ecclesiast. 41. *O mors quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis!* at verò iustus Christum ducem

Simile. — Psal. 142. — D. Bern. — Eccles. 41.

ducem semper sequitur: Prou.14. dicitur: *in malitia sua* *Prouer.14.*
repelletur impius: sperat autem iustus in morte sua. Quare
Paul. ad Philipp. 1. cupiebat *dissolui, & esse cum Christo.*
Atque adeo iustos consolatur ad Coloss.3.dicens: *Nunc* *Coloss. 3.*
mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in
Deo: cum autem Christus apparuerit vita vestra tunc &
vos apparebitis cum ipso in gloria.

Nunc dimitte seruum tuum in pace His verbis gaudiũ 18.
summum, mentisque securitatem, Simeon explicuit: vt
possit mortem lætus aspicere, & ex hac vita discedere:
cuius rationem sequentibus verbis explicat: *quia vide-*
runt oculi mei salutare tuum. Salutare à te missum, sed ad
salutem nostram. Cum ergo videam oculis meis illum,
qui redemptionis nostrę pretium venit exoluere: cœliq;
portas aperire: cuius diuinitatem *non videbit homo, &* *Exod. 33.*
viuet: cupio iam dissolui, vt illum omnino videam, non
solum foris, vt nunc video, sed intus, sicuti est Cuius vi-
sibilis aspectus tam pleno spiritus gaudio, diuinoq; odo-
re cor meum repleuit. Spes proxima videndi dilectum,
alacritatē animi, & quasi nouas vires præstat: quia cha-
ritatis spiculis, atq; sagittis sauciata anima pietatis affe-
ctu vulneratur in intimis: & miro modo ardet contem-
plationis desiderio, & visionis dilecti in patria Expecta-
bat sanctus Simeon repositam sibi coronam iustitiæ:
sciebat cum Paulo cui crediderat, *quia potens est deposi-* *2. Tim. 4.*
ta seruare iustus iudex in illum diem. Et quod si terrestris *2. Tim 1.*
domus nostra habitationis dissoluatur, ædificationē ex Deo *2. Cor. 5.*
habemus, domum non manu factam in cœlis. Quare hac
spe gaudebat, & cũ gaudio spiritus mortem lætus aspi-
ciebat: atque ea ratione cœpit mundum istum fastidire:
omniaq; mundana vilescebāt: & cũ Paulo arbitrabatur
vt stercora. Ideo lętus ait, *nunc dimittis seruũ tuũ in pace.*

In pace. Militia siquidem *est vita hominis super terram* 19.
Iob.7. *Mors iustorum in pace, & tranquillitate est,* quia
finis militiæ Esa. 57 *Veniat pax, requiescat in cubili suo,* *Esai. 57.*
qui ambulauit in directione sua. Et Psal. 2. *in pace in id i-* *Psal. 2.*
psum dormiam, & requiescam. In pace, quia pretiosa in
conspectu Domini mors sanctorum eius Deuicto Diabolo,
& peccato, mors non est iam terribilis: imo amabilis,
quia est via ad vitam.

20. *in pace.* Per pacem explicatur summa iucunditas, & suauitas animæ ex Christi præsencia, quia in vlnis tenet eum, *qui est pax nostra* ad Ephes. 2. *cuius guttur suauissimum, & totus desiderabilis.* D. Ambr. in illud Psal. 118. *Os meum aperui, & attraxi spiritum,* legit, *facies eius dulcedines, & totus desiderium:* & lib. 3. Epist. epist. 11. ad Irenæum, *quid amplius desiderat anima, quæ semel suauitatem Verbi gustauerit?* Rich. de S. Victo in ea verba, Cant. 5. *totus desiderabilis,* sic ait: *suauitas dilecti tanta est, vt omnes suauitates non solùm antecellat, sed etiam expellat. Quò magis sentitur, eò magis desideratur. Esuriem enim habet dilecti suauitas in hac vita, non satietatem: refectionem, non plenitudinem. Nam qui edunt me, adhuc esurient.* Eccl 24. Et concinit illud Ps. 62. *sitiuit in te anima mea:* semper exæstuat, semper sitit anima, quæ gustauit Domini suauitatẽ: donec ad fontem illum misericordiæ perueniat, à quo bonorũ omniũ fluenta cõstat emanare.

Ephes. 2. *Cant 5.* *Ambros.* *Richard.* *Psal. 62.*

21. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Hoc est salutare illud,* quod Patriarcha Iacob iam iam moriens prædixit: *salutare tuum expectabo Domine.* Cum prædixisset ex tribu Dan colubrum in via nasciturum, & Cerasten in semita: quasi tanti nocumenti, lethiferique veneni vnicum antidotum, atque remedium Christum futurum, illis verbis prædixit; *salutare tuũ expectabo Domine.* Hoc est *salutare* per Regium vatem iusto promissum Psal 90. *Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum* Hoc *salutare* præuidit Dauid in spiritu Psal. 97. cum dixit, *notum fecit Dominus salutare suum.* Fœlicissimus ergo fuit Simeon, qui oculis suis vidit salutare tot seculis promissum, præuisum, & desideratũ. Vnde meritò Christus Luc 10. *Beati oculi, qui vidẽt, quæ vos videtis.*

Genes. 49. *Psal 90.* *Psal. 97.* *Luc. 10.*

22. *Quod parasti ante faciem omnium populorum. Olim in Iudæa tantùm notus erat Deus:* sicut dicitur Ps. 75. nunc verò postquam *Verbum caro factum est: Deique filius in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est,* in conspectu omniũ populorũ apparuit sicut prædixit Euãgelicus Propheta, c. 52. *Parauit Dominus brachiũ sanctum suũ in oculis omniũ gentiũ.* Vbi filius Dei brachiũ dicitur, quia virt⁹ est, & potẽtia patris: sicut & Esa. 53. *Domine quis credidit auditui nostro, & brachiũ Domini cui reuelatũ est?*

Baruc. 3. *Esai. 53.*

Nunc

Nunc autem omnibus gentibus, *& ante faciem omnium populorum* Saluator apparuit: sicut sanctus Simeon cecinit, & Rex sanctus Psal. 97. in Spiritu prævidit, dum dixit: *Notum fecit Dominus salutare suum in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam, & viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.*

Lumen ad reuelationem gentium. Nato Christo impletum est Esa vaticinium, cap. 9. *Populus*, scilicet gentilis, *qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis.* Et ca. 49. *Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & faces Israel conuertendas: dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ.* Quare Christus Dominus Ioan. 9. dixit: *Quandiu sum in mundo, lux sum mundi.* Et iterum Ioan. 12. *Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis.* Et cùm Saluator in crucem exaltatus est, velut lumē super Ecclesiæ candelabrum eleuatum, cunctis populis lumen diffudit, cœpitq; omnia ad se trahere, sicut ipse prædixerat: *Ego, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Cumq; Spiritum Patri reddidit, deficiente cœlesti lumine Ecclesiæ, simul defecit naturale lumen solis, & obscuratus est sol, tenebræque per vniuersum mundum diffusæ defectum cœlestis luminis manifestè testatæ sunt. 13. *Esa. 9.* *Esa. 49.* *Ioan. 9.* *Ioan. 12.*

Et gloriam plebis tuæ Israel. Populus quidem gentilis in tenebris culpæ, & ignorantiæ iacebat: populus verò Iudaicus in tenebris culpæ iacebat, habebat tamen lumen fidei venturi Messiæ, ideoq; sanctus Simeon dixit: *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel:* quia plebs tua erat, quæ aduentus tui lucem per fidem habebat: sic explicant Athanasius, & Cyrillus. Deinde quasi Spiritu prophetico afflatus Simeon reuelationē gentium præposuit gloriæ Israel, quia (vt Paulus ait ad Rom. cap 11.) *postquam plenitudo gentium introierit, tunc Israel saluus fiet.* Tandem aduētus Christi gloriam contulit Israelitico populo, quia illis promissus, ex illis natus, illis præsentiam suam exhibuit, doctrina & miraculis illustrauit, oracula que Prophetarum adimpleuit. 14. *Athanas.* *Rom. 11.*

IN CATHEDRA BEATI PETRI APOSTOLI,

CONCIO PRIMA.

De testimonio à fidelibus de Christo exhibendo.

THEMA.

Vos autem quem me esse dicitis. Matth. 16.



ERBA sunt Saluatoris, quibus à discipulis quid de se sentiant, requirit: eisdemque testimonium a nobis exigit, quod per fidem, & opera ipsi perhibere tenemur. Vt igitur fidele, præclarumq;, & nostro principe dignum testimonium, non solùm ore, sed opere semper reddamus, diuini spiritus opem per sacram Virginem petamus ipsi offerentes, *Aue Maria.*

Hodierno die primum illum recolimus, quo Petrus Apostolus in Antiochena Ecclesia sedem, & cathedram primam suscepit: quam per septem annos ibi rexit: postea verò Romæ per viginti quinque Ecclesiæ cathedram, vt verus Christi vicarius gubernauit. Quòd si in téplorum erectione solet primarius lapis solenniter benedictus dicari, & stabiliri, æquum sanè est, vt hunc primarium lapidem Ecclesia celebret: de quo videtur prædixisse Zacharias, cap. 4. *educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius.* Petrus vtique primarius lapis est à Christo ex aquis maris Galilææ eductus, cui tãquam primario lapidi plenitudinem gratiæ, iurisdictionisque potestatem suæ similem communicauit. Huius

Zach. 4.

lapidis

lapidis typum gessit lapis ille, super quem Iacob caput reclinauit, quieuit, *& erexit in titulum fundensque oleũ desuper dixit* Genes. 28 *erit mihi Dominus in refugium, & lapis iste, quem erexi, in titulum.* Sic Christus Dominus transiturus ex hoc mundo ad patrem, primarium lapidem Ecclesiæ suæ Petrum erexit: oleumque consecrationis super ipsum infudit, dum claues Ecclesiæ, vt vicario suo, summoque Pontifici in terris illi tradidit: vniuersalemque ouium suarum pastorem instituit: cum Ioan. 21 postquam à mortuis resurrexit, dixit illi: *pasce oues meas*. In hodierno verò Euangelio promissio continetur, qua claues illi promisit. Genes. 28. Ioan. 21.

Describit verò Euangelista Matthæus loci circumstantias, quibus sacræ cathedræ institutionem Saluator Petro promisit. *Venit enim Iesus in partes Cæsareæ Philippi*, ad differentiam alterius Cæsareæ, quam Herodes pater Philippi in honorem Augusti Cęsaris ex turri Stratonis olim dicta, nuncupauit Cæsaream Hæc fuerat olim ab Stratone Tyriorum Rege erecta: Philippus verò Herodis filius, Tetrarcha Itureæ, & Traconitidis Panæam vrbem in regione Phœniciæ ad radices montis Libani, in honorem Tiberij Cæsaris Cæsaream nuncupauit: suoque de nomine cognomen effinxit Cæsaream Philippi vocans. In hunc igitur locum venit Christus, & sacrum Apostolorum concilium congregauit: vt ibi per Petrum prima hęc fidei veritas definiretur. Quare quæstionem mouet, *quem dicunt homines esse filium hominis?* id est me: quia quamuis esset filius Dei, qui (vt Paul ait ad Phil 2.) *non rapinam arbitratus est, esse se æqualẽ Deo, sed semetipsum exinaniuit in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo*: Venit filius Dei, vt humilitatis magister: atq; vt verbo, & exemplo humilitatem doceat, non iactat se filium esse Dei: sed filius hominis vocari dignatur Secũdò, quia qui ob salutem hominum inter homines de virgine nasci voluit, hoc nomine filij hominis summoperè delectabatur. Hic est gloriosissimus Saluatoris titulus, quid enim gloriosius, quã incarnationis mysterium? De quo per Esaiam pater ait filio: *seruus meus es tu, quia in te gloriabor* Et ob hoc mysterium incarnationis filij Dei concinit Ecclesia, *gratias agimus* Philip. 2. Esai. 49.

agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Quod si ab Africa deuicta, magnus ille Scipio Africanus dictus est, atq; a Carthagine Annibal Carthaginésis: multò dignius, atque gloriosius nomen Saluatori tribuitur, dum ab homine redempto filius hominis nuncupatur. Opus enim redemptionis excellentius *nomen illi dedit super omne nomen*, quod in cœlo & in terra nominatur. Tertiò secundum phrasim Hebræam filius dicitur, id est, maximè affectus alicui rei: sicut *filij huius seculi*, *& filij lucis*, *sic filius hominis* Christus meritò dicitur, quia intimo affectu diligit homines: Prouer. 8. *Delicia mea esse cum filijs hominum.* Totus nobis affectus, vnde canit Ecclesia: *Nobis datus, nobis natus* Et sicut dicitur *filius dilectionis*, id est, dilectissimus, sic *filius hominis*, id est, humanissimus, humanisq; rebus supra modum affectus.

Prouer. 8.

Adeoque humanis legibus, pœnis, & tributis absque culpa subiacere voluit, vt linguis quoq; alienis de se dicendi, atque iudicandi licentiam non subtraxerit Hoc enim est vnum ex potissimis tributis, quibus miseri mortales subiacemus. Detractorum enim linguæ nemini, neque ipsi cœlo parcunt: Psalm. 63. *Exacuerunt vt gladium linguas suas* Et Psalm. 72 *Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transiuit in terra.* Quanquam verò flagellum linguæ adeò vniuersale sit, non tamen contemnendum est. Imò oportet *curam habere de bono nomine*, Ecclesiast. cap. 41. Et vt Paulus ait 1. ad Timoth. 3. *Oportet bonum testimonium habere ab his, qui foris sunt.* Maximè verò docet Christus principes, & prælatos, vt soliciti sint apud subditos bonum habere testimonium: neque negligant scire, quid de ipsis dicatur: siquidem & Christus Dominus, qui nec peccatum fecit, nec dolus inuentus est in ore eius, discipulos interrogat: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Ea igitur cura potentes huius seculi, principes, & prælatos maximè sollicitare debet, quia illud periculum viros in dignitate constitutos semper consequitur, vt veritas difficilem ad ipsos ingressum habeat Quamuis enim veritas filia sit Dei, prius tamen pauper, & vilissimę cuiusque sortis homo apud principes habebit accessum, quam veritas Augustinus Episto. 9. a t, quod *Veritas est quidam diuinus splendor.* Et

Cura boni nominis semper habēda, præcipuè à principibus & prælatis.

Esa. 53.

Veritas ad principes difficilem habet accessum.

August.

Et 3. Eſdr. 4. Zorobabel veritatis excellentiam, & forti- *3. Eſdr 4.*
tudinem ſupra vinum, ſupra Reges, & mulieres mirabiliter comprobauit, dicens: *Super omnia vincet veritas. Cælum ipſum benedicit. Magna eſt veritas, & praualet.* Nihilominus tamen omnes portæ illi clauduntur, neq; audet ingredi, niſi velata facie, *contra prematica, tapado el roſtro.* Adulatio, & mendacium clauem habent auream, & quacunque hora ad principes ingrediuntur, ſimplicesque eorum aures decipiunt: ſicut Rex Artaxerxes de miniſtris principum loquens eleganter dixit, Eſth 16. *Eſth.16.*
Cuncta ita agunt, vt laude digni ſint, & eos, qui credita ſibi officia diligenter obſeruant, mendaciorum cuniculis conantur ſubuertere, dum aures principum ſimplices, & ex ſua natura alios æſtimantes, callida fraude decipiunt, & quorundam ſuggeſtionibus Regum ſtudia deprauantur Accidit vtique principibus idem, quod homini, qui nũquam *Simile.*
vidit Solem, niſi per vitreas feneſtras varijs coloribus depictas, iudicabit ſanè Solem eiuſmodi colores habere natiuos, ſic de veritate iudicant, quæ nunquam ingreditur ad ipſos niſi varijs fucis depicta. Miniſtri omnes ſunt veluti Camæleones, qui induunt colorem ſecundum appetitum principum. Quare Eſaias meritò deflet cap. *Eſa. 59.*
59. *Iuſtitia longè ſtetit, quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi.* Iuſtitiæ enim currum ducunt veritas, & æquitas, quæ præ vitiorum inundatione ingredi non poſſunt. *El camino de la verdad tienenle empantanado liſonja, y mentira:* ſicut columba Noe *non inuenit locum vbi requieſceret pes eius*, Geneſis capite 8. ſic *Gen. 8.*
neque veritas. Oſe. 4. *Non eſt veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum, & mẽdacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* Sicut in inundatione fluctus ſequentes præcedentes contingunt, & impellunt: Daniel. 8. *Proſternetur veritas in terra: andará* *Dan. 8.*
de capa cayda, y piſada la verdad. Conſonat verbum He- *Heſiod.*
ſiodi, qui dicebat, ob peccata hominum veritatem in cœlum euolaſſe, & adulationem ſui loco reliquiſſe. Æ- *Ælian.*
lianus de varia lectio. hiſto. lib. 8. cap. 15. & lib 9. cap. 14. refert Philippum Macedonem, antequam domum prodiret, vel audientiam præberet, præcepiſſe, vt puer ter

ſibi

sibi clamaret, *Philippe homo es*: quasi diceret, memento, quòd non solùm mortalis es, sed quod magnum tibi à mendaciis, & adulationibus periculum imminet: Quare Christus Dominus, vt principes, & prælatos erudiat, familiares discipulos, & amicos veritatem interrogat, *quem dicant homines esse filium hominis*. Auditisq; variis aliorum opinionibus, quid ipsi sentiant, interrogat dicens: *Vos autem quem me esse dicitis?*

Vos autem genus electum, regale sacerdotium: discipuli mei à me electi, & edocti, quam opinionem de me habetis? cui quæstioni omnium grauissimæ respondit Petrus: *tu es Christus filius Dei viui*. Incarnationis mysteriũ Petrus primus confessus est: & vtramque Saluatoris naturam, diuinam, & humanam. Trinitatis quoq; mysterium confessus est: patrem enim confitetur, dum Christum filium Dei vocat, & Spiritum sanctum, dum Christum, id est, vnctum appellat: iuxta illud Esai. 61. *spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me*: & Psal. 44 *propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ*. Atque ob hanc fidelem, & firmam fidei confessionem, Christus Dominus Petrum honorificauit dicens: *& ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cælorum*. Vbi simul cum nomine contulit Petro firmitatem, & robur Ecclesiæ Et sicut olim *Abraham pater fidei*, vocatur petra per Esai cap 51. *attendite ad petram, &c ad Abraham patrem vestrum*: sic Petrum patrem fidei, qui primò Christum filium Dei viui confessus est, meritò Christus petram vocauit. Cyprianus, *Petrus radix, & fons est fidei Ecclesiæ*: ab illius sede deriuatur fides, episcoporum institutio, consecratio, translatio, & depositio: vt habetur in capit. licet, de præb. lib. 6. & cap. inter corporalia, de translatione episcop. c. omnes. 22. distinct.

Incarnationis mysterium Petrus primus confessus est.
Esai. 61.
Psal. 44.
Esa. 51.
Petrus pater fidei meritò petra vocatur.
Cypria.
Ca. licet. de præb. in 6.

Neque sine magno consilio factum est, vt Petri Cathedram Saluator instituerit apud Cæsaream Philippi. Primò enim voluit, vt Petri inauguratio, & pastorale munus, non tantùm ad Iudæos, sed ad gentes quoque extenderetur. Secundò vt locus ipse institutionis indicaret non minori tempore duraturum imperium Petri in mun-

In mundo, quam Cæsarum; quin imò regnum Petri *cōminuet, atq; subiiciet omnia regna* mundi iuxta oraculū Daniel c. 2. id quod re ipsa hactenus compertum est: si quidem contra tot tyrannorum persecutiones, videmus sedem Petri firmam perstitisse per ducentos, triginta, & octo Pontifices vsq; ad beatissimum Clementem octauum, qui nuper anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo in summum Pontificem electus, nunc sedem Petri in Ecclesia tenet. Tertiò voluit Saluator apud Cæsaream Philippi Petri cathedram instituere: ibique diuinitatis suæ testimonium discipulorum habere: quia firmitas, & fœlix status huius cathedræ Ecclesiæ ex duobus maximè pendet. Nempe ex Christi protectione, Imperatorum, regum & principum; & ex vnanimi omnium fidelium testimonio. Ecclesiæ quidem suæ promiserat Dominus per Esa. c. 60 *ædificabunt filij peregrinorum muros tuos: & Reges eorum ministrabunt tibi: suges lac gentium, & mammilla Regum lactaberis*, & iterū cap. 49. *erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ.* Id quod in Constantino magno impletum est: qui Romæ Basilicam Petri ædificauit, duodecim sportulas terræ propriis numeris asportauit, & suis manibus prima posuit fundamenta; pretiosis ornamentis decorauit: Ecclesiæ patrimonium constituit: & plurima alia templa sub Syluestro Papa fundauit. Constantinum plurimi Reges imitati sunt. Et post prædicta verba subdit Propheta, *& scies, quia ego Iehoua, siue Dominus*: quia nil adeò Dei cognitionem, & gloriam populis manifestat, pietatemque in Deum auget, quam videre, quòd Principes, & magnates, qui sunt, velut *Dij terræ*, & quos mundus veneratur, & suspicit: Deum colunt, & Ecclesiæ capiti, clauibus, & ministris colla submittunt: nil adeò Ecclesiæ maiestatem exaltat.

Daniel. 2. *An. 1602.* *Felix status Ecclesia ex duobus pēdet: ex protectione principum, & bono testimonio fidelium.* *Esai. 60.*

Hoc figuratum video in arca testamenti: de qua præcepit Dominus Moysi Exod. 25. *pones in ea testificationem, quam dabo tibi. Et facies duos vectes de lignis Sethim, quæ materia est incorruptibilis: & operies auro; vectesque semper erunt in circulis, nec vnquam extrahentur ab eis.* Thronū Salomonis super duodecim leunculos fabricatū duæ manus sustinebant. 3 Reg 10. Similiter cathedrā Petri,

Exod. 25. *3. Reg. 10.*

Petri, atque thronum duplex potentia, & fortitudo sustinent, scilicet protectio principum, & bonum testimonium subditorum. Vnde Cant. 2. ait sponsa: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* D. Bernard. serm. 4 adu. in principio: *Sicut mater sinistrâ sustentat paruulum, dexterâ verò cooperit, demulcet, & muscas abigit, ne filij somnum impediant: sic Christus dextera potentia sua Ecclesiam protegit, & super sinistram secularis potentia vult, vt quiescat.* Inter hæc duo brachia sponsi dormit, & quiescit Ecclesia: Prouerb. 3. *In dextera illius longitudo dierum, in sinistra diuitia, & gloria.* Constantinus à liberali beneficentia in Ecclesiam dictus est magnus. Salomon, quia liberali manu, magnisque sumptibus templum ędificauit, super omnes Reges terrę à Domino exaltatus est, atque adeò ditatus, vt in diebus ipsius tanta fuerit argenti copia, sicut lapidum. D. August. Romanorum victorias ipsorum pietati, & religioni circa templorum cultum, & ornatum tribuit.

Cant. 2. *D. Bernar.* *Prou. 3.* *Constantinus à liberali beneficentia in Ecclesiam dictus est magnus.* *3. Reg. 10.* *D. August.*

Cæterùm præter principum protectionem, fidelium testimonium ad fidei firmitatem omninò est necessarium. Non tantùm speculatiuum, sed etiam practicum per opera. Necessarium quidem est, vt idipsum dicamus omnes, 1. Corinth. 1. *Vtique vnanimes vno ore honorificemus Deum:* Roman. 15. In hac siquidem Ecclesia vna est, vnanimis, firma & constans Petri confessio: *Tu es Christus filius Dei viui.* Oportet tamen vt operibus dignum testimonium perhibeamus. Quanquam enim opera nostra nil conferunt Deo, Iob capite 22. *Quid prodest Deo, si iustus fueris, aut quid ei confers, si immaculata fuerit vita tua?* gloriatur tamen de nostra salute, & quod ex operum nostrorum testimonio Diabolus confundatur, infideles conuertantur ad fidem, & fideles glorificent Deum: sicut Matth. cap. 5. Christus dixit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Hoc est testimonium, quod Ioan. cap. 15. Christus commendat: *Cum venerit Paracletus, &c. testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis.* Diuus Augustinus in illud Psal. 17. *cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris,* sic explicat: *Qualia sunt opera fidelium, talis videris, quia videntes*

Operum testimonio Christus confiteri desiderat. *Iob 22.* *Matth. 5.* *Ioan. 15.* *August.*

dentes mala opera dicunt, non est æqua via Domini. Cum *Psal. 18.*
enim lex Domini immaculata sit, peruersa tamen opera ipsam maculant: sicut ad Rom. 2. ait Paulus, *nomen Dei* *Rom. 2.*
propter vos blasphematur inter gentes: sicut enim legis obseruantia videntibus occasio est, vt Deum laudent: ita transgressio blasphemandi occasionem tribuit: infidelesque maximè retardat, ne fidem suscipiant. Dicunt enim illud Pauli primæ ad Timot 1. *confitentur se nosse* *1. Timot 1.*
Deum: factis autem negant. Oportet igitur ore, corde, & opere idem præbere testimonium, quòd Christus sit filius Dei viui. Impij enim sic viuunt, ac si Christus esset filius Dei mortui: qui non videat, nec iudicare debeat. Impiorum enim est vox illa Iob. 21. *circa cardines cœli per* *Iob. 21.*
ambulat, neq; nostra considerat.

Iusti verò testimonium perhibent, quod Christus sit *Iusti testi-*
filius Dei viui: quem misit in mundum *viuens pater*, & *monium*
qui viuit propter patrem: *& quod in ipso viuimus, moue-* *perhibent,*
mur, & sumus: non solùm vita naturali, sed & superna- *quòd Chri-*
turali per gratiam: ideoque vehementer ipsum offende- *stus sit fi-*
re timent: quia vt Paulus ait ad Hebr. 10. *Horrendum est* *lius Dei*
incidere in manus Dei viuentis. Reges quidem terræ, & *viui.*
potentes mortis legibus subiacent. Rex verò Christus fi- *Ioan. 6.*
lius Dei viui in æternum viuit: vitæque & mortis impe- *Act. 17.*
rium habet. Proh dolor quam indignum testimonium perhibent impij peccatores! Superbi, iracundi, impatientes, incontinentes, raptores, & impij quale testimonium perhibebunt de Christo? *quem dicent esse filium hominis?* Blasphematur vtique nomen Dei propter illos. Vnde Paulus primæ ad Timot. 6. *Quicunque sunt* *1. Tim. 6.*
sub iugo serui, dominos suos omni honore dignos arbitrentur: ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur: id est serui fideles, qui infideles habent dominos, obediant illis: ne si inobedientes sint, & rebelles, infideles, Domini propter ipsorum inobedientiam blasphement nomen, fidem, & doctrinam Christi. Maximè verò attendant principes, magnates, & iudices, finium terræ, quale testimonium de Christo perhibeant: dum contra iustitiam iudicant, vel propter munera acceptatores sunt personarum, iustitiæq; executionem differunt: Esa 52. *domi-* *Esai. 52.*
natores eius iniq; agunt, dicit Dominus: & iugiter tota die

 nomen

nomen meum blasphematur. Quod nos in vulgata lectione legimus, *iniq; agunt*: Hebræi legunt, *vlulare faciunt*, vel vlulant: veluti lupi, qui prædam expetentes præ fame, ex sylvis vlulatus edunt. Ose. 7. *non clamauerunt ad me in corde suo, sed vlulabant in cubilibus suis, super triticum, & vinum ruminabant, recesserunt a me: & miseros pauperes vlulare faciunt.* Esther. 16. dixit eleganter contra hos princeps ille Artaxerxes: *multi bonitate principum, & honore, qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam: & subiectos regibus nituntur opprimere.*

Simile.
Ose. 7.
Esth. 16.

Rursus iusti præclarum testimonium de Christo perhibent. *Et quamquam cæli enarrant gloriam Dei* Psal. 18. iusti verò adhuc excellentius diuinam gloriam manifestant. Ipsi sunt veri cœli secundum Diuum Augustinum: neq; cœli naturales, sed supernaturales, qui viuum testimonium perhibent. Cœli sunt à terra eleuati, quorum *conuersatio in cælis est* ad Philippen. 3. & de quibus dicitur Esai. cap. 66 *cælum sedes mea est* Hi sunt, qui sedem Dei cathedramq; Petri suis humeris sustinent. Id quod in mirabili illa visione ostensum est, qua Ezech. c. 1 vidit similitudinem throni Saphirini, & super similitudinem throni quasi aspectus hominis desuper: & quasi speciem electri, id est Christi secundum explicationem Gregorij, & Hieronymi, qui electro similis dicitur propter duplicem naturam, humanam, & diuinam. Thronus verò saphirinus eminebat super capita animalium, *quæ habebant pennas iunctas alterius ad alterum, & manus hominis sub pennis eorum*: Vbi per capita animalium, & eorum pennas, atq; volatum principum potestas, & protectio significatur: per manus verò sub pennis eorum subditorum testimonium per opera designatur. Hæc enim duo saphirinum, cœlestemq; thronum Christi, soliumq;, & cathedram Petri sustinent. His duobus supereminet, & innititur. Tale igitur testimonium perhibere studeamus, quòd Christus sit filius Dei viui: vt in nobis tanquam filijs sic splendeat vita gratiæ, vt sit pignus vitæ, & hæreditatis gloriæ, Amen.

D. Aug.
Iusti tanquam cæli spirituales excellentius enarrant gloriã Dei.
Esai. 66.
Ezech. 1.
Gregor. & Hieronym.



IN

IN EODEM FESTO,

CONCIO SECVNDA.

De primatu Petri.

THEMA.

Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Matth. 16.

VERBA sunt Saluatoris, quibus in præmium præclaræ confessionis fidei, cathedram primariam Ecclesiæ Petro promisit: ex qua euangelicæ doctrinæ fidem doceret: *& claues regni cælorum*, quibus Ecclesiam Dei, cunctosque fideles regeret: & summum principatum obtineret Hoc est Catholicæ Ecclesiæ firmamentum. Quod vt ad Dei optimi, & vicarij sui Petri gloriam explicemus, diuini numinis auxilium per sacram virginem petamus dicentes, *Aue Maria.*

Cathedra Græcum nomen est à verbo, *καθέζομαι*, cathezomæ, id est sedeo, vnde cathedra idem est, quod sedes, siue thronus ad quietem, vel dignitatis insigne. Vnde intelligitur locus Marc. 11. cum Christus euertit in templo cathedras vendentium columbas: id est sedes Accipitur tamen aliquando pro authoritate tam Regia, quàm Pontificia, quàm magistrali: de qua Ecclesiast 7. dicitur, *noli quærere ab homine ducatum: neque à Rege cathedram honoris*, Legatur de hac re Diuus Gregorius 19. Moral cap. 13. in illud Iob. c 29 *in platea parabant cathedram mihi*: & Diuus Hieronymus super Hierem capite 29. vbi ait, per cathedram Moysi significari doctrinam legis, & prophetarum: & Rupert lib. 3 in Ioan. Cathedram igitur Petri vocamus euangelicę doctrinæ magisterium, simul cum suprema clauium potestate ipsi à Christo

Marc. 11.
Eccles. 7.
D. Greg.
D. Hieroni.
Rupert.
Euangelica doctrina magisterium cum potestate clauium cathedra Petri est.

Christo traditum. Quamquam enim plurima dilectionis signa Ecclesiæ suæ semper Dominus exhibuerat, dũ insignes principes elegit, qui illam regerent: sicut in mirabili vocatione Abrahami ex Vr Chaldæorum, Moysi ex rubo, vnctione Dauid, aliorumq; Regum, & principum apertè satis ostenderat: manifestius tamen amoris

Ezech. 34. indicium, promisit per Ezech. c. 34 se venturum in mundum, vt oues suas pasceret, sic dicens: *ego ego pascam eas.* Vbi persona filij in secunda geminatione pronominis ego insinuatur: filius namque Dei datus est nobis à pa-

Ioan. 10. tre in doctorem, & pastorem. Qui Ioan. 10. verè dixit, *ego sum pastor bonus.* Quia verò post consummatum redemptionis opus percutiendus erat pastor, & dispergen-

Zach. 13. dæ oues iuxta Zachar. vaticinium. c. 13. atque in cœlum ascendens oues sibi dilectissimas in mundo erat relicturus: ne timerent se se absq; pastore deserendas, per Hio-

Hierem. 3. rem. c. 3. promisit: *dabo vobis pastores iuxta cor meum: & pascent vos scientia, & doctrina.* Quæ promissio, quamquam in electione Apostolorum impleta est, potissimũ verò in Petro Apostolorum principe, cum Ioan. c. 21. dixit illi Christus, *Pasce oues meas*: & super quem Ecclesiæ firmamentum constituit.

Ezech. 1. Hoc est quod vidit Ezech. Propheta. cap. 1 cum vidit suprà firmamentum thronum saphirinum, id est cathedram Petri: quæ verè thronus est saphirinus, & cœlestis: super quem similitudo quasi aspectus hominis desuper: & quasi species electri. Super thronum enim, & cathedram Petri Christus residet, vt caput Ecclesiæ: qui casi speciem electri habere dicitur, quia in duplici natura diuina, & humana subsistit: ipse est, qui quasi aspectum hominis habere dicitur: vel Petrus ipsius vicarius quasi aspectum hominis habet, quia verè homo erat: Cæterùm vices Dei in terris habebat, & quasi Deus terræ super thronum saphirinum, cœlestemque cathedram à

Psal. 106. Christo exaltatus est: sicut Psalm. 106. Dauid in spiritu prædixit. Vbi pro maximis beneficiis Ecclesiæ exhibendis diuinæ maiestati gratias agit: potissimum verò pro liberatione nauis Ecclesiæ à fluctibus, & naufragiis, atq; procellis à tyrannis, & persecutoribus imminentibus: & maximè pro exaltatione Apostolicæ cathedræ. Sic enim

intuens

intuens futurum Ecclesiæ statum, & quasi præ oculis habens dixit *Ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo Dixit, & stetit spiritus procella, & exaltati sunt fluctus eius. Ascendunt vsq; ad cœlos, & descendunt vsq; ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius: & omnis sapientia eorum deuorata est.* Ecce depictum statum periclitantis, & inter persecutionum procellas fluctuantis, & afflictę Ecclesię. Statim verò subdit diuinæ manus ostensionem, auxilijque opportunam exhibitionem: sicut Petro promisit, *portæ inferi non praualebunt aduersus eam*: Sic prædixit Dauid; dum in eo Psalmo addidit: *clamauerunt ad Dominum, cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eduxit eos. Et statuit procellam eius in auram, & siluerunt fluctus eius.* Statimq; pro tam ingenti beneficio auxilij Ecclesiæ præstiti gratias agens ait: *confiteantur Domino misericordia eius, & mirabilia eius filiis hominum. Et exaltent eum in Ecclesia plebis: & in cathedra seniorum laudēt eum.* Sedes Petri cathedra seniorū est, quæ cunctis principibus, senioribusq; terræ, quasi magistra præsidet.

Hanc cathedram euangelicæ doctrinæ anxiè desiderabat sponsa videre in terris, cum Cantic. 8. dicebat: *quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, &c.* & subdit, *ibi me docebis.* Doctrina enim legis veteris non satisfaciebat sponsæ: neq; enim intellectum satis illuminabat, nec voluntatem mouebat. Sponsæ desiderio responderat Dominus per Esai. cap. 30 *erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*: & per Ioelem c. 2. *Filiæ Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem iustitiæ*, quod per Christi doctrinam impletum est. Et ne vnquam hæc vbera doctrinæ dilectissimæ sponsæ deessent, quæ filios Ecclesiæ nutrirent, ac in fide roborarent: sedem, cathedramque Petri perpetuam, & vsque ad finem seculi in Petri successoribus duraturam instituit dicens: *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Vbi dum Christus Petrum petram appellauit, atque supra petram ædificium Ecclesiæ construendum dixit, non solum fidei, & Ecclesiæ firmitatem, sed & sedis Petri, cathedræq; futuram stabilitatem prædixit. Petra hæc in lapide illo de

Cant. 8.

Esa 30.

Ioel. 2.

monte sine manibus exciso (qui magnam illam statuam comminuit, & in fauillam redegit: *factusq; est mons magnus, qui impleuit vniuersam terram*) præsignata est. Hæc enim regnum illud est, quod Nabuchodonosori

Daniel 2. Daniel prædixit, futurum regnum, *quod in æternum non dissipabitur: comminuet autem vniuersa regna, & ipsum*

Genes. 28. *stabit in æternum.* Hic est lapis Iacob, *quem erexit in titulum, & fudit oleum desuper.* Christus enim verus Iacob Petro nomen petræ indidit, firmi fundamenti, summiq; pastoris, & Pontificis titulo decorauit: oleum Spiritus sancti, & charitatis, atque ouium dilectionis copiosè super ipsum effudit.

Ecclesia regimen per vnum caput Christus instituit.

Quamquam enim potuisset Redemptor noster Christus, Rex regum, & Dominus dominantium Christianæ reipublicæ regimen varijs modis disponere: noluit tamē politicum regimen, nec multorum, neq; potentum, vel optimatum instituere: sed vnius tantum capitis voluit esse regimen: vt per ipsum caput in totum corpus dona

Psal. 132. sua diffunderet, iuxta illud Psal. 132. *sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron: atq; inde descendit in oram vestimenti eius*, id est, in cæteros fideles, & Ecclesiæ filios. Voluit in opus redemptionis co-

1. Cor. 3. adiutores habere iuxta illud 1 ad Cor. 3. *Dei enim adiutores sumus.* Omnes quidem Apostolos, & eorum successores Episcopos, & prælatos coadiutores esse voluit *in opus ministerij*: inter omnes tamen vnum Petrum Ecclesiæ caput esse voluit. Et quidem meritò sic Saluator in-

S. Thom. stituit, quia vt docet Angelicus Doctor lib 4. contra gent. cap 76. Regimen Ecclesiæ debuit esse optimum: optimum verò regimen est vnius Id quod ex fine regiminis apparet. Finis enim est pax, quæ in vnitate consistit. Melius enim conseruat vnitatem vnus, quàm multi: quia multi non habent pacem, nisi in vnum conueniāt.

Matt. vlt. Vnde quamquam omnibus Apostolis parem potestatem Christus dedit, cum Matth. capite vltimo dixit: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: sicut misit me pater, & ego mitto vos.* Potestas tamen Petro collata multis excedit aliorum potestatem. Primò quia potestas Petri collata est illi, vt ordinaria: erat enim generalis Christi vicarius in vniuerso mundo: alij verò Apostoli le-

Potestas Petro collata multis excedit aliorum potestatem.

stoli legati fuere ex speciali Christi commissione, iuxta illud 2 ad Cor. 5. *Pro Christo legatione fungimur*: plena quidem potestas illis data est à Christo, sed ex speciali gratia, & indulgentia, vt possent commodius ministerium suum exequi, Ecclesias instituere, episcopos ordinare, docere, & omnia necessaria prouidere. Secundò excelluit potestas Petri, quòd ea tantùm erat in Ecclesia permansura: potestas verò Apostolorum non erat permansura in successoribus episcopis cum ea plenitudine, quæ data est Apostolis: sed tantum in potestate ordinis, & regiminis vnius certæ Ecclesiæ, qualem habent episcopi. Tertiò excellebat potestas Petri, quia aliorum Apostolorum potestas non erat super se inuicem. Petri verò potestas super omnes, etiam super Apostolos vniuersalis erat: iuxta illud Luc 22. *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*: & Ioan. 21. *Pasce oues meas*: atqui reliqui Apostoli, sicut oues erant Christi, sic à Petro pascendi commissi sunt Fuit ergo Petrus princeps fratrum, firmamentumque gentis, qui ob fidei præclaram confessionem, & charitatis præstantiam præfecturæ Ecclesiæ arrhas accepit. 2. Cor. 5. Luc. 22. Ioan. 21.

De hac magisterij, & cathedræ Petri excellentia intelligere possumus oraculum illud Esai. 22. ad Sobnam sacerdotem magnum: *Erit in die illa, vocabo seruum meum Eliacin, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum: & potestatem tuam dabo in manu eius: & erit quasi pater habitantibus Hierusalem, & domui Iuda Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius: & aperiet, & non erit, qui claudat: & claudet, & non erit, qui aperiat. Et figam illum paxillum in loco fideli: & erit solium gloriæ domui patris sui: & suspendam super eum omnem gloriam domus patris sui: vasorum diuersa genera.* Eliacin significat Deum surgentem, atque adeò typus erat veri sacerdotis Christi: de quo Psal. 109 dicitur, *tu es sacerdos in æternum*. ad Sobnam, quod interpretatur (teste Hieronymo) conuertere nunc; hæc est synagoga, cui dicitur, conuertere nũc, cuius sacerdotium per Christũ in cathedrã Petri translatum est; ad Heb. 7. *translato sacerdotio necesse est, vt & legis trãslatio fiat.* Christus igitur Dominus indutus tunica humanitatis, & cingulo iustitię, Esa. 22. Hieron. Heb. 7.

Esai. 11. iuxta illud Esai. 11. *erit iustitia cingulum lumborum eius*; plenariam potestatem accepit à patre: iuxta illud Matt. vltimo, *data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*: hęc est clauis domus Dauid super humerum eius: vel est sanctissima crux, quam Christus super humeros detulit, iuxta illud Esa. 9. *Factus est principatus super humerum eius*: in hac pependit, vt nos à peccatis expiaret, antiquam maculam suo sanguine deleret, & ad cœlestem patriam aditum nobis reseraret. Statim enim mortuo Christo Domino apertum est cœlum, & ostium paradisi: & illo die iuxta verbum Saluatoris latro fuit cum illo in paradiso. Ea ratione Christus ipse clauis dicitur Dauid: & sanctissima crux, per quam cœlum apertum est, clauis dicitur domus Dauid.

Esai. 9.

Luc. 23.

Apoc. 3.

Possumus tamen satis commodè hunc locum interpretari de potestate clauium Petro tradita, iuxta verbum Christi, *tibi dabo claues*. Est ergo sensus: vt Deus pater sic loquatur Ecclesiæ: *dabo seruo meo Eliacim*, id est Petro, qui verè fuit Eliacin, id est quasi Deus surgens in terra; mortuo enim Christo, resurgente, & in cœlum ascendente, surrexit Petrus cum diuina potestate, vt Christi vicarius, quasi Deus in terra, indutus tunica potestatis, ipsiusque cingulo pręcinctus, id est, cruci affixus, sicut ipsi prædixit Christus, *cum autem senueris alius præcinget te*; vbi subdit sacer Euangelista Ioannes, *hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum*. Sed & sequentia verba Esaiæ prophetæ de sacerdotio, & potestate tradenda Eliacin, satis aptè Petro conueniunt. Addit enim Propheta: *dabo potestatem in manu eius, & erit quasi pater*. Ea ratione reges omnes Palæstinæ vocabantur Abimelech, id est, pater mi Rex: quod D. August. adnotauit: omnis enim Rex, & præsul debet esse Abimelech: non tam potestate dominans, quam paternali affectu, & charitatę seruiens: Ecclesiæ verò prælatos potissimum decet benignitas, & paternalis affectus in subditos. Id quod Exod 29. figuratum est, dum præcepit Dominus, vt summus sacerdos vngeretur oleo sancto. Non solùm autem oleo vngebatur, sed & sanguine arietis immolati. Quo significabatur præsules erga iustos, pa-

Ioan. 21.

D. Aug.

Exod. 29.

Prælatos in obediẽtes benignos: in rebelles rigi-

stos, patris viscera habere debere: nefarios tamen & rebelles subditos potestatis austeritate coercendos. *dos esse oportet.*

Id quod in visione illa significatum est, qua Ezech. capite 41. vidit in templo *inter Cherub, & Cherub, palmas; duasq; facies; habebat Cherub faciem hominis iuxta palmam ex hac parte: & faciem leonis iuxta palmam ex alia parte.* Per Cherub prælati Ecclesiæ sapientia pleni significantur, ideò vocantur *lux mundi*, & lucernæ super candelabrum: qui faciem hominis, & leonis habere debent, id est, humanitatis lenitatem, & iustitiæ seueritatem, atque rigorem. Semper tamen palmam aspicere debent, quam Dominus in cœlo paratam habet victoribus, dignisque prælatis: qui non secundum leges carnis, & sanguinis, neque secundum corruptam affectionem iudicant, neque acceptatores sunt personarum: sed cœlum semper suspicientes, secundum diuinæ charitatis, & iustitiæ regulas sibi subditas oues dirigunt: sicut Petrus Apostolus docet, *non quasi dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Ideò Petro, & in eo omnibus prælatis dixit Christus: *pasce oues meas:* Et Ioan. 10. boni pastoris conditionem explicuit dicens, *bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis:* Et Paul. Apost. Act. 20. ait: *attendite vobis, & vniuerso gregi; in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quā acquisiuit sanguine suo.* Eaque ratione priusquam Saluator Petrum pastorem institueret, an se diligeret, ter interrogauit: *Simon Ioannis diligis me plus his?* Opportunè satis nomen ipsius, & patris in memoriam adduxit, vt natiuæ humilitatis eum admoneret, neque Pontificale munus ei conferendum ex natura sibi deberi, sed ex gratia concedi. Neque ab eo genus, vel ingenium requirit, sed insignem charitatem. Terque ipsum an se diligeret, interrogauit, vt trina charitatis ipsius affirmatione: trinæ negationis culpam deleret. Deinde verbum Christi, quo Petro Ecclesiæ suæ præfecturam commisit, charitate plenum est. Non enim dixit, dominare, vel rege Ecclesiam: *sed pasce oues meas.* Pascere autem curam dicit, sollicitudinem, & laborem: sicut bonus pastor Iacob Genes. 31 ait, *die noctuque æstu vrgebar, & gelu: fugiebat somnus ab oculis meis.* Et quamquam charitas, &

Ezech. 41.
Prælati Ecclesiæ per Cherub significati.
1. Petr. 5.
Ioan. 10.
Act. 20.
Genes. 31.

tas, & iustitia prælatum comitari debeant, sicut Paul. 1. ad Corinth 4 ait. *Vultis in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* Potiùs tamen *in spiritu lenitatis* pascere oportet oues, quàm virga regere, atque rigore. Id enim satis apertè indicauit Christus cum Ioan. 21. bis Petro dixit: *pasce agnos meos*: semel autem dixit *pasce oues meas*: vt indicaret agnorum teneritudinem, & mansuetudinem potius imitandam.

1. Cor. 4.

Ioan. 21.

Addidit præterea Euangelicus Propheta in suo vaticinio: *& dabo clauem Dauid super humerum eius.* Vbi satis apertè potestas clauium Petro à Christo tradita prædicta est: de qua dixit, *tibi dabo claues regni cælorum.* Mira potestas, cuius iudicio infallibiliter respondet iudicium cœli: & sicut de Iosue dicitur, *quòd stetit sol obediente Deo voci hominis*: sic voci Petri obedit cœlum. Sed consideratione dignum est, quòd promittit Dominus se daturum *clauem super humerum eius.* Clauis enim manu portari solet, vel ex corrigia, vel cingulo pendêre. Quodnam est hoc tantum pondus clauis, vt non manu, sed humeris deferendum sit? Est vtique tam graue pondus clauium Ecclesiæ, quod non quibuscumque humeris deferri potest, sed validissimos; constantes, & fortissimos requirit. Quid enim grauius, quam animarum regimen, & gubernatio, à qua pendet animarum salus? Ideò dicitur clauis super humerum. Prælatus ergo. quē Deus constituit, clauem super humeros baiulat Ille verò, qui ab hominibus eligitur, neque vocatur à Deo tanquam Aaron, sed principum, & magnatum fauore, & secundum humanas leges carnis, & sanguinis, non defert super humeros clauem, sed ad collum velut monile, vel in manu Non pondus, nec laborem muneris curat: sed dominationem, honorem, & vtilitatem. De eiusmodi prælatis dicit Dominus Ose. 8 *ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt & non cognoui.* Illi verò, qui à Domino eliguntur, ouium suarum cura semper sollicitantur: & earum salus somnum intercidit. Considerant enim Christi erga oues eximiam dilectionem: quam Petro satis indicauit dicens: *pasce oues meas*, quasi diceret mihi dilectissimas, meoque sanguine redemptas. Sicut Paul. ait. 1. ad Corinth. cap. 6. *Empti estis pretio magno*, &

Iosu 10.

Bonus prælatus à Christo electus clauē muneris super humeros defert.

Ose. 8.

1. Cor. 6.

Petrus

Petrus Apostolus. 1 c 1. *scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paterna traditionis: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati: praecogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem nouissimis temporibus.* Tantùm ergo redemptionis nostrae pretium semper prae oculis habeamus: vt glorificemus, & portemus Deum in corporibus, & mentibus nostris. Atque pro tam sublimi, & eximio beneficio, quo clementissimus Redemptor noster Christus ad salutem animarum nostrarum Petrum Apostolorum, & Ecclesiae suae principem elegit, summum pastorem instituit, super cathedram fidei, euangelicaeque doctrinae exaltauit: & claues regni coelorum tradidit: gratias incessanter agamus: supplicesque deprecemur, vt per Petrum coeli ianitorem, coelestes portas nobis aperiat, vt inde nobis diuina dona communicentur *à patre luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit:* indeque pascua vitae ouibus suis verus ille pastor communicet, liberalique manu per Petri gloriosi vicarij sui intercessionem largiatur: nunc per gratiam, & in futuro per gloriam, Amen.

1. Petr. 1. *Iacob. 1.*

In praecipua solennitate principis Apostolorum Petri superaddemus volente Domino conciones alias atq; fragmenta super Euangelium.

IN

IN FESTO BEATI MATHIÆ Apoſtoli,

CONCIO PRIMA.

De fœliciſſima ipſius ſorte.

THEMA.

Cecidit ſors ſuper Mathiam. Act. *1.*

VERBA ſunt Euangeliſtæ Lucæ, quibus glorioſi Mathiæ fœlix ſors explicatur, qua ad ſupremam dignitatem Eccleſiæ militantis, & triumphantis, nempe Apoſtolicam per Spiritum ſanctum electus eſt. Vt hanc ad Dei optimi, atque glorioſi Apoſtoli laudem elucidare dignè valeamus: ſacram Dei genitricem humiles deprecemur, vt in partem gratiæ, fœlicemq; ſanctorum ſortem nos admitti faciat, dicentes, ***Aue Maria***

Fœliciſſima ſortes Mathia. Plures quidem, & fœliciſſimæ ſortes ceciderunt ſuper Mathiam. Prima fuit ſors diuinæ gratiæ, & miſericordiæ, per quam illius intellectus illuminatus eſt: & tanquam paruulo, & humili, fidei myſteria reuelata ſunt per Chriſti doctrinam: ad cuius ſequelam per auxilium diuinæ gratiæ præuenientis, & ſubſequentis vocatus eſt, vt per ſemitas iuſtitiæ dirigeret greſſus ſuos, fieretque aſſiduus, & auidus verborum Chriſti auditor. Secundam ſortem adhuc fœliciorem habuit, deſignatus vnus ex electis ſeptuaginta duobus diſcipulis. Tertia verò præclara, omniumque fœliciſſima ſors fuit, quam Lucas refert cum præſidente Petro, vt capite Apoſtolici collegij, in quo congregati erant circiter centum viginti viri,

ante

ante aduentum Spiritus sancti, oratione præmissa, ex munere Pontificatus sui homines allocutus, proposita ruina infœlicis Iudæ; necessariaque Apostolicæ sedis impletione, & sacri numeri perfectione, propositis duobus, atque datis illis sortibus, *cecidit sors super Mathiam: & annumeratus est cum Vndecim Apostolis.* Hæc est fœlicissima sors Mathiæ: quæ fœlicior redditur ex consideratione, & contrapositione infœlicissimæ sortis Iudæ: quia suprema dignitas Ecclesiæ est Apostolica: sicut docet Paul primæ ad Corinth. 12. *quosdam posuit in Ecclesia, primum Apostolos:* & ad Ephes. 4 *ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero euangelistas: alios autem pastores, & doctores, &c.* Apostoli enim sunt, qui (vt Paulus ait ad Rom. 8) *acceperunt primitias spiritus,* supremamque potestatem ad regimen Ecclesiæ: doctrinam, potestatemque faciendi miracula, ad confirmationem doctrinæ. Hoc igitur Apostolicum munus; cum Mathias in prouincia Iudææ administrasset, & plures ad fidem conuertisset: apud principes sacerdotum accusatus, quòd Christi gloriam prædicaret, tanquam blasphemus lapidibus obrutus, moreque Romanorum securi percussus, extensis in cœlum manibus martyrij gloriosam palmam adeptus est. 1. Cor. 12. Ephes. 4. Rom. 8.

D. Aug. tract. 118 in illa verba Ioan. 19 *partiti sunt vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem:* explicat vestem Christi esse charitatem, & primam gratiam, quæ nullis præcedentibus meritis, sed occulto Dei iudicio, & voluntate conceditur: Prouerb. 16 dicitur, *sortes in sinum mittuntur, sed à Domino temperantur.* Sicut enim cùm sortes in vrnam mittuntur, omnes scribuntur, tam pauperes, quàm diuites, neq; sors exit propter humanos respectus potentiæ, nobilitatis, vel diuitiarum: sed secundum diuinam voluntatem; ita vestis diuinæ gratiæ datur non ex meritis, sed ex beneplacito diuinæ voluntatis: sicut docet Paul ad Rom. 9. *non est volentis, neque currentis: sed miserentis est Dei.* in cuius rei exemplum adducit Iacob, & Esau: *cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni, aut mali egissent, non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Quia primam gratiam nullo hominis merito, D. Aug. Vestis Christi charitas est, & prima gratia. Prou. 16. Rom. 9.

sed pro

Psal. 17. sed pro sua voluntate Deus confert: iuxta illud Psal. 17. *Saluum me fecit, quoniam voluit me.* Quare gratia meritò sors vocatur à Paulo ad Eph 1 *in quo & nos sorte vocati sumus, secundum propositum eius, qui operatur omnia*
Ephes. 1.
Ephes. 2. *secundum consilium voluntatis suæ* Et cap. 2 *gratia estis saluati, & hoc non ex vobis. Dei enim donum est non ex operibus, vt nequis glorietur.* Sic ex altissimo diuinæ voluntatis consilio reprobatus est Iudas, & illius loco Mathias per Spiritum sanctum electus Apostolatus cathedram sortitus est, & Apostolici gradus ministerium: sicut
Psal. 118. Psalm 108 prædixerat Dauid, *fiant dies eius pauci*, videlicet Iudæ, qui laqueo suspensus præmatura morte interiit: *& episcopatum eius accipiat alter*: sic enim ministerij ipsius locum, & præfecturam per Spiritum sanctum Mathias accepit. Nulla tamen iniuria Iudas affectus est.
Iob. 34. *Absit enim à Domino impietas, & ab omnipotente iniquitas.* Nullus enim reprobatur absq; demeritis: neque vo-
Ose. 13. catur ex meritis, sed ex diuina gratia. Ose. 13. *perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.*

Hoc est, quod Christus Dominus docet nos hodierno euangelio: quod quidem magnis mysteriis plenum est. Ait enim: *confiteor tibi pater Domine cæli, & terra: quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus: & reuelasti ea paruulis* Quòd si huius mysterij rationem à Domino inquiras, subdit: *ita pater, quoniam sic placitum fuit*
Eccles. 3. *ante te.* Eccl. 3. *altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper: & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Nō est enim tibi necessarium ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis. In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter, & in pluribus operibus eius non eris curiosus. Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi.* Quare inscrutabilia
Psal. 72. Dei mysteria considerans Rex Propheta Psal. 72. optimè dixit: *existimabam vt cognoscerem, hoc labor est ante me. Donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum.* Tunc manifestè apparebunt occulta hæc
August. diuina mysteria: & (vt Aug ait in Enchirid. ad Lauren c.
Hierem. 18 94) tunc videbimus mysterium figuli, quod vidit Hie-
Iob. 34. re c. 18. quomodo dissipauit Dominus vas Iudæ, & conuersus fecit illud vas alterum, nempe Mathiam: iuxta illud Iob.

lud Iob. 34. *conteret multos, & innumerabiles: & stare faciet alios pro eis:* Hæc fuit fœlicissima sors Mathiæ: vt deposito de Apostolica sede Iuda, suspenso, in tartara misso: & in æternum damnato: Mathias in illius locum, atque Apostolicam sedem exaltatus sit. Harum sortiũ vmbram, & typum habemus Leuit. 16. vbi præcepit Dominus sortes mitti inter duos hircos, quis eorũ offerendus esset. Vbi Orig. ho. 9. in Leuit. ait per hircum, qui Domino immolatus est, iustos significari, qui corda, corpora, & omnia sua in sacrificiũ, & acceptabilẽ, Dominoq; placentẽ hostiã offerunt: per caprum verò emissariũ significari peccatores in peccatis liberos, filios Belial, id est, absq; iugo, & absq; diuinæ legis obedientia, & obseruantia. Hoc autẽ sorte diuina ordinatur: *es caso reseruado para Dios: que no le fia de nuestra election: que somos muy parciales, y respectadores de personas* Deus autem non sic: sed omnia in vero iudicio facit: & cũ sit summè bonus, pro sua bona voluntate eligit quos vult: sicut Christus Dominus ait: *ita pater, quoniã sic placitum fuit ante te.* Hæc est fœlicissima sors, quæ iã per auxiliũ diuinæ gratiæ præuenientis, & subsequentis ceciderat super Mathiã: & per vltimã sortẽ electionis Apostolicę confirmata est: & cũ magno sanctitatis cumulo perfecta, & sublimata.

Lenit. 16.

Origen.

Sanctitas enim gloriosi Apostoli Mathiæ ex multis nominibus colligitur fuisse eximia. Primò, quia iuxta nominis sui significationem fuit humilis: Mathias enim paruus Domino interpretatur. Secundò, quia fuit vnus ex septuaginta duobus discipulis a Domino designatis, qui semper, & perseueranter à baptismo Ioannis secuti fuerant Saluatorem. Sic enim coram omnibus discipulis proposuit Act. 1. Apostolorum princeps Petrus: *Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens à baptismate Ioannis, vsque in diem, qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis.* Vbi nomen, viri, non solum virilem ætatem, sed & animi robur, constantiam, virtutumque vitorem connotat. Tertiò commendatur ipsius sanctitas ex multis circumstantiis electionis. Sors enim missa inter Mathiã, & Ioseph Barsabam, (qui ex iustitiæ testimo-

Sanctitas Mathiæ Apostoli ex multis cõmẽdatur.

testimonio cognominatus est iustus) socij Mathiæ iustitiam, & sanctitatem manifestè prædicat Deinde Apostatæ Iudæ malitia magnam iustitiam Mathiæ commēdat, maxima enim malitia, & impietas non potuit nisi per maximam iustitiam restaurari. Confirmatur adhuc Mathiæ sanctitas ex nouo electionis modo. Cæteros namque Apostolos elegit Christus, dum inter mortales homines in terris ageret: Mathiam verò elegit iam gloriosus. Cæteros adhuc imperfectos ex retibus, & seculi negociis extraxit, vocauit, & per gratiam suam, & doctrinam perfecit: Mathiam verò iam in schola sua doctrina euangelica instructum, sanctitate perfectum, & probatum in Apostolum exaltauit. Idque omnium oratione præmissa: Petri vt Summi Pontificis, & capitis Ecclesiæ exhortatione præuia: duorum probatissimorum electione per Apostolos facta: ac tandem ex duobus per Spiritum sanctum sorte Mathiæ, cœlestis splendoris signo designata. Quod si hatum sortium exitus rationem inquiras, audi quid dicat Apostolus ad Romanos 9. *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* & Christus in Euangelio: *ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te.*

Rom. 9.

Ad hanc supremam sortem Apostolicam duodecim vocauit Christus: quamquam ad imitationem vitæ, & muneris Apostolici multi vocati sunt, & in dies vocantur, qui prælatorum, & prædicatorum munere funguntur. Ad hoc munus electus est Paulus, sicut apud Cæsaream coram Festo, & Rege Agrippa ipse rationem reddens Act. 26. dixit ex nomine Christi, cum ipsum vocauit: *ad hoc enim apparui tibi, vt constituam te ministrum, & testem eorum, quæ vidisti, & eorum, quibus apparebo tibi, eripiens te de populis, & gentibus, in quas nunc ego mitto te aperire oculos eorum, vt conuertantur à tenebris ad lucem, & de potestate Sathanæ ad Deum: vt accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos per fidem, quæ est in me.* De qua sanctorum sorte iterum dixit ad Colossen. cap. 1. *dignos nos fecit in partem sortis sanctorum.*

Act. 26.

Coloss. 1.

Quam-

Quamquam verò sors Apostolica, quæ cecidit super Mathiam omnium suprema est, sors tamen iustorum, ad quam Saluator hodierno euangelio inuitat dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*: fœlicitate plena est. Diabolus tamen, mundus, & caro ad refectionem bonorum corruptibilium inuitat: quorum ministri sunt homines impij: qui Sapient. cap. 2. dicunt, *Venite fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo vestrum exors sit luxuria nostra: vbique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra.* Contra quorum impium, & blasphemum consilium dicit Salomon Prouerb. 1. *Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint, Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem, frustra deglutiamus eum, sicut infernus viuentem, & integrum quasi descendentem in lacum. Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis. Sortem mitte nobiscum, marsupium vnum sit omnium nostrum. Fili mi ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt: & festinant, vt effundant sanguinem.* Hæc est infœlix malorũ, & impiorum sors: de qua dicitur Hierem. 13. *dissipabo, & disseminabo eos, quasi stipulam, quæ à vento raptatur in deserto. Hæc sors tua, parsq; mensura tua à me, dicit Dominus, quia oblita es mei, & confisa es in mendacio.*

Diabolus diuersa ratione inuitat atq; Christus.

Sapien. 2.

Prouerb. 1.

Hiere. 13.

At verò iustorum sors multo est dissimilior, de quibus Sapient. 3 dicitur: *iustorum autem animæ in manu Dei sunt: & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori: & æstimata est afflictio exitus illorum: illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati in multis benè disponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se.* Id quod videntes impij in tremendo iudicij die, *turbabuntur timore horribili*: sicut dicitur Sapient. 5. *& mirabuntur in subitatione insperatæ salutis: gementes præ angustia spiritus: dicentes*

Sap. 3.

Varia sors iustorum, & impiorũ describitur.

Sap. 5.

intra se, pœnitentiam agentes; & præ angustia spiritus gementes. Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. O fœlicissimam iustorum sortem, quam non solũ magno cum gaudio, & plena exultatione ipsi experiuntur, sed & impij quamquam inuiti, & inuidia, spiritusq; angustia pleni confitentur! Hæ sunt iustorum & impiorum dissimiles sortes. Quare meritò propheta Rex suæ sortis fœlicitatem in manu Domini constituens Psal. 30. dixit. *in manibus tuis sortes meæ*: vel (vt habet alia lectio) *tempora mea*: quasi dicat, meorum temporum euentus, & successus, manuũ tuarum, atq; potestatis dispositioni, prouidentiæq; relinquo. Chaldaica lectio habet, *in manibus tuis dies redemptionis meæ.* Omnia in idem redeunt, eundemque sensum efficiunt: nempe sortem salutis æternæ non fortuitam esse, sed diuina voluntate, atq; pronidentia temperari, & gubernari: neq; ab vlla humana industria, ingenio, potentia, diuitiis, vel sollicitudine dependere.

Psal. 30.

Diuinæ igitur bonitati incessanter gratias agamus, & Saluatori nostro Christo, *in quo, & nos sorte vocati sumus*: vt Paul. ait ad Ephe. 1. & ad Colos. 1. iterum ait, *non cessamus pro vobis orãtes, & postulantes: vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia, & intellectu spirituali, vt ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificãtes, & crescentes in scientia Dei, in omni virtute confortati secundũ potentiam charitatis eius, in omni patientia, & longanimitate: cum omni gaudio gratias agentes Deo, & patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum, in lumine: eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.* Cum omni sollicitudine satagamus, *vt per bona opera nostram vocationem, & electionem certam faciamus*: sicut exhortatur Petrus Apostolus. 2. c. 1. Deprecemurq; Dominum, vt qui per magnam suam misericordiam *eripuit nos de potestate tenebrarum*, & ad fœlicissimam sortem luminis fidei admisit: per intercessionem, & imitationem gloriosi Apostoli Mathiæ concedat consortes fieri luminis gratiæ, & gloriæ. Amen.

Ephes. 1.
Colos. 1.
2. Petr. 1.

IN

IN EODEM FESTO,

CONCIO SECVNDA.

De magno diuinæ vocationis, & refectionis beneficio.

THEMA.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos. Matth. 11.

SALOMON spiritu diuino afflatus, experimentoq; rerum edoctus Eccl. 2. ait, *risum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid frustra deciperis?* In cuius veritatis confirmationem magnus ille Patriarcha Abraham in die ablactationis filij Isaac (qui risus interpretatur) *fecit grande conuiuium* Genes 21. Et Christus Redemptor noster exemplo suo nos docuit, de quo gaudere debeamus, dum discipulos à gaudio, & risu mundi ablactauit, dum Luc. 10 dixit, *in hoc nolite gaudere*, scilicet *quòd dæmonia subiiciantur vobis. Magis autem gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis Tunc in ipsa hora exultauit Iesus in Spiritu sancto* D Cyrillus, *exultauit amator hominum de acquisitione plurium per potestatem à se traditam, & operationem Spiritus sancti.* Ideò nunc Matth. 11. gratias agit patri dicens: *Confiteor tibi pater, Domine cœli, & terra, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Et hoc totum pro tua voluntate: *ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* Præcipua tamen dispositio ex parte nostra, vt diuina maiestas cœlestia mysteria nobis reuelare dignetur, humilitas est, quæ paruulos efficit. Accedamus ergo proni, & humiles ad thronum gratiæ ipsius, & per almam Virginem supplices petamus dicentes, *Aue Maria.*

Gen. 21.
Luc. 10.
D. Cyrill.
Matth. 11.

Gloriosi Apostoli Mathiæ sa[illegible]ctæ electionis dignam

memoriam hodie celebrat Ecclesia, gloriosamque palmam, quam per martyrium hoc die consecutus est. Celebritas est multis nominibus veneratione digna. Primum quia vnus est ex sacro Apostolorum collegio: quibus debitores sumus exempli, doctrinæ, atque intercessionis, qua semper apud Dominum nos protegunt. Illi siquidem protectores nostri sunt, duces, & magistri Ecclesiæ: *illi duodecim portæ sunt, atque duodecim fundamēta cælestis ciuitatis, & excelsissimi muri Hierusalem,* sicut vidit Ioan. Apocal. 21. vbi vidit fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata. Inter quæ duodecimū fundamentum dicit esse Amethistum. Qui quidem lapillus est, qui (teste Plinio lib. 37. naturalis historiæ, c. 9) ad vini rubei colorem accedit, & in violam desinens, cum quodam fulgore purpureo, aspectui gratus fertur resistere ebrietati: indeque nomen habet Amethisti: fœcundat steriles, veneníque malitiam cohibet. Quæ omnia Mathiæ conueniunt. Ille enim suscepto igne diuini spiritus, linguarumque dono, variis linguis, sicut cæteri Apostoli loqui cœpit, vini colorem, imò & effectum habere, vinoque madere cum cæteris Apostolis deputatus est: cæterùm ebrietati infidelitatis constanter restitit, idololatriæ venenum cohibuit: & Iudaicæ gentis sterilitatem fœcundauit per euangelium, adoptionis filios Christo generans: & per susceptum splendorem ignis diuini, atque per proprij sanguinis effusionem purpureo colore velut cœlestis Amethistus mirabiliter effulsit.

Apostoli protectores nostri sunt duces, magistri, & fundamēta Ecclesiæ. Apoc. 21. Plini.

Deinde duplex electio, & approbatio Apostoli Mathiæ festum adaugent. Primum enim à Christo Domino approbatus est, dum in numerum septuaginta duorum discipulorum designatus fuit: secundo verò visibili signo sortium per Spiritum sanctum in Apostolum est electus: vt habetur Act. 1. siue id calculis Apostolorum factum fuerit, siue sortibus: de qua re agit Angel. Doctor 2. 2. quæst. 95. artic 8. De fœlicissima sorte sua meritò dixerit Mathias illud Psal. 15. *funes ceciderunt mihi in præclaris.* Olim enim funiculis fiebat hæreditatum diuisio, vt patet ex libro Iosue. Mathias verò non funiculis, sed diuina sorte præclaram hæreditatem, nempe Apostoli-

Act. 1. D. Thom. Psal. 15.

postolicam accepit: vt dominicæ dispensationis, fideique nostræ fidelis testis, cœlestium mysteriorum particeps, ac euangelicæ prædicationis minister existeret. Sublime verò, adeoq; excelsum euangelij ministerium, non per leges carnis, vel sanguinis, sed per æterni patris reuelationem humilibus commissum est: sicut hodierno euangelio Christus docet: simulque humiles ad se vocat dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.*

Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus Prouerb. 16. Vbi dictio, propter, dicit causam finalem. *Ipse enim est, α, & ω, alpha, & o: principium & finis* Hinc oritur naturalis appetitus rebus omnibus perueniendi ad suum finem. Ad hoc properant cœli, cœlestiaque astra, & cœli luminaria: in hoc omnis *creatura ingemiscit*, vt Paulus ait ad Romanos 8. gemitus est naturale desiderium, & appetitus. Et sicut Ecclesiastes, cap. 1. dicitur, *Vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant*: sic creaturæ omnes naturali quodam impulsu in Deum tendunt eo modo, quo possunt, quia in eo quiescunt. Cæterùm creaturæ aliæ inferiores fines naturales habent, in quibus quiescunt. Vnus homo, qui ad Dei imaginem formatus est, non quiescit, nisi in ipso Deo: vnde D. August. eleganter dixit: *fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec quiescat in te.* Et sicut Sol inter planetas omnes aspectu suo magis lætificat hæc inferiora, mirabilique influentia lucis beneficus est: tenebras pellit, luce replet, splendore, & solatio: nebulas vincit, liquefacit gelu, & producit germina: sic solis iustitiæ præsentia multò maiora beneficia nobis confert tam in patria, quàm in via. Mirum est herbas, floresque intueri, quomodo præsentia solis exhilarantur, velut filij aspectu patris. Sic sol pater naturæ, & inferiorum omnium meritò dicitur. Heliotropium, siue soli sequiū; vulgo dicta herba solis, *hierua del Sol, ó gigantea*, solem semper insequitur, & quasi ipsius ortum aspectu suo indicat. Sic deberemus homines semper Deum respicere. Ipse enim pater noster est, principium, & finis noster, centrumque desideriorum Cæterùm quia sæpè temporalium affectus nos rapit, & à Deo recedimus, conditionisque

Prouer. 16. Deus finis est creaturarum omnium. Apoc. 1. Rom. 8. Eccles. 1. August. Simile. Solis præsentia, vel uti patris creaturæ omnes delectantur.

nisque nostræ obliti, degeneres, & inurbani terga vertimus: ipse nos ad se vocat, & inuitat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, &c.*

Vocatio primus effectus est diuinæ prædestinationis.

Inter diuina beneficia vocatio primum locum tenet: quia primus effectus est diuinæ prædestinationis, sicut Paulus docet ad Romanos 8. *quos prædestinauit, hos & vocauit.* Meritò Diuus Paulus multis locis vocationem exaltat, secundæ ad Thessalo 1. *oramus pro vobis, vt dignetur vos vocare vocatione sua sancta*: & alias sæpè ea ratione magna sollicitudine Deus nos ad se vocat. Apocal. 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso* Cant. 5 *aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Per Prophetas olim *de nocte consurgens, atque diluculo,* populum suum ad se vocauit: populi verò Christiani dignitas multò est excellentior, siquidem descendit Dei filius in mundum, vt errantes à via veritatis ad rectam beatitudinis viam reduceret. Hoc est ingens illud, semperque adorandum beneficium, quod ad Hebr. 1. Paulus exaltat dicens: *multifariè, multisq; modis olim locutus est Deus patribus in prophetis: nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula*: Ipse est, qui nos vocat, & ad se inuitat dicens, *venite ad me omnes*: Neminem excludit, *quia vult omnes homines saluos fieri* secundæ ad Timoth. 2. & ad Roman. 10. *idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum*: iuxta illud Ioelis 2. *omnis quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit.* Et Iacobi. 1. *qui dat omnibus affluenter, & non improperat*: omnibus paratum est prandium, quòd si vocati non veniunt, iubet vocari cęcos, & claudos, vt impleatur domus.

Thessal. 1. Rom. 8. Heb. 1. Rom. 10. Ioel. 2. Psal 82.

Afflictos & laboribus oneratos Christus ad se vocat.

Vocat verò ad se Saluator omnes laborantes: non otiosos, neque deliciosos, *qui in labore hominum non sunt* Psalm. 82. Sed laborantes, afflictos, & oneratos, tam onere, grauique iugo legis: sicut explicuit Hilarius super Matth c. 11. quam laborantes temporalium calamitatum, & molestiarum sarcina, quæ animum affligunt: sicut explicuit Caiet Ad hoc enim Esai. c. 61. prædixit venturum Christũ: *Spiritus Domini super me eo, quod vnxerit me: Ad annunciandũ mansuetis misit me: vt mederer contritis cor-*

Hilar. Caiet. Esa. 61.

tritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem: vt consolarer omnes lugentes. Saluator verus Dauid est, *ad quem confugiebant omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo: & factus est eorũ princeps.* D. Greg. *mala, quæ hic nos premunt, ad Deum festinare compellunt. De los trabajos, y angustias haze Dios sabuessos, y perros ventores, para que le vayan haziendo el ox eo, y le traygan la caça a las manos.* Hoc est quod petit Dauid Psal 82. *imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine* Psal. 15. *multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt:* & Psal. 31. *conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina.* Esai. 26. *in angustia requisierunt te: in tribulatione murmuris doctrina tua eis.* D. Greg 6. moral c 5 & 8 c 7. *inde mens ad summa euolat, vnde caro in infimis diutius laborat: quia homo nascitur ad laborem.*

1. Reg. 22.
D. Greg.
Psal. 82.
Esai. 26.
D. Greg.
Iob. 5.

Multi quidem labores, & onera humanæ vitæ. Cæterùm onus peccati super omnia pondera præponderat, & grauat; sicut expertus Rex Dauid confitetur, Psal. 37. *quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Id quòd insignis illa visio nos docet, qua vidit Zachar. c. 5. volumen maledictionum volans contra iurantes, & fures; & statim vidit amphoram, id est, mensuram peccatorum plenam plũbo: viditq; mulierem sedentem super amphoram. *& dixit Angelus, hæc est impietas: & proiecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os eius.* Vidit & duas mulieres habentes alas quasi milui, quæ sunt auaritia, & luxuria: & spiritus superbiæ in alis earum: *hæ deferunt amphoram in terram Sénaar,* id est fœtoris, & inferni: *vt ædificetur ei domus super basim suam,* id est in sempiternum. Rupert & Theodor. sic explicant de pondere peccati: & eleganter D. Greg. 14. moral. c 27. Et ipsi peccatores, & impij sarcina peccatorum se grauatos, & lassatos confitentur Sap. 5 *lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis: ambulauimus vias difficiles, viam autẽ Domini ignorauimus.* Ea tamen est diuina clementia, & longanimitas, vt aberrantes, & laborantes animas paternali affectu semper ad se reuocet Hiere. 3. *tu fornicata es cum amatorib. multis, veruntamẽ reuertere ad me, dicit*

Onus peccati quocunq; ponderè grauius est.
Psal 37.
Zach. 5.
Rupert. & Theodor.
D. Greg.
Sap 5.
Errantes, & laborãtes reuocat Diuina clementia.
Hiere. 3.

Dominus. Leua oculos tuos in directum: Abre los ojos mira derecho, & vide vbi nunc prostrata sis. Et cap 31. *reuertere virgo Israel, reuertere, vsquequo dissolueris filia vaga.* Esaias quoque cap. 55. *sitientes vocat ad aquas:* & nunc Christus Dominus, *apud quem est fons vitæ* Psalm. 35 & qui agnus est, qui deducit ad vitæ fontes, Apocalypsis 7. Omnes laborantes inuitat dicens, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.*

Esai. 55.

Apoc. 7.

Verbum reficere tria significat.

Matth. 4.

S. Thom.

Verbum reficere tria significat Primò, reficere est iterum facere, vel reparare: sicut Matth. 4. Apostoli *reficiebant retia sua.* Et in hac significatione solius Dei est nos reficere, *qui fecit nos.* Qua ratione docet Sanctus Thomas 3. part. quæst. 3. art. 8. conuenientiam sacri mysterij diuini Verbi, *quia cum sit imago Patris, & figura substantiæ eius*; ad cuius similitudinem homo factus est, per ipsam imaginem oportuit hominem refici, & restaurari Secundò, reficere est pascere, ciboque confortare: inde locus prandij refectorium dicitur, iudicum 10. *cibo & potu reficientibus* Atque in ea significatione frequens est vsus in Scriptura sacra. Tertiò, reficere accipitur pro eo, quod est recreare, & refocillare: Sic Paulus ad Philemo. scribit pro Onesimo seruo: *refice viscera mea in Christo*: quasi dicat, si illi parcis, refocillabis me. Et Esa 28. *hæc est requies mea, reficite lassum, & hoc est meum refrigerium.* Dum igitur Saluator absolutè dicit, *ego reficiam vos*, omnimodam, & perfectissimam refectionem pollicetur. Ipse enim est, qui per baptismum nos reficit, & ad pristinum statum innocentiæ reparat, atque restaurat *Ipse est verus agnus, qui tollit peccata mundi*: simulque remittit pœnas pro peccatis debitas: confert gratiam, virtutes & dona restituit: ianuamque regni cœlestis aperit Ea ratione Paulus ad Titum 3. baptismum vocat *lauacrum regenerationis, & renouationis*: atque de ipso explicantur verba Psalm. 22. *super aquam refectionis educauit me.* Baptismus aqua refectionis est, per quam reficimur, & instauramur: atque educamur, & nutrimur.

Ad Philemo.

Esai. 28.

Titum. 3.

Psal. 22.

Baptismus aqua refectionis est.

Vbi iam nobis secundus sensus insinuatur. Reficere enim pascere est, educare, & cibo nutrire. Duo refectoria, refectionisque loca Saluator habet: vnum in cœlo, vbi men-

vbi mensa est grandium . quibus manifestè sese exhibet in cibum: sicut audiuit D. Augustin *cibus sum grandium, cresce, & manducabis me.* De qua refectione euangelicus Propheta cap. 25. prædixit: *faciet Dominus exercituũ omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindimiæ, conuiuium pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* De quo conuiuio Luc 22. dixit Christus discipulis: *ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum: vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.* Rectè dixit quidam Christo: *beatus qui manducabit panem in regno tuo.* Luc. 14. Mirabiles sunt cibi, qui in illa cœlesti mensa conuiuis apponuntur, sicut Paul dixit. 1. ad Corinth 2. *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum.* Habet tamen Saluator in militanti Ecclesia refectorium suum, in quo Princeps noster doctrinæ pabulo. gratiæ, virtutum, donorum, & sacramentorum, cunctos fideles, & amicos reficit Maximè verò sacrosancto Eucharistiæ sacramento, diuino cibo carnis suæ nos reficit: de quo prædicto Psalm 22. Regius vates cecinit: *parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* In hac cœlesti mensa ille cibus grandiũ nobis lactescit (vt Diuus Augustinus dixit) vt ad paruulos perueniret.

Duplex refectoriũ Christus habet.

D. August.

Esai. 25.

1. Cor. 2.

Psal. 22.

D. August.

De hac mensa commodissimè intelliguntur verba Saluatoris; *ego reficiam vos*: & pascam cibo, qui vos satiet, totamque mentem repleat Non voluptatibus, sicut reficiebat Epicurus: non bonis fortunæ, sicut Peripatetici: non vana rerum naturalium contemplatione, sicut Stoici: quia omnia hæc *vanitas sunt, & afflictio spiritus*: labores sunt, & fames, quam patiuntur, vt canes: non refectio: sicut Esaiæ cap 29. dicitur: *sicut somniat esuriens, & comedit: cum autem expergefactus fuerit, vacua est anima eius: sic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra montem Sion.* At verò doctrina euangelica, diuina gratia, & sacramenta reficiunt interiora animæ, solatio replent; adeoque pingues, & nitidæ redduntur oues Christi, quæ in ipsius pascuis reficiuntur, vt meritò admirans sponsa interroget sponsum: *indica mihi, vbi pascas? Que traeys tan gruesso, y tan luzio, y bien re-*

Esai. 29.

Refectio Christi animam satiat.

Cant. 1.

pastade el ganado. Aliqui Hebræi transferunt, *quomodo pascas? Que secreto o misterio tiene la yerua de vuestro pasto?* Multum per omnem modum. Cæteræ namque doctrinæ morales Platonis, Aristotelis, Senecæ, Plutarchi, & aliorum Philosophorum aridæ sunt, quæ frigidos, & ieiunos relinquunt legentes, & auditores: impleturque illud Psalm. 101. *aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Sicut eleganter explicuit D. Bernard. mirabili illa visione, qua vidit quinque illos homines famelicos: qui variis cibis, sed vitæ multum ineptis pascebantur: vnus enim arenam deuorabat, alter aerem attrahebat, tertius fumo fornacis pascebatur, quartus fauillas deglutiebat, atque ignis scintillas: quintus alios irridens, & magis irridendus carnibus propriis vescebatur. At verò cibus Christi mentem reficit, replet, & impinguat, *quia virtus Dei est*, omnemque virtutem habet. Quare meritò ait Christus, *ego reficiam vos.*

Psal. 101.
D. Bern.

Tertius sensus est, *ego reficiam*, id est refocillabo vos; laborum pondus leuius reddam: atque ad ferendum vires præstabo. Non promittit se omnino labores ablaturum; sed quòd vires reficiet, vt tolerare possimus: sicut docet Paul 1. ad Corint. 10. *fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* Id quòd re ipsa Paulus expertus dicebat 2. ad Corinth. 4. *in omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur. Aporiamur, siue depauperamur, sed non destituimur. Persecutionem patimur, sed non derelinquimur* Humiliamur, per calumnias, & falsa testimonia, *sed non confundimur.* Deiicimur, *tanquam despecti*, & hominum opprobrium, *sed non perimus. Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes: vt & vita Iesu manifestetur in cordibus nostris*: sicut lux lampadum militum Gedeonis fractis lagenis manifestata est Iudicum 7. Vnde secundæ ad Corinth. 4. ait Apostolus, *portamus thesaurum istum in vasis fictilibus* Et hæc meditatio, atque imitatio mortificationis Christi adeò vires reficit, quod non tantum labores alleuiantur, tolerabilesque redduntur: verum & dulcissimi: & (vt Hispano sermone dicitur) *con la suauidad de los trabajos se come el justo las manos tras ellos.*

1. Cor. 10.
2. Cor. 4.
Iudic. 7.
2. Cor 4.
Meditatio atq; imitatio crucis Christi labores nō

tras eelos. Hic est sensus verborum Psal.127. *Labores manuum tuarum quia maducabis, beatus es, & bene tibi erit:* sicut eleganter explicuit Diuus Augustinus: *quod de labore percipitur, manducatur: non labor ipse. Quid sibi vult, labores fructuum tuorum manducabis? Modo labores habemus, postea fructus erit.* Sed quia & ipsi labores non sunt sine gaudio propter spem fructus percipiendi: sicut Paulus ait ad Rom. cap. 12. *spe gaudentes* modo ipsi labores nos iocundant, & gaudio replent. Vnde secundæ ad Corinth. cap. 6. Apost. ait, *quasi tristes, semper autem gaudentes:* & Act. 5. *ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Sic Andreas gaudio plenus crucem amplectebatur: & Mathias constanter, & iucūdè pro Christo lapidibus obrutus est, & vitam cum sanguine fudit. Quod si labor præsens sic iucundus est, & sic reficit, quanta erit iucunditas, & quanta suauitas fructuum, qui in mensa patriæ proponuntur? Nolite ergo negligenter agere fratres charissimi: sed cum omni sollicitudine venite, accedite ad Domini vocationem, & refectionem: *& gustate, quoniam suauis est Dominus:* qui suauitate gratiæ nunc reficit: & in patria satietate gloriæ.


solum leues, sed & suaues efficiunt

Psal 127.

D. Aug.

Ad Rom. 12.

2. Cor. 6.



I N

IN EODEM FESTO,

CONCIO TERTIA.

De suauißimo iugo Christi.

THEMA.

Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Matth. 11.



ERBA sunt vltima hodierni Euangelij: quę altissimam illam conclusionem fidei continent, quam non reuelauit prudentia carnis, nec humana philosophia: sed Christus Dominus de cœlo missus magister: & spiritus ipsius sanctus, *Vnicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suauis, humanus, & benignus*: qui suauitate, & benignitate mentes reficit. Vt eius suauitatem intelligamus, & degustare mereamur, ipsius auxilium per sacram Virginem poscamus dicentes, *Aue Maria.*

Sap. 7.

Iugum instrumentum est ligneum, quo boues, vel aliæ bestiæ ad arandum, vel ferendum onus copulantur, & vniuntur. Et per metaphoram inde sumptam transfertur ad significandum onus tyrannidis, seruitutis, vel legis: vnde Diaboli imperium propter peccatum explicuit Diuus Gregorius super 1. Reg. 6. & 30. moral. cap. 31 significari per iugum, siue plaustrum. Iugum verò Babylonis, vel iniquitatis calamitas est persecutionum, & flagellorum propter peccatum: Threnorum, cap 1. *Vigilauit iugum iniquitatum mearum: in manu eius circumuoluta sunt, & imposita collo meo.* Potissimum verò, & omnibus grauius est iugum peccati. Hoc non portauit vacca rufa, quæ solemni ritu immolari præcipitur Numer. cap. 19. quia typus erat sanctissimæ carnis Saluatoris Christi, quæ non solum ab omni peccato fuit libera, sed totius peccati fuit purgatio, medicina, vnicumque remedium:

Imperium Diaboli iugum graue est.

D. Greg. Thren. 1.

Num. 19.

remedium: ipse est de quo prædixerat Esa. cap. 10. *computrescet iugum, scilicet peccati à facie olei.* Deinde lex vetus iugum dicitur: sicut Petrus Apostolus Act 15. dixit: *& nunc quid tentatu Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus?* Iuga boum quinque Pentateuchus, siue quinque libri Moysi sunt Redemptor noster Christus ab vtroque iugo peccati, & veteris legis nos liberauit: de peccato enim ait Paul 2. ad Corinth. 5. *eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit: Vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso*: id est, fecit illum sacrificium, & hostiam pro peccatis nostris. Vel fecit illum peccatum, quia (vt Paul. ait ad Rom. 8. *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato*, id est de similitudine peccati *damnauit peccatum in carne*, scilicet Christi pro nobis crucifixa, *Vt iustificatio legis impleretur in nobis*. Et vt Ioan. ait. 1. cap. 2. *ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non solùm pro nostris, sed etiam pro totius mundi.* Non solum autem peccatorum nostrorum iugum à nobis abstulit super se ferens: verum & à iugo veteris legis nos redemit factus sub lege, vt Paul. ait ad Galat. 4 Grauissimumque iugum antiquæ legis in iugum suauissimum Euangelij commutauit: de quo meritò in hodierno Euangelio ait: *iugum meum suaue est, & onus meum leue.*

Esa. 10.
Lex Vetus iugum erat grauissimum.
Act. 15
2. Cor. 5.
Rom. 8.
1. Ioan 2.
Galat. 4.

Legem Euangelicam conuenienter satis vocat Dominus *iugum suaue, & onus leue.* Iugum quidem, quia coniungit duos populos iuxta Iacob Patriarchæ vaticinium Genes. 49. *ligans ad Vineam pullum suum, & ad Vitem (ô fili mi) asinam suam, lauabit in Vino stolam suam: & in sanguine Vua pallium suum.* Eaque ratione in die palmarum super asinam, & pullum Hierosolymam ingredi voluit, vt vaticinij veritas impleretur. Idem confirmat Apostolus ad Ephesios 2. *ipse est pax nostra, qui fecit Vtraque Vnum: & medium parietem maceriæ soluit, Vt duos condat in semetipso in Vnum nouum hominem, faciens pacem, Vt reconciliet ambos in Vno corpore Deo per crucem* Ecce quam aptè lex euangelica, quæ duos coniunxit populos Iudaicum, & Gentilicum, iugum dicatur. Secundò, quia intellectum cum voluntate coniungit,

Lex euangelica rectè dicitur iugum.
Genes. 49.
Matth. 21.
Ephes. 2.

2. Cor. 10. iungit, & componit, vt simul subiiciantur in obsequium fidei, & charitatis: quæ sunt vincula: *Son las coyundas, que nos traen a la melena del euangelio.* Ecclesiast. 51. *collum vestrum subiicite iugo, & suscipiat anima vestra disciplinam: in proximo est enim inuenire eam.*

Eccles. 51.

Habet verò maximam suauitatem iugum Christi. Primò, comparatione legis veteris: sicut Petrus dixit act 15 Secundò, comparatione grauissimi iugi peccati: cuius onere se grauatos, & lassatos confitentur impij Sapien. 5. De qua re plura diximus concione proxima. Iuga boum quinque de quibus Luc 14. quinque sensus sunt quibus Diabolus, mundus, & caro nituntur miseros peccatores, & filios huius seculi subiugare: vt præualeat concupiscentia carnis, & illius iugum contra iugum suauissimum spiritus. De hoc grauissimo peccati iugo dicitur Ecclesiast. 28. *beatus, qui non traxit iugum illius, & in vinculis eius non est ligatus: iugum enim illius iugum ferreum est, & vinculum illius vinculum areum est:* iugum peccati ceruicem deprimit. D. Greg. 30. moral c. 31. *asperum iugum, & durum seruitutis pondus: subesse temporalibus: ambire terrena: retinere labentia: velle stare in non stantibus.* Væ impio qui tam graui iugo premitur, neque excutere nititur. Elisæus ab Elia ex aratro vocatus, cum araret in duodecim iugis boum (vt habetur 3. Reg. 19.) iugum, & aratrum confregit, combussit: *tulit par boum, & mactauit illud, & in aratro boū coxit carnes: & dedit populo, & comederunt: consurgensq; abiit, & secutus est Eliam.* Sic vtique oportet iugum Diaboli, mundi, & carnis excutere, confringere, atque comburere, vt suaue Christi iugum dignè super nos feramus: & onus ipsius leue sentiamus.

Act 15. Iugū peccati omniū est grauissimum. Sap. 5. Luc. 14. Eccles. 28. D. Greg. 3. Reg. 19.

Leuitici 26 promiserat Dominus: *auferam, & confringam de ceruicibus vestris catenam, & iugum ferreum.* Id quod euangelicus Propheta Esaias per Christum Dominum implendum præuidit capite 9. *iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti sicut in die Madian:* & capite decimo, *& erit in die illa auferetur onus eius de humero tuo: & iugum eius de collo tuo, & computrescet iugum à facie olei.* Id quod per Christum Dominum impletum est, cui spōsa Can-

Leui. 26. Esai. 9. Esai. 10.

sa Cantic. 1. ait: *oleum effusum nomen tuum*: quo Saluatoris lenitas, & mansuetudo atque illius iugi suauitas significantur. Quare meritò Saluator ait, *iugum meum suaue est, & onus meum leue*. Primò quidem suaue redditur iugum, quia Christus ipse nos iuuat, simulque nobiscum iugum tollit. Sapient. 9. petit Salomon hanc suauitatem societatis Christi in laboribus dicens: *mitte illam de cælis sanctis tuis*, scilicet diuinam sapientiam, & verbum patris: *Vt mecum sit, & mecum laboret*. Vnde Paulus Apostolus ait, *plus omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum*. *Cantic. 1.* *Iugũ Christi ex multis redditur suaue.*

Secũndò, quia onus Christi, onus est amoris. Augustinus, *amor meus, pondus meum*: iugum Christi ex dilectione Dei, & proximi componitur. *Charitas vinculum est perfectionis*, vt Paulus ait ad Colossens. 3. quia vincit, & vnit. Quare de vinculis charitatis Christi, quibus humanum genus ad se attraxit, dicitur Ose. 11. *in funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis, & ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum*. Amor suaue reddit iugum, suauia vincula, leue onus: omniaque suauia reddit. Sic Iacob præ amore Rachelis, quãquam multum laborauit die noctuque æstu vrgebatur, & gelu: fugiebatq; somnus ab oculis eius: seruiuitq; Laban socero suo prò Rachel septem annis: *videbantur illi dies pauci præ amoris magnitudine*. Imò vt placito soceri acquiesceret, priùs ducta Lia, seruiuit pro Rachel aliis septem annis. Amor enim Rachelis labores omnes leues, tempusque breue efficiebat: vt habetur Genesis 29. Currus Eliæ per aera volabat, dum Eliam rapuit, quia igneus erat, & equi ignei: vt habetur 4. Regum 2. Ignis vero amoris symbolum est: vt ex multis locis Scripturæ sacræ constat: maximè verò Luc. 12. vbi de præcepto dilectionis, quæ (vt Paulus ait) est plenitudo legis, dixit: *ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt ardeat?* Dilectio currum euangelicæ legis leuem efficit adeò, vt qui illum ducunt absque labore, non solùm currere, sed & volare possint: sicut dixit Esaias cap. 40. *qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquila, current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient*. *D. Aug.* *Colos. 3.* *Ose. 11.* *Amor suaue reddit iugum.* *Genes. 29.* *4. Reg. 2.* *Luc. 12.* *Roman. 13.* *Esai. 40.*

Tertiò,

1. Cor. 10. iungit, & componit, vt simul subiiciantur in obsequium fidei, & charitatis: quæ sunt vincula: *Son las coyundas, que nos traen a la melena del euangelio.* Ecclesiast. 51. *collum vestrum subiicite iugo, & suscipiat anima vestra disciplinam: in proximo est enim inuenire eam.*
Eccles. 51.

Habet verò maximam suauitatem iugum Christi. Primò, comparatione legis veteris: sicut Petrus dixit act. 15. Secundò, comparatione grauissimi iugi peccati: cuius onere se grauatos, & lassatos confitentur impij Sapien. 5. De qua re plura diximus concione proxima. Iuga boum quinque de quibus Luc 14. quinque sensus sunt quibus Diabolus, mundus, & caro nituntur miseros peccatores, & filios huius seculi subiugare: vt præualeat concupiscentia carnis, & illius iugum contra iugum suauissimum spiritus. De hoc grauissimo peccati iugo dicitur Ecclesiast. 28. *beatus, qui non traxit iugum illius, & in vinculis eius non est ligatus: iugum enim illius iugum ferreum est, & vinculum illius vinculum æreum est:* iugum peccati ceruicem deprimit. D. Greg. 30. moral c. 31. *asperum iugum, & durum seruitutis pondus: subesse temporalibus: ambire terrena: retinere labentia: velle stare in non stantibus.* Væ impio qui tam graui iugo premitur, neque excutere nititur. Elisæus ab Elia ex aratro vocatus, cum araret in duodecim iugis boum (vt habetur 3. Reg. 19.) iugum, & aratrum confregit, combussit: *tulit par boum, & mactauit illud, & in aratro boum coxit carnes: & dedit populo, & comederunt: consurgensque abiit, & secutus est Eliam.* Sic vtique oportet iugum Diaboli, mundi, & carnis excutere, confringere, atque comburere, vt suaue Christi iugum dignè super nos feramus: & onus ipsius leue sentiamus.
Act. 15. Iugū peccati omniū est grauissimum. Sap. 5. Luc. 14. Eccles. 28. D. Greg. 3. Reg. 19.

Leuitici 26. promiserat Dominus: *auferam, & confringam de ceruicibus vestris catenam, & iugum ferreum.* Id quod euangelicus Propheta Esaias per Christum Dominum implendum præuidit capite 9. *iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti sicut in die Madian:* & capite decimo, *& erit in die illa auferetur onus eius de humero tuo: & iugum eius de collo tuo, & computrescet iugum à facie olei.* Id quod per Christum Dominum impletum est, cui spōsa Can-
Leui. 26. Esai. 9. Esai. 10.

ſa Cantic.1. ait: *oleum effuſum nomen tuum*: quo Saluatoris lenitas, & manſuetudo, atque illius iugi ſuauitas ſignificantur. Quare meritò Saluator ait, *iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue*. Primò quidem ſuaue redditur iugum, quia Chriſtus ipſe nos iuuat, ſimulque nobiſcum iugum tollit. Sapient. 9. petit Salomon hanc ſuauitatem ſocietatis Chriſti in laboribus dicens: *mitte illam de cœlis ſanctis tuis*, ſcilicet diuinam ſapientiam, & verbum patris: *vt mecum ſit, & mecum laboret*. Vnde Paulus Apoſtolus ait, *plus omnibus laboraui, non ego, ſed gratia Dei mecum*. *Cantic.1.* *Iugũ Chriſti ex multis redditur ſuaue.*

Secundò, quia onus Chriſti, onus eſt amoris. Auguſtinus, *amor meus, pondus meum*: iugum Chriſti ex dilectione Dei, & proximi componitur. *Charitas vinculum eſt perfectionis*, vt Paulus ait ad Coloſſenſ.3. quia vincit, & vnit. Quare de vinculis charitatis Chriſti, quibus humanum genus ad ſe attraxit, dicitur Oſe. 11. *in funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis, & ero eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum*. Amor ſuaue reddit iugum, ſuauia vincula, leue onus: omniaque ſuauia reddit. Sic Iacob præ amore Rachelis, quãquam multum laborauit die noctuque æſtu vrgebatur, & gelu: fugiebatq; ſomnus ab oculis eius: ſeruiuitq; Laban ſocero ſuo prò Rachel ſeptem annis: *videbantur illi dies pauci præ amoris magnitudine*. Imò vt placito ſoceri acquieſceret, priùs ducta Lia, ſeruiuit pro Rachel aliis ſeptem annis. Amor enim Rachelis labores omnes leues, tempusque breue efficiebat: vt habetur Geneſis 29. Currus Eliæ per aera volabat, dum Eliam rapuit, quia igneus erat, & equi ignei: vt habetur 4 Regum 2. Ignis vero amoris ſymbolum eſt: vt ex multis locis Scripturæ ſacræ conſtat: maximè verò Luc. 12. vbi de præcepto dilectionis, quæ (vt Paulus ait) eſt plenitudo legis, dixit: *ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt ardeat?* Dilectio currum euangelicæ legis leuem efficit adeò, vt qui illum ducunt abſque labore, non ſolùm currere, ſed & volare poſſint: ſicut dixit Eſaias cap. 40. *qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient*. *D.Aug.* *Coloſ.3.* *Oſe.11.* *Amor ſuaue reddit iugum.* *Geneſ.29.* *4.Reg.2.* *Luc.12.* *Roman.13.* *Eſai.40.*

Tertiò,

Tertiò, quamuis iugum Christi labores habeat, & carnis molestias: *corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam: & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*, vt dicitur Sapient 9 & quamuis iusti propter obseruantiam euangelicæ legis graues afflictiones, & persecutiones patiantur, omnia tamen superant *aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum* (vt Paulus ait ad Hebræos 12) *qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta: atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate eum, vt ne fatigemini animis vestris deficientes* Exemplum vtique capitis nostri Christi labores omnes leues reddit: & solatio, atque dulcedine replet. Ac deinde præmij contemplatio, quod ipse sibi, & nobis per crucem consecutus est Qua consideratione maxima virtute confortatus Paulus 2. ad Corinthios 4. dicebat: *Propter quod non deficimus: sed licet is, qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem Id enim, quod in præsenti momentaneum est, & leue tribulationis nostra: supra modum in sublimitate æternum gloria pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis qua videntur, sed qua non videntur. Qua enim videntur, temporalia sunt: qua autem non videntur, æterna sunt.* Æternum illud gloriæ pondus, quod spetamus præponderat: & quasi grauius pondus leue reddit pondus momentaneum præsentis vitæ.

Sap. 9. *Heb. 12.* *Meditatio exempli Christi, & præmij labores suaues reddit.* *2. Cor. 4.*

Sanctus ille rex Dauid vir secundum cor Dei, Diuinam suauitatem satis expertus, multis psalmis illam incessanter exaltat, & laudat: maximè Psalmo. 144. *memoriam abundantia suauitatis tua eructabunt, & iustitia tua exultabunt Ex abundantia enim cordis, os loquitur*, Luc 6 sic cor, quod cibo diuinæ suauitatis degustato abundanter refectum est, copiosè loquitur, & sicut stomachus repletus eructat, sic cor memoriam susceptæ dulcedinis eructat, & abundanter celebrat: vnde statim eodem Psalmo subdit, *suauis Dominus vniuersis* Et Psalmo 33 *gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus, beatus vir, qui sperat in eo.*

Psal. 144. *Luc. 6.* *Psal. 33.*

Ad hanc suauitatem inuitat nos Saluator hodierno euangelio dicens: *Venite ad me, & ego reficiam vos; iugum enim meum suaue est.* Cur ergo inuitati non accedictis ad

ditis ad dulcissimam refectionem, & suaue iugum? Certè quia iugum non potest commodè ferri, nisi capiti, & collo vinculis alligetur, & coaptetur. Hæc sunt vincula charitatis, & funiculi Adam: de quibus Ecclesiast. 6. *inijce pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum; subiice humerum tuum, & porta illam; & ne accideris in vinculis eius, & erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & bases virtutis: & torques illius in stolam gloriæ: decor enim vitæ est in illa, & vincula illius alligatura salutis.* Eccles. 6.

Altera ratio fugiendi iugum suaue Christi est; quia paruulos inuitat, quibus reuelat mysteria cœlestia. Esai. 5. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Oportet fieri insipientes cum Dauid qui coram Rege Achis *mutauit faciem suam, & collabebatur inter manus:* vt habetur 1. Reg. 21. *& impingebat in ostia portæ, defluebantq; saliua eius in barbam ita, vt Achis dixerit ad seruos suos, vidistis hominem insanum, quare adduxistis eum ad me?* Nulla maior sapientia, quam insipientiam fingere, vbi opus est: sicut parasiti aulici, dum se stultos fingunt, ad principes omnibus horis accessum habent, & diuites euadunt. Sic oportet humanam prudentiam in Christiana disciplina imitari cum Dauid; qui Psalm. 72. ait, *vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Hæc est sapientia iustorum, quorum gloriam videntes impij dicent in iudicio, *hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam.* Meritò dixit Diuus Augustinus, *surgunt indocti, & rapiunt cœlum.* 1. Reg. 21. *Nulla maior sapientia, quam insipientẽ pro Christo fieri.* Simile. Sap. 5. D. August.

Tertia ratio fugiendi iugum suaue Christi est, quia ad illud ferendum laborantes inuitat: quare homines deliciosi; qui laborem, & pœnitentiam, laboriosaque virtutis exercitia fugiunt: de quibus Dauid Psalm. 72. dicit, *in labore hominum non sunt:* suaui Christi iugo nesciunt submittere collum. *Hi sunt viri Gabaa, filij Belial,* id est absque iugo Iudicum 19. hi sunt viri superbi, & diuinis legibus inobedientes: Gabaa enim collis interpretatur. Contra superbiam, & proteruiam Hierusalem, atque delicias ait Dominus per Hieremiam. capite 2. Psal 72. Iudic. 19. Hierem. 2.

à seculo confregisti iugum meum, rupisti vincula mea: & dixisti, non seruiam. In omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix. Oportet igitur suauissimo Christi iugo collum submittere, & crucem tollere cum Saluatore, & ipsum sequi: sicut ait Luc. c. 9. Vaccæ, quæ lactabant vitulos, *impositam sibi arcam Dei in directum, & itinere vno pergentes, ac relictis domi vitulis, mugientes, nunquam tamen declinabant ad dexteram, neque ad sinistram, donec peruenerunt in agrum Bethsames*, quæ domus solis interpretatur: quę typus est beatitudinis, vbi diuina ma-
Psal. 18. iestas in sole posuit tabernaculum suum. Ille est optatus portus, finisque vltimus, in quem tendimus. Rectoque tramite pergendum est: quamuis mugiant vituli, carnis illecebræ, deliciarumque seculi memoria reclamet. *Bonum est viro, cum suaue hoc Christi iugum portauerit ab adolescentia sua: sedebit solitarius, & tacebit, quia*
Threno. 3. *leuauit se super se.* Threno. 3. Apostolus Paulus, quam-
Rom. 7. quam inueniebat aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis, & quasi mugientem, & captiuantem in lege peccati: viriliter tamen resistebat, & legis euangelicæ iugo collum submittens per gratiam Dei, per Iesum Christum Dominum nostrum iugum carnis excutiebat, castigans corpus, & in seruitutem redigens:
1. ad Cor. 9 vt ipse ait 1. Corinth. 9. Gloriosus quoque Mathias suaue Christi iugum super se tulit, non solùm per obseruãtiam legis euangelicæ: sed & gladio, & securi collum pro Christo æquanimiter submittens. Ipsius, & nos exemplo suaue Christi iugum super nos tollamus, *deponen-*
Heb. 12. *tes omne pondus, & circumstans nos peccatum*: & experiemur quàm leue sit Christi onus: quantaque suauitate sit plenum iugum: siquidem portantibus illud confert suauitatem gratiæ, & dulcedinem gloriæ.

Fragmenta in Euangelium.

1. **C***Onfiteor tibi.* Confessio est non culpæ sed laudis:
Psal 143. sicut Psal 143. ait Dauid, *confiteantur tibi Domine omnia opera tua*: id est laudent te: & alias sæpè in ea significatione accipitur vox confitendi, vel confessionis. Est quoq; vox complacentiæ, & conformitatis

cum vo-

cum voluntate patris: ficut verbis sequentibus Christus explicuit: *ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te.* Vbi Saluator naturalis Dei filius exemplum præbuit adoptiuis, vt voluntatem nostram voluntati Patris æterni semper subiiciamus & conformemus, iuxta doctrinam Pauli ad Rom. 8. *nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui: vt sit ipse primogenitus in multis fratribus:* nisi enim conformemur Christo, voluntatique patris simus obsequentes, dicet nobis verba Malachiæ Prophetæ, c. 1. *filius honorat patrem, & seruus Dominum suum: si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus?* Rom. 8. Malach. 1.

Pater. Saluator per æternam generationem ex patre procedens meritò patrem appellat. Hæc enim est summa patris dignitas: quòd per intellectus sui fœcunditatem generet filium sibi æqualem, & consubstantialem: in hoc enim vno opere exhauritur patris omnipotentia. Sed & pater noster est per gratiam adoptionis, & per paternalem charitatem, ac prouidentiam: sicut Sap 14 dicitur: *tua pater prouidentia ab initio cuncta gubernat.* Hic est gloriosior Dei optimi titulus, qui maiorem honorem Christo defert, nobis verò maiorem dignitatem, & confidentiam præstat. Est enim *pater misericordiarum, & Deus totius consolationis* (vt Paul. ait 2. ad Corinth. 1) *qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Quare magister noster Christus sic docuit nos orare Matth 6 *Pater noster, qui es in cælis.* Cæterùm cum patrem inuocas, & oras: attende quàm verè illum patrem appelles: & quàm verè, & ex animo illi dicas, *fiat voluntas tua.* 2. Sap. 14. Nomen patris gloriosius titulus est Dei nostri. 2. Cor. 1. Matth. 6. 3. Baruc. 3.

Domine cæli, & terra. Videtur quidem ordo præposterus, vt post dominium cœli, quod sublimius, & excelsius est, addatur dominium inferius terræ. Dicendum tamē est, quòd optima ratione commutatus est ordo: quia pro eo tempore quo Christus *in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est,* sicut Baruc. 3. prædixit: excellentius multò erat dominium patris in terra, quā in cœlo. Tūc enim dominiū patris in cœlis erat super Angelos: dominiū verò terræ cōplectebatur Christum filium Dei viui, splendorem gloriæ, & figuram substantiæ ipsius: qui (vt Paul. ait ad Heb. 1.) *tanto melior est Angelis* Dū Christus in mūdo conuersatus est, excellentius erat dominium Dei in terra, quam in cælis. Hebr. 1.

effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. Sub eodem dominio continebatur sanctissima Virgo Maria, Angelorum Regina: continebantur & Apostoli sancti, cœlestis curiæ futuri principes: quare post dominium cœli, meritò dominium terræ Saluator adiunxit. Et quamquam patri secundum diuinam naturam æqualis, secundum humanam verò minorem se se patre confitetur: ipsique tanquam Domino, & superiori, ipsiusque voluntati per omnia se subiicit dicens: *ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te.*

4. *Cælestia bona non possunt nominari proprio nomine.* *1. Cor. 2.*

Quia abscondisti hæc. Quòd si roges quæ sunt hæc? sunt sanè fidei mysteria, quæ Christus nos docuit, quæ Catholica tenet Ecclesia, & quæ per fidem credimus. Hæc humilibus reuelantur in via, ipsorumque visionem speramus in patria: de quibus 1. ad Corin. 2. Paul. ait, *oculus non vidit, nec auris audiuit nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illum: nobis autem reuelauit per spiritum suum* Hæc sunt lux, salus, vita, diuitiæ, deliciæ, & magnus rerum omnium, quæ desiderari possunt, *thesaurus bonorum omnium aggregatione perfectus,* sicut Boetius dixit. Omnia hæc visibilia vmbra sunt, & vilia illorum comparatione: imò vt stercora arbitratur Paulus ad Philippen. cap. 3. Nam Sap. 7. dicitur, *venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Cum igitur propter sui immensitatem ineffabilia sint, neque proprium nomen habeant, meritò Saluator illorũ sublimitatem quasi silentio celebrans dixit, *hæc.*

Boetius. *Sap. 7.*

5. *Abscondisti hæc à sapientibus.* Esa cap. 5. dicitur, *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Prudentia etenim carnis mors est* ad Rom. cap. 8. quia omnia ordinat ad finem carnis, nil habet de spiritu: neque vltimum verum finem recolit, neque considerat: vnde diuina sapientia eiusmodi carnis prudentiam, filios huius seculi, deliciososque homines, & carnales fugit: sicut Iob. cap 28. dicitur, *non inuenitur in terra suauiter viuentium. abyssus,* (id est, qui profundo sunt corde) *dicit non est in me: & mare* (id est, curis seculi fluctuantes, & inconstantes) *loquitur non est meum. Volucres quoque cæli latet,* id est superbos, & elatos homines: & qui in oculis suis sapientes sunt: de quibus Paulus pri-

Diuina sapientia prudentiã carnis omnino fugit. *Iob. 28.*

mæ ad

mæ ad Corinth. 1 adducens verba Esa. c. 33. ait: *perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. Stultam fecit Deus sapientiam huius mundi. Nam quia in Deo sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.* Vnde subdit: *Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes: non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, vt ea, quæ sunt, destrueret: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Idemque confirmat Apostolus primæ ad Corinth. capite 3. *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum.* 1. Cor. 1.

Reuelasti ea paruulis. Gratias agit Saluator æterno patri, non quòd absconderit fidei mysteria à sapientibus: sed quia reuelauit paruulis. Simili tropo locutus est Paulus ad Romanos cap. 6. *gratias autem Deo, quod fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi estis.* Mysteria vtique fidei olim sub velaminibus figurarum, & vmbrarum abscondita erant. Quid enim aliud designabat velamen, quo Moyses faciem suam tegebat Exod. cap. 34. Sicut explicuit Apostolus secundæ ad Corinth capite 3. dignitatem, atque excellentiam, & lucem legis euangelicæ respectu antiquæ dicens: *non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, vt non intenderent filij Israel in faciem eius:* & subdit. *Vsque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. Cum autem conuersi fuerint ad Dominum, auferetur velamen. Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.* Velum quoque templi idem significabat. *Et quia agnus qui occisus est, dignus est aperire librum, & soluere septem signacula eius*: sicut audiuit Ioannes Apocalyp 5. ideò in morte Christi *Velum templi scissum est*, Matth 27. Eandem antiquæ legis vmbram, & mysteriorum occultationem designauit Elias, dum audito sibilo *Dei velauit faciem suam*. 3 Regum 19 desi- 6. Rom. 6. Fidei mysteria sub figuris obscondita fuere. Exod. 34. 2. Cor. 3. Matt. 27. 3. Reg 19.

Esai. 6. gnarunt, & Seraphin, quæ vidit Esai. cap. 6. velantia faciem, & pedes Dei. In lege verò euangelica pater æternus reuelauit hæc mysteria paruulis, tum per filium suũ vnigenitum, quia vt Ioannes ait cap. 1. *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit.* Reuelauit etiam per spiritum suum, sicut Christus Dominus Ioannis 14. promisit: *paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Et Paulus 1. ad Corinth 2. testatur, *nobis autem reuelauit per spiritum suum.* Consonat illud Iob. 32.

Iob. 32. *inspiratio omnipotentis dat intelligentiam.* Et quod Christus dixit Matthæi 11. *nemo nouit patrem nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Vbi non excluditur Spiritus sanctus à cognitione patris, & filij: quia dictio exclusiua addita termino personali in essentialibus, non excludit diuinas personas: sed excludit creaturas omnes, etiam supremos Angelos, qui lumine naturali absque diuina reuelatione Trinitatis mysterium cognoscere nequeunt: sicut Paulus docet 1. ad Corinthios

1. Cor. 2. 2. *sapientiam loquimur: quam nemo Principum huius seculi cognouit.* Vbi per Principes huius seculi, non solùm terreni Principes intelliguntur, sed & cœlestes, & Angelici spiritus.

7. *Reuelasti ea paruulis.* Locus est ad dicendum de laudibus humilitatis; & quantum Deus exaltet humiles: quantaque benignitate, & intimo affectu Christus Dominus illos intueatur: siquidem pro beneficio paruulis suis exhibito gratias agit, ac si sibi ipsi præstitum esset: sicut Matth. c. 25. ait, quod vni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis.

8. Ita pater, quoniam sic placitum fuit ante te, ad Romanos 9. non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: & cap. 11 O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Diuus Gregorius 25 moral. exemplum humilitatis hic nobis à Christo præberi notat: vt sic nos gratias agamus altissimo, quia vocauit nos in admirabile lumen suum, aliis nationibus in tenebris relictis: sicut Petrus Apostolus 1. c. 2 ait, vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus

D. Greg. *Vocatio ad lumen fidei magnũ est Dei beneficium.* *1. Pet. 2.*

populus acquisitionis: vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.

Omnia tradita sunt mihi à patre meo. Ioannis capite decimotertio, sciens quia omnia dedit ei pater, in manus. Benedictus Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, qui sub tam potentis manus protectione nos constituit, qui confidenter ait Ioan. 10. non rapiet eas, scilicet oues, de manu mea. Quare de corona iustitiæ in manu Christi reposita certus Apostolus Paulus 2. ad Timoth. 1. ait, scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem. Non solum autem potentissimas manus, ac fidelissimas Saluator habet, sed & liberalissimas, & clauis transfixas, vt meritò vocare possimus Principem nostrum, sicut Alphonsum sextum Hispaniæ Regem, qui ex fortitudinis opere (quo dum apud Regem Sarracenum Toleti captiuus detineretur, vt fictum somnum commodiùs simularet, liquefacto plumbo manum perforari patienter sustinuit) Alphonsus perforatæ manus cognomento dictus est: sic Christum Dominum perforatarum manuum Principem meritò cognominare possumus: qui clauis in cruce perforatis manibus, maximæ fortitudinis exemplum præbuit: humanitatis suæ veritatem cõprobauit: ouium suarum protectionem, eximiamq; dilectionem ostendit: manuumque liberalitatem, quibus cœlestium donorum thesauros nobis largitur, manifestè monstrauit. Atq; adeò tanquam liberalissimus Dominus, ac diues in omnes, qui inuocant illum Rom. 10. & qui dat omnibus affluẽter, & non improperat: omnes ad se inuitat dicens, venite ad me omnes.

9.

Ioan. 10.

Potentissimas, ac liberalissimas manus Saluator habet.

Rom. 10.

Iacob. c. 1.

Venite ad me omnes: quasi dicat, mihi datum est patris cognitionem præbere: venite ergo ad me. Nemo quidem potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum Ioan. 6. sed sicut patris munus est ad me trahere, meum est ipsum reuelare. Venite igitur ad me omnes. Non solũ peccatores vocat, qui longè sunt à Deo: sed & iustos: semper enim ad Christum venire, & excitari oportet: nec vnquã nobis quiescendum est, nec sistendũ per otium, vel confidentiam de virtute propria; sed semper progrediẽdũ in via virtutis, donec perueniamus

10.

Ioan. 6.

Psal. 83. ad patriam: iuxta illud Psalm. 83. ibunt de virtute, in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion: & Prouerbio-
Prouerb. 4. rum 4. iustorum semita, quasi lux splendens, procedit, & crescit vsque ad perfectam diem.

11. Venite ad me omnes Absque vlla exceptione, vel personarum acceptione omnes ad salutem inuitat: quia vult omnes homines saluos fieri. 1 ad Timo. 2. Filius vtique est æterni patris, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos: & pluit super iustos, &
Cant. 1. iniustos Matth. 5. Meritò sponsa Cant. 1. sponsi summam bonitatem, qua sese omnibus creaturis semper diffundit, atque communicat, olei effusi nomine explicuit.

12. Venite ad me. Olim non licebat ad Deum, imò neque ad montem in quo Dominus cum Moyse loquebatur, accedere: imò bestia, quæ montem tangebat, lapidabatur. Nunc verò omnibus patet accessus ad Christum. Imò ipse inuitat: stat ad ostium & pulsat Apoca-
Apoc. 3. lyp. c. 3. semperque paratus est nos excipere. Et quamquam Christus totus suauis est, & desiderabilis aspectu, verbo, & conuersatione: maximè verò in attrahendis, & subleuandis infirmis, & peccatoribus: sicut sequentibus verbis explicat dicens; *Venite ad me, qui laboratis.*

13. *Qui laboratis, & onerati estis.* A graui peccatorum onere, duroque iugo ad requiem, & salutarem vmbram, pascuaque vitæ inuitat, & à laboribus, atque molestiis mundi, onereque veteris legis, ad leuamen, solatium, & suaue iugum. Cuius rei typum gessit Dauid, *ad quem confugiebant omnes, qui erant in angustia constituti, oppressi ære alieno, & amaro animo: & factus est eorum prin-*
1. Reg. 22. *ceps.* 1. Reg. 22.

14. *Ego reficiam vos:* Vberibus doctrinæ, gratiæ, & totius consolationis. Reficiam carne mea, & sanguine. *Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*
D. August. Ioan. 6. D. August. tract. 11. in Ioan. in illa verba, *nunquid & vos vultis abire? Reficieris si accesseris: deficies, si recesseris.* Accedamus ergo & reficiemur: neque deficiemus

15. *Tollite iugum meum super vos.* Ad obedientiam diuinæ legis hortatur Christus Dominus: atque ad mutuam pacem, concordiam, & dilectionem. Vt enim boues, aliæque bestiæ loris, & vinculis sub iugo alligantur, & vniuntur:

niuntur: sic fideles per charitatem (*qua vinculum est perfectionis* Colos. 3) sub iugo Christi vniuntur: qui charitatem habet, Christo vnitur, & alligatur, & simul cum illo suaue tollit iugum, & leue sentit onus: *qui enim illi adhaeret, vnus spiritus fit cum eo* 1. ad Cor. 6. *& qui spiritu Dei aguntur hi filij Dei sunt* Rom. 8. 1. Cor. 6.

16. *Discite à me quia mitis sum.* Infirmiores magisterio indigent, atque ducatu fortioris, ad cuius exemplum gradiantur Prudentis est ad excellentium virorum imitationem vitam componere: Et Christiani hominis ad Christi doctrinam, & exemplum mores reformare. Ingens namq; beneficium fuit aeterni patris, filium suum nobis ducem ac praeceptorem tradere: Esa 55 *ecce testem populis dedi eum, ducem, ac praeceptorem gentibus* Et vt verus, sapiensque magister non praecipit, vt ab ipso discamus miracula facere (vt Augustinus de verbis Domini adnotauit) nec virtutem creandi, vel curandi, & aegros sanandi: Sed ait, *discite, quia mitis sum* Si infirmus, & ieiunare non potest: si pauper, non potest eleemosynas facere: sed mitis, & humilis esse potest. Mansuetudinem, beneuolentiam, humanitatem, & patientiam: verborumque suauitatem, & operum pietatem, ac benignitatem coelesti hac lectione nos edocet magister noster Ea ratione comparatur oleo effuso Cant. 1. Est enim liquor lenis, blandè, suauiterque fluens. Et simili ratione dicitur *flos campi* Cant. 2. Esai. 55. August. Humilitatis, & mansuetudinis magister Christus. Cant. 1. Cant 2.

17. *Et inuenietis requiem animabus vestris.* Non inuitat ad requiem corporum: *quia arcta est via, quae ducit ad vitam* Matth. 7. labores habet & afflictiones corporis: intus tamen magnam habet dulcedinem, & suauitatem: sicut nux sub duro cortice, intus habet suauem nucleũ. Inuitat verò Dominus ad animarum requiem. D. Augustinus in confessionibus, *non est requies (O mortales) vbi quaeritis. Vitam beatam quaeritis in regione mortis, non est ibi. Quomodo enim vita beata vbi nec vita?* Hierem. cap 6. *Ambulate in via bona, & inuenietis refrigerium animabus vestris.* D. August. Hierem 6.

18. *Iugum meum suaue est* August in Psal. 59 *alia sarcina premit: Christi autem sarcina subleuat Alia sarcina pondus habet: Christi sarcina pennas habet.* Nam & aui, si D. August.

pennas detrahas, quasi onus tollis: Et quo magis tollis, eo magis in terra remanebit: quia abstulisti onus redeat: & volat. Talis est Christi sarcina, vnde Esai. cap. 40.
Esai. 40. *Qui sperant in Domino assument pennas sicut aquilæ.* Legatur Aug. lib. de verb. Aposto. serm. 12 & 24. Suauitas
Sap. 12. Christi omnes mundi suauitates superat Sapient 12. *ô quam suauis est Domine spiritus!* Eam verò suauitatem
Psal. 33. non sentiunt nisi experti. Psal 33 *gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus* D. August. lib 9. Confessionum,
D. Aug. c. 1 diuini spiritus suauitatem expertus exclamat. *Christe Iesu adiutor meus, & redemptor meus quàm suaue mihi subitò factum est carere suauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eiiciebat enim eas à me vera tua, & summa suauitas. Eiiciebas, & intrabas tu pro eis omni voluptate dulcior.*

IN FESTO SANCTI THOMÆ DE AQVINO ECCLESIÆ DOctoris Angelici. Ord. Prædicatorum.

CONCIO PRIMA.

De quatuor potissimis proprietatibus lucis Sancto Doctori accommodatis.

THEMA.

Vos estis lux mundi. Matth. 5.



ERBA sunt Saluatoris ad Apostolos dicta, & in ipsis ad Ecclesiæ doctores, & successores in Apostolico munere. Inter quos Angelico nostro Doctori Thomæ potissima ratione conuenire video, quem diuina lux vndiq; circumfulsit. Refulsit

Refulsit enim luce naturali nobilitatis, ex nobilissima Comitum de Aquino familia ortus: maximè verò supernaturali luce gratiæ, vitæ Angelicæ, doctrinæ mirabilis, cœlestisque sapientiæ: & vt nil lucis ipsi deesset, ab ipsis incunabulis pro lacte diuinæ lucis, Angelicæque salutationis scriptura pro nutrimento lactatus est. *Præuenit illum Dominus in benedictionibus dulcedinis*: Præuenit & sanctissima Dei genitrix ab infantia illum eligens in ministrum fidelem, & sacrosancti incarnationis mysterij lucidissimum explanatorem. Inuenta siquidem est in manu infantuli schedula, quam vi è manu extractam, & lectam continentemque Angelicam salutationem, mirabilis infans magno eiulatu sibi restitutam in os misit, atque degluciuit: vt sicut Iob, capite 31. dixit, *Ab infantia creuit mecum miseratio*: sic noster Thomas verè dicere possit: ab infantia cœlesti luce pastus, lactatus, & nutritus sum. Creuit enim cum illo tam immensa lux, vt vniuersam Ecclesiam luce repleuerit. De huius eximiæ lucis claritate dicturi diuini spiritus lucem petamus, ex ore infantis Angelici accipientes Angelicum *Aue Maria*.

Psal. 20. *Iob. 31.*

Ad decorem, & pulchritudinem vniuersi rerum multitudinem, & varietatem diuina maiestas creauit: quæ multiformem Dei optimi perfectionem repræsentarent. Cum enim illa infinita sit, & immensa, neque possit per vnam creaturam quantumuis perfectam explicati: conueniens fuit per rerum varietatem, & distinctionem inter vnam, & alteram diuinas perfectiones nobis depingi. Et sicut in naturali rerum ordine, diuina sapientia super omnia opera sua per rerum varietatem effusa est: ita in corpore mystico Ecclesiæ voluit multiplicem esse statuum differentiam. Sicut enim in rerum naturalium ordine non potuit diuina perfectio vniformiter inueniri, sed multipliciter: *eaque ratione à Domini scientia separata sunt*: sicut dicitur Eccles. 33. ita plenitudo gratiæ, quæ est in Christo, vt in capite: ad ipsius membra diuersimodè redundare debuit, vt corpus sit perfectũ: id quod docet Apost ad Ephes. c. 4. *ipse dedit quosdã quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores, & doctores, ad consummatio-*

Immensa perfectio diuina per varietatẽ creaturarum debuit explicari.

Eccles. 33.

mationem sanctorum in opus ministerij in ædificationem corporis Christi. Primo loco constituit Apostolos, quia ea suprema dignitas est Ecclesiæ. Quapropter Apostolici muneris excellentiam quatuor accommodatissimis similitudinibus hodierno euangelio Saluator explicuit: dum illos vocat sal, lucem, ciuitatem supra montem, & lucernam super candelabrum. Nomen verò lucis, quanquam per excellentiam sibi conueniens, dignatur tamē Apostolis tanquam amicis, Ecclesiæque magistris absque inuidia communicare.

Genes. 1. Ante creationem lucis omnia erant horrida, & incomposita: sicut Genes. 1. dicitur, *terra erat inanis, & vacua: & tenebræ erant super faciem abyssi.* Id quod Ouid cecinit:

> *Ante mare, & terras, & quod tegit omnia cælum,*
> *Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,*
> *Quem dixere chaos, rudis indigestaq; moles.*

Lux initium distinctionis & ornatus. Lux initium fuit distinctionis, compositionis, pulchritudinis, & ornatus rerum: sic initium ornatus Ecclesiæ fuit lux. Et primi quidem parentes, antiquaque Ecclesia non est condita sine luce: imò cum luce fidei, & originalis iustitiæ. Cæterùm per culpam lux obscurata est: iacebantque miseri mortales per totum orbem in media caligine, circumfusis vndique peccatorum, & ignorantiæ tenebris, metu trepidationeque pleni: sicut

Exod. 10. Ægyptij per tres dies passi sunt Exod. 10. Cuius horren-
Sap. 17. di supplicij mentio fit Sapi. 17. *vinculis tenebrarum, & longa noctis compediti, inclusi sub tectis fugitiui perpetua prouidentia iacuerunt. Et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso obliuionis velamento, dispersi sunt pauentes horrendè, & cum admiratione nimia perturbati. Vna enim catena tenebrarum omnes erant colligati. Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & nō impeditis operibus continebatur. Solis autem illis superposita erat grauis nox, imago tenebrarum, quæ superuentura illis erat. Ipsi ergo sibi erant grauiores tenebris.* Vbi statum antiquum humani generis post lapsum, ante Christi redemptoris aduentum depictum videmus. Quare meritò antiqui patres gemitibus, & suspiriis, ad patrem misericordiarum clamabant: *emitte lucem tuam.* Tandem, *cum ve-*

cum venit plenitudo temporis, sedentibus in regione vmbra mortis lux orta est eis: & populus, qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: Christum (inquam) qui de se ait Ioan. 12 *quam diu sum in mundo lux sum mundi.* & Ioan. cap. 1. *erat lux vera, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Saluator enim secundum diuinam naturam essentialiter est lux, & lumen de lumine: secundum humanam vero naturam lux primaria est Ecclesiæ: quia fuit potissimum medium, per quod manifestata sunt nobis cœlestia mysteria: sicut ipse Dominus ait Ioan. 17. *pater manifestaui nomen tuum hominibus,* & c. 18. *ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum: vt testimonium perhibeam veritati.* Verum quia lux hæc per Christi reditum ad patrem nobis erat auferenda; ne dilectissima sponsa tanto bono diuinæ lucis priuata, tenebrarum sentiret incommoda: decreuit pientissimus sponsus lucem suam Apostolis misericorditer impartiri. Et quia spiritualis lux non erat minus necessaria Ecclesiæ, quàm lux naturalis mundo: sicut primo die facta est lux, sic in primo sermone, quem Saluator habuit in monte Thabor, hanc lucem super supernaturalem creauit. Tunc initium fuit diei Ecclesiæ, & cœpit fœlix aurora consurgere: cum dixit discipulis, *vos estis lux mundi.*

Esai. 9.

Ioan. 1.

Christus vera lux.

Ioan. 17.

Ioan. 18.

Dumque illos vocat lucem, non tantum munus, nomenque lucis illis concessit: sicut terreni Principes, qui honorificis titulis, & muneribus, atque dignitatibus homines exaltare possunt: idoneitatem tamen, & sufficientiam ministeriis necessariam præstare nequeūt. Christus verò cum nomine dedit & rem: & splendidos effecit, sicut cœli luminaria: id quod 2. Cor. 3. eleganter dixit Paul. *qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti. Cum factum est verbum Domini super Ioannem;* data est illi sufficientia ad munus præcursoris exequendum necessaria. Atque Virgini sanctissimæ cum ad eam misso Angelo in matrem Dei electa est, omnem idoneitatem ad tantum munus, tamque excelsam dignitatem necessariam diuina bonitas largita est. Dum Petrum Christus vocauit petram, cum nomine communicauit fidei firmitatem capiti Ecclesiæ necessariam. Ac tandem dū

Christus vocans Apostolos lucem splendidos effecit.

2. Cor. 3.

Aposto-

Apostolos lucem vocat, virtutem lucendi, & illuminandi contulit: sicut 2. ad Corinth. 4. dixit Paulus: *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere: illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientia claritatis Dei in facie Christi Iesu*: quasi dicat ex lumine faciei Christi Iesu: communicatam fuisse lucem Apostolis, sicut 2. ad Corinth. 3. ait, *nos ipsi reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu*. Atque ea ratione ad Philippenses 2. Apostolicos viros vocat *mundi luminaria, qua lucent in medio nationis praua, & peruersa*.

2. Cor. 4. *2. Cor. 3.* *Philip. 2.*

Aptissimè verò Apostolos, & Doctores Ecclesiæ Saluator lucem appellauit: quia lux est prima illa creatura, & excellens qualitas initio creata omnium creaturarum visibiliũ pulcherrima, vt tenebras pelleret, omnia distingueret, atque componeret, & manifestaret creaturas omnes super quas diuina sapientia effusa est. Ea ratione Græci mundum, *κόσμον*, Cosmon dixerunt, id est lucentem, sic Apostoli ad pellendas tenebras, atq; ad ornatum, & pulchritudinem Ecclesiæ electi; similiterque Doctores sancti commodè lux dicuntur. Sicut enim nomen visionis tribuitur cuicunq; cognitioni tam sensitiuæ, quàm intellectiuæ: ita nomen lucis, quæ ad visionem ordinatur, tribuitur cuicunque rei, quæ facit manifestationem secundum quamcunque cognitionem. Vnde Christus Dominus eminenter dicitur *lux mundi*: quia manifestauit hominibus diuina mysteria Et secundariò vocantur lux Apostoli, & Doctores Ecclesiæ: quia ex munere sibi à Christo collato luce veritatis Ecclesiam illustrant. Hinc intelligitur ænigma illud, quod Dominus proponit, Iob c. 38. *indica mihi, si omnia nosti, per quam viam spargatur lux, & in qua via habitet?* Christus enim Dominus via est (sicut ipse ait Ioannis 14. *ego sum via*) *& lucem habitat inaccessibilem*. 1. ad Timoth. 6. Cum ipsa igitur orbis naturalis, & antiquæ lucis conditione, noui mundi spiritualis, & supernaturalis Ecclesiæ cœperunt erigi fundamenta: sicut Paulus insinuat ad Ephes. 1. *in ipso proposuit in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, qua in cœlis, & qua in*

Lux dicitur quæcũque res faciens manifestationem.

Iob. 38.

Ephes. 1.

quæ in terra sunt. Naturalis enim orbis fabrica typus, & descriptio fuit noui mundi spiritualis Ecclesiæ: *Allí se hizo el dibuxo, y planta primera de la Iglesia*. Iuxta illud Esai. c 65. *ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam: & non erunt in memoria priora: & non ascendent super cor.* Prima lux naturalis supernaturalem lucem præsignabat, per quam ignorantiæ, & peccatorum tenebræ erãt pellendæ. Tunc ordo Ecclesiæ cœpit disponi, & stabiliri, pulchritudo manifestari, fideique, & euangelicæ doctrinæ claritas, quæ totum orbem illustrauit, promitti. Esai. 65.

Lux quidem naturalis, vt rerum omnium decorem & ornatum manifestans, maximis excellentiis decorata est: tam in sua essentia, quàm in præclaris effectibus, & sublimi situ. Primò enim in se ipsa spiritualis est purissima, & incoinquinabilis. Quamquam enim illuminet obscœna, & immunda, nihil tamen illam coinquinat. Similiter Apostolorum, Ecclesiæque Doctorum cõuersatio spiritualis est, & mundissima: sicut Paulus ait, 2. ad Corinth. 12. *in carne ambulantes, non secundum carnem militamus*. Sic Angelicus noster Doctor Thomas totus spiritualis, purissimus, & virgo permansit. Dum enim à fratribus carnalibus intra turrim inclusus, vt susceptum habitum ordinis beatissimi patris nostri Dominici dimitteret, puellaq; pulcherrima ad illum per fratres introducta esset, vt constantiam adolescentis blanditiis emolliret: arrepto ex igne titione suggestricem ignitæ libidinis extra cameram effugauit: & velut tres pueri de mediis flammis fornacis Babylonici mirabiliter seruatus, signo crucis ipso titione in pariete facto flexis genibus ante crucem castitatem suam, cordisq; puritatem cum humiliter, magnoq; mentis affectu Domino commendauit, benignè exauditus, mox ab Angelis indissolubili castitatis cingulo visibiliter præcinctus est: ita vt virginis, & doctoris palma, duplicique laureola decoretur. Quare meritò Doctor Angelicus dicitur: non tantũ, quia ab Angelis castitatis cingulo præcinctus est: sed quia in carne viuens angelicam puritatẽ seruauit: id quod excellentius existimat D. Ambros. quam Angelos carnis expertes puritatẽ seruare. Deinde quia multa mysteria fidei ex ipsius doctrina accepta per definitionẽ Ecclesię, & concilio-

2. Cor. 12.

S. Thomas vt vera lux totus spiritualis, & purissimus fuit.

Daniel. 3.

S. Thomas multis de causis Angelicus Doctor dicitur.

conciliorum explicata sunt secundum distinctionem, & præfinitionem temporum, & seculorum, quæ non cognouerant Angeli extra verbum; nec in ipso verbo: quia erant abscondita, nec dum Ecclesiæ reuelata. Dum ergo per Spiritum sanctum illuminati patres, & per Diuum Thomam eruditi plures veritates fidei definierunt, ipsi quoque Angeli illuminati sunt de mysteriis, quorum nec species naturales, neque reuelationem in verbo habebant, donec edocti sunt, non quidem per Thomam, sed in ipsis rebus in diuino pectore prius latentibus, & per Ecclesiam ex doctrina Thomæ acceptis, definitis, & manifestatis: in quo sensu intelliguntur verba Paul ad

Ephes. 3. Ephes. 3 *Vt innotescat principatibus, & potestatibus, per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundum præfinitionem seculorum.*

S. Thom. Vbi dictio, vt, non accipitur causaliter, sed consecutiuè: sicut eleganter in ea verba adnotauit idem Sanctus. Adeò sublimis, & Angelica est ipsius doctrina, quòd Græci, qui nulli nationi in sapientia cedunt, neque vllum librum alterius linguæ admittunt: quatuor tamen libros Sancti Thomæ contra gentes in suam linguam transtulerunt. Cum igitur angelicam puritatem seruauerit, Angelicus doctor meritò appellari potest, imò Cherub sapientia plenus: & Seraphin diuino amore ardens. Et cum de rebus omnibus quantumcunque immundissimis, obscœnisque peccatis tam purè, atque lucidè conscripserit, lucis nomen propriè meretur, qui lucis puritatem habet. Cuius eximiæ puritatis testimonium mulier illa perhibuit, quæ cum sanguinis fluxum immundissimum pateretur, tactu fimbriæ Doctoris Angelici continuò mundata est: sicut & fœlix altera mulier, quæ Saluatoris fimbriam tangere cupiens sanata est, Matth. 9.

Mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, per tactū fimbriæ D. Thomæ mundata est.

Matth 9.

Secundò, lux ad nobilissimos effectus creata est: nēpe vt tenebras fugaret, diuideret diem à nocte, distingueret pulchrum à turpi, & cuiusque rei veritatem, verumque colorem manifestaret. Ante lucem euangelicæ doctrinæ, velut in tenebris, cæcaque caligine latebat veritatis cognitio: atque in magna tenebrarum miseria iacebat humanum genus: sicut per vniuersam terram Ægypti per tres dies horribiles tenebræ dispersæ sunt:

ita vt

ita vt nemo videret fratrem suum, neque dimoueri posset de loco, in quo erat: sicut habetur Exod. 10. Multò verò grauiores tenebras spirituales patiebatur ante Christi lucem, humanum genus: sicut dicitur Sapient. 17. Hinc antiquorum patrum gemitus, desiderium, & frequens deprecatio; quæ habetur Psalm. 42. *emitte lucem tuam* Donec in plenitudine temporis venit Christus *Vera lux*, vt dicitur Ioan. 1 & ipse Dominus ait Ioan. 3. *hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Impij enim tenebris omnia confundunt: quibus Esai 5 dicitur, *Væ qui dicunt malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem; & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum* Infideles, & hæretici veritatem Euangelij errorum tenebris & varijs sectis obscurare nituntur. Apostoli vero Doctoresque sacri per lucem euangelicæ doctrinæ peccatorum tenebras, & errorum caliginem fugant, inter quos Angelicus Doctor adeò in dispellendis tenebris laborauit, vt illi conueniat oraculum Esai. cap 49 *ecce dedi te in lucem gentium.* Atque inter Doctorum sydera Thomas velut Lucifer matutinus fulget, sicut de illo canit Ecclesia: *plusquam Doctores cæteri purgans dogma Gentilium*: noctis, & errorum tenebras confutat, & depellit.

Ioan. 3.

Esai. 5.

Esai 49.

Apud Garamantas (teste Solino, cap. 32.) fons est mirabilis, qui noctu feruet, & diu friget: sic Diuus Thomas veram doctrinam sectantes, & in die luceque veritatis sana intentione cognoscendæ veritatis ambulantes benigna, & suaui luce refrigerat, & illuminat. Contra eos verò, qui hæresum, & errorum tenebras diligunt, feruet, illosque exurit. Verè Angelus est, qui ducit filios Ecclesiæ in columna nubis refrigerantis per diem: & in columna ignis illuminantis per noctem: quæ quidem Ægyptiis tenebrosa erat, & horribilis per noctem, vt ad se inuicem accedere non valerent Exod. cap. 14. sic hæretici in tenebris errorum, luce ignita Doctoris Angelici terrentur, horrent, neque sibi cohærent, sed in varia dogmata, & sectas diuiduntur. Aptissimè Doctori nostro verba sponsi accommodare possumus, quibus Ecclesiæ pulchritudinem per singula membra laudans, cap. 4. ait:

Solinus. D. Thom. Angelus est in columna nubis, & ignis ducens Ecclesiam.

Exod. 14.

Cant. 4.

Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium: Collum organum vocis est, & doctrinæ: quare Diuo Thomæ satis conuenit: cuius doctrina non est inanis, neque popularem auram captans: sed fortis, & solida: copiam habens, & armorum plenitudinem contra hostes Ecclesiæ: *es la armeria, y el archiuo de la sciencia de la Iglesia.* In templo Romanorum Iano dicato pendebant arma bellica: cuius Ianuæ tempore pacis claudebantur. D. Thomam armorum Ecclesiæ sacrum templum appellare possumus.

Lux creata est, vt diuideret diem à nocte: res distingueret, & cuiusque veritatem manifestaret: sic doctrina

S. Thom. lapis est Electorius. Thomæ verum à falso, mundum ab immundo, & pulchrum à turpi discernit. Verè lapis est Electorius, quo aurifices vtuntur, vt verum aurum à falso discernant: Et vt gradus valoris auri diiudicent: sic Sanctus Thomas gradus veritatis cuiusque doctrinæ discernit Et sicut aqua fortis confecta ex herba (quæ vulgo *Sosa* dicitur, & quæ in massa vitri commisceri solet) vim habet separandi aurum ab aliis metallis Eam vim habet doctrina Doctoris Sancti separandi verum à falso: vt meritò illi conueniat, quod Hierem. 15 dicitur, *si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Dum enim Diuus Thomas verum separat à falso, quasi per illius os Dominus loquitur. Verè illi conuenit oraculum Malach cap. 3 *sedebit conflans, & emundans argentum: & collabit eos quasi aurum, & quasi argentum: & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia* Per doctrinam enim Doctoris Sancti conflantur, & purgantur falsæ doctrinæ; & corriguntur deprauata ingenia: *vt conflent gladios in falces, & lanceas suas in vomeres* iuxta vaticinium Esai. cap. 2. & offerant arma sua, id est acumen ingenij, & vires, omnesque potentias in obsequium Christi, & Ecclesiæ. Quare de illo meritò canimus in hymno: *sit Gedeonis gladius, Tuba, Lagena, radius*

Doctrina Doctoris sancti vim habet separandi verum à falso.

Hierem. 15

Malach. 3.

Esai. 2.

Hierem. 6. Sed proh dolor, *quia frustra conflauit conflator, malitia eorum non sunt consumpta: argentum reprobum vocate eos.* Multi enim nouarum doctrinarum inuentores, ambitionis potiùs spiritu agitati, quam ædificationis Ecclesiæ,

Ecclesiæ, doctrinarum nouitate pacem perturbant: & dum suis contentionibus bona ingenia exercent, à grauioribus, & fructuosioribus studiis auocant, & retardant. Ab eiusmodi nouitatibus cauere magna cum Emphasi discipulum Timotheum admonuit Paulus primæ, cap 6 *ô Timothee depositum custodi deuitans prophanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ: quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* Quāuis enim apparentiam habeant scientiæ, sed non veritatem. Scientia enim non est, nisi de veris. Ideò ait Apostolus *oppositiones falsi nominis scientiæ.* Similiter 2 ad Timot. 2. Admonet, *noli contendere verbis: ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium.* 1. Tim. 6. 2. Tim. 2.

Tertiò lux radiorum suorum splendore omnia lætificat: Prouerb. 15 *lux oculorum lætificat animam.* Eccles. 11. *dulce lumen, & delectabile oculis videre solem.* Tobias hirundinum stercore excęcatus dixit capite 5. *quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* Tenebræ timore, & afflictione replent. D. Basil. *adueniente luce solis omnia exhilarantur, agritudines alleuiantur: bestiæ fugiunt: homines à somno excitantur, & ad laborem egrediuntur:* iuxta illud Psalm. 103. *ortus est sol, & congregati sunt* (scilicet *catuli leonum rugientes*) *exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam.* Plantæ, & viuentia omnia vegetantur. Sic per lucem Euangelicæ doctrinæ spirituali gaudio, & solatio repletur Ecclesia: sicut Paul. 1 ad Corinth. 14. ait. *Qui Prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, exhortationem, & consolationem.* Per Hierem. capite 31. promiserat Dominus, *conuertam luctum eorum in gaudium, & consolabor eos, & lætificabo à dolore suo.* Id quod per Saluatorem impletum est, sicut de ipsius ortu prædixerant Prophetarum oracula: & Angelus ad pastores dixit, *Euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Saluator.* Huius diuinæ lucis lætitia, & consolatio per Apostolorum, & Doctorum prædicationē per orbē diffusa est, & quasi suauis musica, prędicationis & doctrinę concentus orbē lætificat, & corda fideliū maximè cōsolatur. In annulo Regis Cyri celebratur lapillus, siue gēma dicta Achates, in qua depictę erāt

Lux lætificat. Prou. 15. Eccles. 11. Tob. 5. D. Basil. Psal. 103. 1. Cor. 14. Hiere. 31. Luc. 2.

nouem musæ cum citharis, & instrumentis musicis, inter quas medius Apollo cithara decorus musicæ concentum perficiebat teste Plinio lib. 37. cap. 15. & Solino cap 11. Doctores Ecclesiæ annulum Christi per varietatem doctrinæ, quæ musica est spiritus sancti, pulchrè exornant. Angelicus verò noster Doctor, veluti Apollo spiritualis musicæ concentum perficit: dum varias sanctorum doctrinas suis locis ordinatissimè, & pulchrè coaptat: virtutum concentum, & connexionem explicat, intellectum cum fide componit, voluntatisque liberum arbitrium cum diuina prouidentia. Sicque tanquam vera lux gaudio, & solatio cuncta replet. Vt verè de illo dicere possimus verba Esther 8 *noua lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium.*

Solino. *D. Thom. velut Apollo spiritualis musicæ sacræ doctrinæ concentũ perficit.* *Esth. 8.*

Quartò tandem lux vniuersalis est, quæ per omnia spargitur, diffunditur, & communicatur. Quare Saluator lux est per essentiam, & excellentiam: qui totus nobis datus est; & nobis natus: Totus noster est: omnia quæcunque audiuit à patre, nota fecit nobis Ioan 15 & virtus de illo exibat, & sanabat omnes Luc. 6 Quare sponsa Cantic. 1 meritò nomen illius oleum effusum appellat. Dumque nomen suum lucis non abscondit, neque sibi soli seruat; sed Apostolis sacrisque Doctoribus communicat, & cum nomine rem, atque vim communicauit lucendi per doctrinam, & exemplum. Ea ratione fontes dicuntur, qui aquas continent, omnibus diuidunt; & absque inuidia communicant: *quia sapientia abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque* Eccles. 20. Dicuntur & nubes Deuteron. 33 *magnificentia eius discurrunt nubes.* Et Esai. 60. *qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* Sacri Doctores sunt, qui doctrinæ imbribus terram fœcundant: talentumque sibi creditum non abscondunt, neque sibi solis retinent.

Cant. 1. *Apostoli & Doctores sacri fontes sunt & nubes aquas sapientiæ cõtinentes.* *Deut 33.* *Esai. 60.*

Qua in re offert sese locus ille in scriptura sacra satis difficilis, qui habetur 1. Paralipom. 4. vbi inter generationes tribus Iuda per familias suas dicitur: *& cognationes domus operantium byssum in domo iuramenti, & qui stare fecit solem.* Vbi magna difficultas est, quisnam fuerit in tribu Iuda, qui stare fecit solem. Non enim fuit

1. Paral. 4.

Iosue,

Iosue, qui (vt habetur cap. 10.) *stare fecit solem obediente Deo voci hominis:* quia ille non fuit ex tribu Iuda, sed ex tribu Ephraim Neque fuit Ezechias Rex, qui non fecit stare solem, sed decem lineis retrocedere, vt habetur Esai cap 38. Gloss. ordinar. & Abulensis dicunt communem Rabinorum sententiam esse, quod ille vocatus est Elimelech diuitiis, & rerum copia in ea regione potentissimus, sed maximè auarus: cumque ingens fames regionem illam premeret, timens ne per proximorum, & amicorum subuentionem, per misericordiæ, & liberalitatis opera diuitiæ minuerentur, patriam deseruit, & in aliam regionem migrauit. Cuius inaudita impietas tam execrabilis fuit, vt digna fuerit, vt non tantùm humanæ aures, & corda exhorrescant: sed & vt ad impietatis spectaculum sol ipse cursum sistens stet, atque stupeat: quasi lucis suæ radios ei denegans, qui in proximos tam impius fuit, vt nihil bonorum suorum ipsorum necessitati impertiri voluerit. Frequens enim in Scriptura sacra ea phrasis est, vt ad grauissimorum scelerum immanitatem exaggerandam cœli in stuporem inuocentur: sicut Hierem. 2. habetur, *obstupescite cœli super hoc:* sic ad exaggerandum impietatis scelus dicitur, *qui stare fecit solem:* ac si diceret, qui adeò impius fuit, & inhumanus ad proximos, indignus fuit, vt sol lucis suæ radios illi largiretur.

Iosue 10.

Esai 38.

Elimelech propter horrendũ impietatis scelus dicitur fecisse stare solẽ.

Hierem. 2.

Non sic Apostoli, & Doctores sacri: qui lucem de cœlo acceptam omnibus liberaliter diffuderunt. Sic Paulus Apostolus omnibus euangelizare paratus ad Romanos 1 ait, *Græcis, ac Barbaris, sapientibus, & insipientibus debitor sum: ita quod in me promptum est, & vobis qui Romæ estis euangelizare.* Et 1. ad Corinthios 9. *si non euangelizauero, væ mihi est* Inter omnes tamen Ecclesiæ Doctores Diuus Thomas maximo splendore lucet, qui diuinæ sapientiæ, atque lucis susceptos radios per orbem totius Ecclesiæ liberaliter dispersit: atque adeò non solùm lucem: Imò fontem hortorum dicere possumus, qui sapientiæ suæ aquas per omnes hortos Ecclesiæ diuidit, iuxta illud Prouerb 5. *deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Puteus est aquarum viuentium* Canticor. 4. *quæ fluunt impetu de Libano*, id est ex

Rom. 1.

1. Cor. 9.

S Thomas fons est hortorum Ecclesiæ.

Prouerb. 5.

Cant. 4.

est ex candidissimo monte, & altitudine diuinæ sapientiæ. *In diebus ipsius*, & ex eius doctrina *emanauerunt putei aquarum* Eccles. 50.

Eccles. 50.

Plinius.

Plinius libro secundo naturalis historiæ cap. 103. refert prodigiosum fontem apud Dodonam Iouis, qui cum sit gelidus, immersasq; in aquam faces extinguat: si tamen extinctæ admoueantur, accendit: sic vtiq; doctrina sancti Thomæ mirabilis est, quæ accensas errorum falsæ doctrinæ, libidinisque faces extinguit. Extinctas verò faces, lumineque carentes illuminat, & accendit. Quare meritò fons luminis appellatur: sicut de illo in hymno canimus: *de cuius fonte luminis Verbi coruscant facula, Scriptura sacra numinis, morum, & sapientia.* Apud Faliscum quoque fons esse dicitur, cuius aqua potata candidos reddit boues. Doctrina Diui Thomæ participatio est candoris lucis æternæ, quæ intellectum, & voluntatem candida luce replet: vt illi conueniat quod de sole dicitur, Eccl. 43. *pulchritudinē candoris eius admirabitur oculus, & super imbrem eius expauescet cor.* Imbrem enim diffundit: vt nubes, & candorem spargit vt sol. Fons est mirabilis, qui incorruptas aquas omnibus præstat: cui conuenit oraculum Balaan Prophetæ, Numeror. 24. *fluet aqua de situla eius, & semen illius erit in aquas multas.* Id quod in discipulis Doctoris sancti adimpletum est, & in dies adimpletur.

Tho. fons est luminis.

S. Thomas fluuius est Paradisi.

Tandem fluuium Paradisi Angelicum Doctorem vocare possumus: de quo Genesis 2. dicitur, *quod egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum: qui inde diuiditur in quatuor flumina.* Illius doctrina Paradisum Ecclesiæ rigat, voluptate replet; omnemque doctrinam quatuor Doctorum Ecclesiæ, velut aquas quatuor fluminum in se recipit: atque per aptissimos ductus diuidit. Fluuius est rapidus quem spiritus Domini cogit Esa. capite 59. qui hæreses, & errores submergit. Ecclesiæ verò filiis fluuius est splendidus, tanquam crystallus Apocal. 22. cuius doctrina splendida, facilis: *stylus breuis: grata facundia: celsa, clara, firma sententia*, vita splendidissima: adeoque humilis, vt quamquam sapientissimus pestiferæ superbiæ nullum senserit contagium. Per ipsius doctrinam poterimus satisfacere quæstioni pro-

Esai. 59.

Apoc. 22.

positæ Prouerb. cap 30. *quis colligauit aquas quasi in ve- stimento?* quæ verba Diuus Augustinus explicuit de aquis baptismi, quibus, qui abluuntur, Christum induunt. Verum doctrinæ nostri sacri Doctoris commodè aptare possumus: quam, qui pio animo suscipit, proculdubio induet Christum per lumen intellectus, & affectum voluntatis; neque *timebit domui sua à frigoribus niuis*, nec inferni, nec errorum, & hæreticorum: *& sicut omnia flumina intrant mare* Ecclesiastes, capite 1. Sic omnium sanctorum aquas, & doctrinam Angelicus Doctor colligauit, quasi in vestimento: debitoque ordine disposuit, vt paradisus, & horti Ecclesiæ commodiùs, atque facilius rigari possint. Ecce quàm verè gloriosus Thomas lux fuerit fulgentissima, spiritualis, purissima, & incoinquinabilis Ecclesiæ: qui errorum, & ignorantiæ tenebras dispulit, doctrinæque claritate noctem fugauit, & diem inuexit: verum à falso discreuit: noua luce, gaudio, & solatio orbem Ecclesiæ repleuit: lucis suæ radios absque inuidia communicauit: viamque iustitiæ cunctis ostendit: vt ipsius ductum sequentes lucem gratiæ nunc consequamur: & post huius vitæ curriculum in claritatem lucis transformemur, quam ipse obtinet in gloria. Amen.

Prou. 30.
August.
Eccles. 1.



IN EODEM FESTO
Diui Thomæ de Aquino.

CONCIO SECVNDA.

De sublimitate lucis.

THEMA.

Vos estis lux mundi. Matth. 5.



POSTOLICI muneris dignitatem voluit Saluator nouis, & gloriosis nominibus salis, lucis ciuitatis supra montem, & lucernæ super candelabrum explicare: potissimùm verò nomine lucis: cuius vocis rem adeò in se continuit Angelicus Doctor Thomas, vt in firmamento Ecclesiæ magno cum splendore lucem auxerit: ipsiusque radios magno cum ordine dispositos, ac dispersos fidelium captui attemperauerit. De tantæ lucis celsitudine dicturi, diuinæ gratiæ radium de cœlo petamus dicentes, *Aue Maria.*

Per sublimitatem lucis Diui Thomæ celsitudo designatur.

Ecclesi. 26.

Præter alias lucis celsitudines, quas superiori concione fusiùs prosecuti sumus, vltima illa non infimum locum tenet, neque silentio contegenda est, quòd tanquam eminenti, & sublimi creaturæ, sublimis locus à diuina maiestate in ipsa sua creatione concessus est: sic enim habetur Genes. 1. *fiant luminaria in firmamento cæli.* Et Ecclesiast. 26. *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei:* Et cap. 43. *altitudinis firmamentum pulchritudo eius est*, scilicet solis. *Ecclesia Christi columna est, & firmamentum veritatis* 1 ad Timoth. cap. 3. Apostoli, & Doctoris sacri luminaria sunt posita, vt luceant in firmamento Ecclesiæ, & diuidant aquas superiores ab inferioribus, id est puram, & cœlestem doctrinam à terrena, & falsa, carnisque prudentia: sic de Apostolis dicit Paul. ad Philip. 3. *nostra conuersatio in cælis est*, & re ipsa expertus,

pertus, dum ad tertium cœlum raptus est: & sicut sol vapores terrenos ad se trahit, & eleuat: sic desiderabat cunctos fideles in cœlum attollere, dùm ad Colossen. cap. 3. ait, *quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Similiter sacti Doctores cœlestem in terris conuersationem habebant, & illuc omnes eleuare, atque à terrenorum, labentiumque bonorum affectu animos auocare, sursumque extollere doctrina, & exemplo satagebant. Cœli sunt sublimes, *qui enarrant gloriam Dei*, & in terram salubriter semper influunt Inter hos Angelicus noster Doctor, vt verum cœlum, sedesque Dei: & tanquam vera lux sublimem locum tenuit: semper enim à puero mens ipsius in cœlum eleuari cœpit; nil enim nisi cœlestia appetebat, terrena calcabat: quare & Archiepiscopatum Neapolitanum à Clemente sibi oblatum acceptare noluit. Cœlestia enim vehementer optabat, vt potiora, animoque dulciora. Tanta enim, tamque ineffabili dulcedine diuinæ contemplationis rapiebatur illius spiritus, vt sæpè visus fuerit corpore quoque per duos cubitos eleuatus à terra. Virtus enim eximiæ lucis, quæ in ipsius mente splendebat, corpus etiam eleuabat. Semper altum sapiebat: & in sublime eleuabatur: vt meritò illum vocare possimus magnam illam arborem, de qua Daniel. 4. *cuius proceritas contingens cœlum, & aspectus illius erat ad terminos vniuersæ terræ. Folia eius pulcherrima, fructus nimius, & esca vniuersorum est in ea:* tam auibus, & iustis: quàm pro bestiis, & peccatoribus. Et quamquam non desunt, qui nouis doctrinis arborē succidere conantur, veruntamen germen radicum eius, & solidæ doctrinæ in Ecclesia relictum semper viuit, viget, viret, præualet, & præualebit: & magna in dies incrementa suscipiet.

Archiepiscopatum Neapolitanum recusauit.

In contemplatione cœlestium à terra eleuabatur.

Arbor est sublimis Danielis.

Daniel 4.

Quo loco satis aptè Doctori Sancto congruit benedictio, qua Genes 49. Patriarcha Iacob benedixit Ioseph filio suo dicens, *filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu*: quasi dicat quod de Priamo dictum est, *species Priami imperio digna*: sic species Ioseph simul cum congenita liberalitate digna fuit imperio: id quod insinuat alia lectio, quæ sic habet: *Ioseph sicut arbor fructifera iuxta fluuium*: quem Hebraismum sic exponit

Genes 49.

D. Hieron. ponit Diuus Hieronymus, quòd apud antiquos in aliquibus regionibus mos erat, vt Regum, & principum Omagium, siue iuramentum fieret sub arbore frondosa, & pomifera: vt ex arboris vmbra, & fructuum copia protectio subditorum, atque liberalitas in subleuandis eorum necessitatibus (quæ duo principes maximè decent) manifestè indicarentur. Id quod & in nostra Hispania Cantabri similis consuetudinis antiquo gaudent priuilegio, vt sub arbore frondosa apud Guernicam Regum inauguratio, & Omagium celebretur Cui rei consonat magni Patriarchæ Abrahami consuetudo, qui (vt habetur Genes. capite 18.) sub arbore tabernaculum constituerat, vbi peregrinos hospites excipiebat, & reficiebat: vbi cum ei tres viri apparuerunt, quos adorans Angelos esse intelligens, vt verè erant, deprecatus est, vt requiescerent sub arbore. Verè Angelicus noster Doctor filius fuit beatissimi Dominici *accrescens, & decorus aspectu*, semper vltra progrediens in vita, & post mortem: per lucem doctrinæ semper augmenta suscipiens. Arbor fuit vmbra doctrinæ protegens, copiosóque, ac suaui fructu reficiens: iuxta fluuium Euangelicæ Doctrinæ plantata. Possumus etiam D Thomæ sublimitatem, & celsitudinem comparare scalæ, *quam vidit Iacob* Genes. capite 28. *cuius cacumen contingebat cælum: & Angelos Dei ascendentes, & descendentes.* Ipsius enim Angelica Doctrina scala est, per quam Deus per ipsius cognitionem ad nos descendit: & nos ad ipsum ascendimus. Sed quid est quod Iacob vidit *Dominum innixũ scalæ*? Nunquid Dominus Diuo Thomæ innititur, aut in ipsius doctrina sustentatur? Ita sanè: quia quamuis Deus in se ipso subsistat, & omnia sustineat, atque contineat: cæterum vt ipsius cognitio perspicuè, & lucidè nobis communicetur, videtur diuina bonitas Thomam elegisse, vt diuina cognitio, quæ in terris habetur, ipsi innitatur. Hinc est, quòd Sacra concilia illius doctrinã suscipiunt, Ecclesiaque libenter, & honorificè amplectitur: & contra hæreticos, fideique hostes ab illo, tanquam fortissima turri Dauid clypeos, & omnem armaturam fortium capit: vt videntes hæretici soliditatem, fortitudinemque doctrinę, verè dicant, quod Iacob visa scala:

Regis inauguratio sub arbore frondosa, & pomifera fieri solebat.

Genes. 18.

Scala Iacob doctrina est. S. Thom.

Genes. 28.

scala: *quàm terribilis est locus iste! Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli.*

Et propter eandem sublimitatem doctrinæ Doctoris sancti possumus illum dicere aquilam esse *magnarum alarum, sublimisq; volatus* (de qua Ezechiel 17.) *qua tulit medullam cedri*: quia in explicatione mysteriorum fidei, tam Trinitatis, quàm Dominicæ incarnationis omnibus sacris Doctoribus altius volauit. Quare quamquam Doctores omnes lucis nomen habeant, & rem: nescio tamen qua ratione Angelicus noster Thomas quintus Doctor Ecclesiæ magis splendet inter illos sicut D. Augustinus apparens cuidam sancto viro dixit: *Thomas mihi par est in gloria, virginali præstans munditia.* Et propter virginalis puritatis donum, maiori splendore diuinæ lucis emicuit. Vt enim virgo à Domino electus, & dilectus Ioannes ait, Apocal. 14. virgines sunt primitiæ, primiquе fructus Deo, & agno gratissimi *qui sequuntur agnum quocunque ierit*: quasi per virginitatis donum agiliores, agnoque propinquiores: & cantant canticum illud nouum, & singulare, quod solis virginibus canere datum est. Eccles. 33. habetur quæstio insignis: *quare dies diem superat, & iterum lux lucem, & annus annum à sole?* Quasi dicat, cum omnes dies, & anni idem principium habeant, nempe solem, quare vnus alterũ superat, & vnus dies lætus succedat, alter tristis: vnus clara luce splendeat: alter verò nubibus, & caligine obducatur: vnus in diem festum eligatur, & exaltetur: alter verò laboriosus sit? Cui quæstioni diuinus spiritus statim respondet, *quod à Domini scientia separati sunt, & per Dei sapientiam diuiduntur.* Et similiter subdit, *quod omnes homines de solo, & ex terra, vnde creatus est Adam. In multitudine disciplinæ Domini separauit eos, & immutauit vias eorum, quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmare illud, & disponere: sic homo in manu illius, qui se fecit.* Similiter docet Paulus 1. ad Corinth. 15. *sicut non omnis caro eadem caro, sic & inter corpora cœlestia discrimen est. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum: stella enim differt ab stella in claritate.* Sic Angelicus Doctor differt ab aliis Doctoribus in claritate, ordineq; doctrinę, Sic enim de illo canit Ecclesia

D. Thom. aquila est magnarũ alarum.

Ezech. 17.

Apoc. 14.

Eccles. 33.

1. Cor. 15.

Angelicus Doctor

plusquam

præcedit alios claritate ordine, neq; doctrina. *plusquam Doctores cæteri purgans dogma Gentilium.* Doctorum omnium lucem velut sol in se suscepit, debitoque ordine disposuit, & coaptauit. Vt verè illum nouam lucem vocare possumus: & quod sicut creata luce *vidit Deus lucem, quod esset bona*: sic visa noua luce D Thomæ dixit quod esset bona: sic enim ipsi oranti imago crucifixi affata est, *benè scripsisti de me Thoma.*

Illud verò maxima consideratione dignum est, quod primo die creata est lux: sed quarta die productus est sol. Id quod multum difficultatis præbuit sacris Doctoribus Vix enim intelligi potest lux aliqua naturalis, quæ non procedat a sole. *D. Aug.* Diuus Augustinus libro 11 de ciuitate Dei capite 17 intelligit per creationem cœli Angelorum creationem: per lucem verò gratiam illis infusam: in qua boni confirmati sunt. *Damasc.* Damascenus, quod fuit splendor quidam instar nubis *S. Thom.* Sanctus Thomas 1. part. quæstione 67 artic 4. secutus Dionysium 4 capite de diuinis nominibus, quod primo die creata est lux, quarto verò die maior perfectio, & pulchritudo illi addita est: atque temporum distinctio diei, & noctis, veris, & hyemis. *Sol quo modo quarto die creatus sit.* Tunc lux solis cœpit lunæ, & stellis communicari, & omnibus inferioribus, tam animalibus, quàm plantis omnia enim prius erant incomposita, & quasi sine vita. Similiter lux diuinæ sapientiæ, quæ à Deo, vt primo fonte lucis procedit, cœpit Apostolis, & sacris Doctoribus communicari. Et quamquam ante Christum Dominum communicata fuerat lux antiquis patribus, Patriarchis, & Prophetis: nondum tamen plena lux solis affulserat, *donec venit plenitudo temporis*, & sol iustitiæ Christus lucis suæ radijs orbem Ecclesiæ illuminare cœpit. *Tempus natiuitatis Christi quartus dies fuit, quo sol diuinus effulsit.* Ille fuit quartus dies, quo diuinus sol ex aurora, sacra (inquam) virgine processit. Ipse est enim, *cuius facies est vt sol*: sicut vidit Ioannes Apocalyp. cap. 1 *Ipse est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: *& qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium* Habet quoque *in dextera sua septem stellas*: vbi per dexteram fortitudo, per numerum verò septenarium multitudo luminarium firmamenti Ecclesiæ significatur *Apoc. 1. 1. Cor. 4.* Inter quæ primum locum tenent Apostoli, deinde Pastores, & Doctores:

ctores: qui ſplendent in firmamento, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Non enim ſunt *ſydera errantia*: de quibus Iudas Apoſtolus in ſua Canonica ait: *quibus procella, ſine caligo tenebrarum ſeruata eſt in æternum*: qui lucem veritatis promittentes, nunquam in eadem luce permanent: ſed variis nouis, & lubricis doctrinis lucem perturbant: oſtentationémque ingenij potius, quam veritatem ambientes, tenebrarum caligine, veritatis, & ſanæ doctrinæ lucem obſcurant. *Qui vero Docti fuerint*, & ſanæ doctrinæ amatores *fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti*. Inter hos fulget, vt ſol D. Thom. *Iudas.*

Meritò illum ſolem vocare poſſumus: quia ſicut ante productionem ſolis lux informis erat, neque plenos effectus influebat in inferiora, donec ſol lucis plenitudinem in ſe recipiens mirabiles, & beneficos effectus per orbem diſperſit: ſic doctrina aliorum ſanctorum ante Diuum Thomam erat quaſi informis, donec per ipſum formata eſt, & in ordinem redacta: vt verè dici poſſit, quod per illum noua lux oriri viſa eſt. Ipſique conueniunt verba Eccleſiaſt 33 *ego nouiſſimus euigilaui, & quaſi, qui colligit acinos poſt vindemiatores, in benedictione Dei, & ipſe ſperaui: & quaſi qui vindemiat repleui torcular.* Variis enim racemis, diuerſiſque expoſitionibus Scripturæ ſacræ, mirabilique doctrina repleuit torcular Eccleſiæ. *Reſpicite, quoniam non mihi ſoli laboraui, ſed omnibus exquirentibus ſapientiam*. Cæteri Doctores duodecim illæ ſtellæ ſunt, quæ ornant coronam Eccleſiæ, Apocalypſis 12. Thomas verò ſol eſt, quo eſt amicta. Indumentum eſt, quo protegitur, & illuminatur. Angelus ille fortis eſt, *cuius facies eſt vt ſol*, Apocalypſis 10. *Et in manu ſua habebat libellum apertum*: quia doctrina illius aperta eſt, & luce plena. In anima ipſius ſancta, & puriſſima incluſit Dominus theſauros ſapientiæ ſuæ: vt velut alter Ioſeph pro tempore famis, & neceſſitatis Eccleſiæ frumenta doctrinæ reconderet. Ipſe eſt cuius doctrinæ manipulum circumſtantes manipuli adorant Geneſis 37. & cuius doctrinam ſol, luna, & ſtellæ, id eſt, Chriſtus crucifixus, Virgo ſanctiſſima, Apoſtoli Petrus, & Paulus illi apparentes approbant, & laudant: omneſq; ſacri Doctores ſummo honore venerantur, & adorant

D. Thomas ſol meritò vocari poteſt.

Eccleſ. 33.

Apoc. 12.

Apoc. 10.

Gen. 41.

Gen. 37.

D. Thom. tanquam alter Ioſeph fru-

Quis

menta doctrinæ seruauit Ecclesia. Quis abyssum, & altitudinem sapientiæ illius explicare valeat? Aliquid tamen coniectari licebit ex visione illa, qua Danieli iuxta fluuium magnum leuanti oculos suos ostensus est *Vir vestitus lineis, & renes eius accincti auro*
Daniel 10. *obryzo, & corpus eius quasi Chrysolitus, & facies eius velut species fulgoris, & oculi eius vt lampas ardens:* in quibus Angelici Doctoris Candor, puritas, castitas à Deo per Angelorum cingulum confirmata, & splendor doctrinæ aptissimè depinguntur. Verba, quæ de Simo-
Eccles. 50. ne Oniæ filio Eccl. 50 dicuntur, ipsi conueniunt. *Quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei* Verus sol fuit puritate vitæ, splendoreque doctrinæ. Homerus finxit
Plato. catenam auream mundum ambientem: quam Plato in Theæteto nil aliud esse dixit, quàm solis circulum, quo
Eccles. 1. cuncta continentur iuxta illud Ecclesiast. cap. 1. *oritur sol, & occidit, ad locum suum reuertitur.* Sic verus sol
S. Tho. cōuenit, catena aurea, siue torques duplex splēdidus. Thomas cum catena aurea, imò & cum fulgentissimo serto, duplicique torque aureo visus est: quod constantis virtutis insigne, præmiumque victorum esse dixit D. Gregorius cap. 31. Moral. cap. 19. Huius solis radiis hæreticorum tenebræ fugantur, nouarum doctrinarum nebulæ disperguntur, & alma Ecclesia, sinceriique filij clara, benignaque luce illuminantur, & fruuntur.
D. Greg. Illum præterea Angelum alterum vocare possumus,
Apoc. 18. à cuius gloria terra illuminata est Apocal. cap 18. vel il-
Apoc. 19. lum alterum, quem capite 19. Vidit Ioannes stantem in
D. Thom. Angelus verè dici potest. sole: ille siquidem per fidei stabilitatem, doctrinæ constantiam, & perspicuitatem verè stetit in sole, *& clamauit voce magna omnibus auibus, quæ volabant per mediū cæli,* id est electis, *quorum conuersatio in cælis est: Venite & congregamini ad cænam magnam Dei,* vel magni Dei, id est ad sacrum Eucharistiæ conuiuium, de quo ipse mirabiliter scripsit: vel ad cœnam æternam cœlesteque conuiuium, quod Christus Dominus in beatitudine electis disposuit Ad cuius suaues epulas Angeli nostri doctrina semper inuitat.

Ad hæc sol mundi anima, & mens, cœlique cor dicitur diuinitatisque symbolum. Hinc Persæ Idolatræ so-
Persarum regnum lem adorabāt. Quare Dario propter hinnitum ab ipsius equo ante alios editum in solis ortu, Persarum regnū omnium

omnium consensu delatum est Ipsa quoque vox sol, & lux tribus litteris Trinitatis mysterium indicat. In sole tria splendor, radius, & calor Et D. Augustinus eleganter dixit; quod esse pertinet ad lucem, quia prima creatura suscepit primitias essendi. Sicut igitur Saluator nomen lucis, & rem absque inuidia Apostolis, Doctoribus, atque Diuo Thomæ communicat: sic etiam illos diuinitatis suæ participes efficit: non solum per gratiam, quæ iustis omnibus concedit, vt diuinæ sint consortes naturæ: quo sensu dicitur in Psalm. ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes: sed quia lux symbolum est diuinitatis, ob candorem & puritatem: sicut Sapient. 3. dicitur, *candor est lucis æternæ*.

propter primum hinnitum equi in ortu solis Dario delatum.

D. Aug.

2. Petri 1.

Psal. 81.

Sap. 3.

Præclarissimum ergo iubar noui orbis Ecclesiæ, splendidissimumque sol Thomas sublimem, & excelsum locum obtinet. Illaque verba, quæ Iob 36 habentur, singulari ratione ipsi conueniunt: *in manibus abscondit lucem*: siue immanibus, & superbis Deus abscondit lucem: iuxta illud Matthæi 11. *abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Thomæ verò humili, & paruulo in oculis suis, diuina sapientia non tantum reuelauit cœlestia mysteria, sed anuuntiauit de luce amico suo, quòd possessio eius sit, & quòd ad eam possit ascendere. Infans enim adhuc in cunabulis, dum Angelicum Aue decorauit, lucis possessionem apprehendit: per doctrinam & euangelicam vitam possessionis suæ actus in terris prosecutus est: & Cometa alba per tres dies ante mortem Angelici Doctoris apparens, mortem illius, cuius possessio erat lux, testata est. Atque ex hoc mundo discedens ad eam ascendit in æternæ lucis imaginem transformatus, ex possessione lucis gratiæ, apprehendit proprietatem lucis gloriæ.

Iob. 36.

Matth. 11.

Lux possessio fuit D. Thoma.

IN

IN EODEM FESTO,

CONCIO TERTIA.

De spiritu sapientiæ Diuo Thomæ de cœlis dato.

THEMA.

Optaui, & datus est mihi sensus: & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ. Sapient. 7.

Iob. 9. DIVINVS Spiritus inuisibilis est: neque aduentus ipsius potest haberi clara notitia Iob, cap. 9. *Si venerit ad me non videbo eum: si abierit, non intelligam.* Quare illius sensum
Ioan. 6. nemo cognoscere valet, nisi datum ei fuerit desuper Io-
Sap. 9. an cap. 6 & Sapient. cap. 9. *Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis?* Medium potissimum ad obtinendum est: desiderium, & oratio: sicut verba proposita Salomonis nos edocent: *optaui & inuocaui.* De sapientia igitur dicturi, quam de cœlo sibi datam Angelicus Doctor accepit; optemus & nos, supplicesque per sacræ Dei genitricis intercessionem inuocemus dicentes, *Aue Maria.*

Sapientissimus Rex Salomon eo cap. 7. explicat quid habuit ex natura, quid verò ex gratia. Ex natura enarrat vilia principia: ex gratia verò habuit diuinam sapientiã, quam per desiderium, & deprecationem obtinuit. Naturæ verò vilitatem fusius explicat: nempe mortalita-
Hieron. tem ex genere terreno, atque ex corruptibili massa lu-
Sapientium vita mortis meditatio. tea. *Sum quidem & ego mortalis homo similis hominibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus est.* Hieronymus ad Heliodorum: *fatendum nobis est, omnem sapientum vitam meditationem esse mortis.* De Pauone dicitur, quòd

quòd pennarum suarum pulchritudine circulum agens gloriatur: sed videns pedum turpitudinem, quasi confusus pennas demittit. Threno cap. 1. *sordes eius in pedibus eius: nec recordata est finis sui* Prima radix superbiæ ignorantia est: neque vnquam homo de scientia gloriabitur, nisi in eo aliqua ignorantia dominetur. Vnde Bernardus sermone 37 in Cantica, *de ignorantia tui venit in te superbia Hac initium omnis peccati, cum maior es in oculis tuis, quàm apud Deum* Iterum Bernard. in illud Ecclesiastici, cap 7. *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis: mortis horrorem, iudiciiq́ tremendi discrimen, ardentis Gehennæ metum, ab oculis cordis tui nullatenus elongari patiaris.* Agathocles Siciliæ Rex nunquam permisit sibi ministrari in mensa, nisi in vasis fictilibus. Rogatus à familiari, cur ita faceret: Respondisse fertur, quia quamuis nunc Rex sedeo, generis tamen mei volo semper habere memoriam. Erat enim filius cuiusdam figuli: sicut cecinit Martialis lib. 4 Epigram. Thren. 1. Bernar. Bernard. Agathocles rex fictilibus vasis in mensa vtebatur. Martial.

Fictilibus cœnasse ferunt Agathoclea Regem,
Atq́ abacum Samio sæpè onerasse luto.
Quærenti causam, respondit Rex ego sumq́
Siciliæ figulo sum genitore satus.

Sic Salomon quàmquam filius Dauid Regis, de regio sanguine minimè gloriatur, sed de terra se plasmatum, de qua primus homo formatus est Ecclesiastici, cap 33 *omnes homines de solo, & terra: vnde creatus est Adam* Esai capite 64. *Domine pater noster es tu: Nos verò lutum.* Hierem. capite 18. *sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea domus Israel.* Vnde subdit Salomon: *& nemo ex regibus aliud habuit natiuitatis initium Vnus ergo introitus est, ad vitam, & similis exitus.* Vnde versus: Eccle. 33. Esai. 64. Hiere. 18.

Mors Dominum seruo, mors sceptra ligonibus æquat:
Dissimiles simili conditione trahit.

D Bernard in meditationibus, *quid superbis puluis, & cinis, cuius conceptus culpa, nasci miseria, viuere pœna, mori angustia?* D. Bern.

Iam verò explicat Salomon quid habuerit ex diuina gratia: *propter quod optaui* Causam desiderij explicat, nempe propter excellentiam diuinæ sapientiæ: & modum

dum quo obtinuit. De illius excellentia asserit, quod præposuit *illam regnis. & sedibus, diuitiis, lapidibus pretiosis: & omne aurum in comparatione illius arenam exiguam, & argentum, tanquam lutum* æstimauit in conspectu illius. Cum sapientia enim veniunt *omnia bona: & innumerabilis honestas per manus illius:* veraq; cordis lætitia: *& tandem infinitus thesaurus est hominibus. Propter quod optaui, & datus est mihi sensus.* Quo verbo meritò redarguit superborum iactantiam: quorum aliqui dicunt, per naturale ingenium se adeptos sapientiam: aliqui per industriam, laborem, & studium. Salomon verò humiliter dicit, non fuisse acquisitum sapientiæ spiritum, sed sibi de cœlo datum: sicut & Paul. ait 1. ad Corinth. 4. *qui habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Et 1. ad Corinth. 2. *Nobis reuelauit per spiritum suum.*

1. Cor. 4.

2. Cor. 2.

Optaui. Adeò natiuus est homini appetitus sciendi, quòd quanquam primus homo creatus est à Deo plenus sapientia: serpens tamen cognoscens hominis appetitum, ex arbore scientiæ pomi pulchritudinem oculis obiiciens, illiusq; esum medium dicens: vt plura scirent, protoparentes decipit dicens: *si comederitis, aperientur oculi vestri: eritisq; sicut dij, scientes bonum & malum.* Per appetitum sciendi diuinæ sapientiæ lucem obscurauit: intellectum ignorantiæ tenebris operuit, volûtatis propensionē retardauit, & à bono reuocauit. Hinc vniuersalis illa totius humani generis cęcitas intellectus, & mētis caligo: hinc tot errores, & varię sectę vltimo fine hominis, & beatitudine: hinc tot idolorū, falsorumq; Deorum figmenta. Nam (vt Sapient. 9. dicitur) *difficile æstimamus, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu nostro sunt, inuenimus, cum labore: quæ autem in cælis sunt, quis inuestigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam: & miseris spiritum sanctū tuum de altissimis?* Sensum Domini vocat diuinam sapientiam; quæ vtique sapientia dicitur quasi sapida scientia. Sensus verò dicitur translato nomine à sensitiua cognitione ad intellectiuam, & scientiam Dei, & sanctorum: quam docet, & inspirat diuinus spiritus, non solum per illustrationem intellectus, sed per affectum voluntatis. D. Thomas in illa verba

Sap. 9.

S. Thom.

Paul. ad Heb. 5. *perfectorum est solidus cibus, qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus*: dicit ex Philosopho, quod intellectus, pro vt iudicat de appetendis, & agendis, dicitur sensus: quia est relatus ad aliquid particulare: vnde non accipitur sensus pro exteriori, sed pro interiori cognitione cum affectu, & delectatione. Qui hunc sensum habet, benè iudicat de his, quæ in Dei obsequium agenda sunt, & perfectus est. Sic Paul. 1 ad Cor. 2. *Nos autem sensum Christi habemus*: & ad Phil. 3. *quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus.*

Sensus accipitur pro scientia sanctorũ. *Heb. 5.* *1. Cor. 2.* *Phil. 3.*

Deinde habet anima sensus suos spirituales: oculos ad videndum. 2. ad Cor. 3. *nos reuelata facie gloriam Domini speculantes*: habet aures, vt in Psal. *audiam quid loquatur in me Dominus Deus*: habet adoratum, Canti. 1. *trahe me, post te curremus in odorem vnguentorum tuorum*, habet gustum Psal. 33. *gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus*. habet & tactũ, Canti. 5. *venter meus* (ait sponsa) *intremuit ad tactũ eius.* Tunc anima sponsi tactum sensit, cum Christo Domino compatitur, illiusque opera imitatur. In hoc sensu ait Paul. ad Phil. 2. *hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu*: & ad Rom. 8. *qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sentiunt: qui verò secundum spiritum sunt, quæ spiritus sunt, sentiunt*: quia non solum interiores effectus habet diuina sapientia: sed ipsis quoq; actionibus, & sensibus exterioribus communicatur: in modestia, loquela, & in exteriori sensuum compositione, tranquillitate, affabilitate, mansuetudine & humilitate: imò & in ipsa facie p claritatẽ vultus splendere solet: vis enim diuinæ sapientiæ sensus quoq; exteriores eleuat: sicut Ezech. 1. dicitur de animalib. sanctis, quòd *cum ambularẽt, ambulabãt pariter & rota iuxta ea: & cum eleuarẽtur de terra, eleuabãtur simul & rota: spiritus enim vitæ erat in rotis*, id est, cõmunicabatur: id q in frequẽtissimis Angelici nostri Doctoris raptib. cũ in orationis feruore, meditationisque dulcedine a terra eleuabatur, manifestè ostensum est. In hac significatione accipitur sensus: sicut Sap. 1. dicitur, *sentite de Domino in bonitate: & in simplicitate cordis q̃rite illũ* ¶ Spiritus vero sapientiæ radix est ipsius, spirit⁹ sc. diuin⁹, q participes efficit, & *co sortes diuinæ na-*

Anima sensus suos habet spirituales. *2. Cor. 3.* *Psal. 84.* *Cant. 1.* *Psal. 33.* *Cantic. 5.* *Phil. 2.* *Rom. 8.* *Ezech. 1.* *Sap 10.* *Spiritus sapientiæ*

consortes efficit diuinæ naturæ. *1. Petr. 1.* *Rom. 8.* *Sap. 7.* *Iob 38.* *D. Greg.* *1. Cor. 2.* *Luc 24.*

tura. 1. Petri 1. *Quo qui aguntur, filij Dei sunt* Roman capite 8. Cum diuino spiritu veniunt *omnia bona: & innumerabilis honestas, quia quamuis vnicus spiritus sit, multiplex tamen est, subtilis, disertus mobilis, imò omnibus mobilibus mobilior est sapientia.* Iob capite 38. quærit Dominus, interrogatque Iob, *quis dedit gallo intelligentiam, & posuit in visceribus hominis sapientiam?* Quod de doctoribus explicuit D. Gregor. 30. Morali. Cui quæstioni respondet Paulus 1. ad Corinth. 2. *Nos sensum Christi habemus*, quasi dicat: Christus, tanquam magister de cœlo missus, diuinam sapientiam reuelauit, & docuit Apostolos: & sicut dicitur Luc. 24. *aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas.* Saluator verò potissimum illuminauit intellectum: promisit verò Spiritum sanctum, vt voluntatem afficeret, quare & in igneis linguis missus est, vt voluntatem accenderet, & inflammaret. Hoc est quod Ioan. 14. Christus promiserat Apostolis: *cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, spiritum veritatis, qui à patre procedit: ille vos docebit omnia: & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* D Greg. 11. Moral. capite 17. in illud Iob 13 *loquar, quod mihi mens suggerit, suggestio loquela est spiritus: inspiratio est, & occulta vox spiritus:* de qua Iob 4. *ad me dictum est verbum absconditum: & quasi furtiuè suscepit auris mea verba susurrij eius. Hic est ille sibilus auræ tenuis*, in quo Elias eruditus est de aduentu diuini spiritus. *Non enim in commotione Dominus, nec in igne: sed in aura leni.* Huius suauitatem dum sponsa gustauit, dixit Cantic. 1. *meliora sunt vbera tua vino.* Vbi Diuus Bernard. per vinum humano artificio, & labore ex vuis expressum, scientia acquisita significatur: per vbera, quæ velut naturalis fons lac effundunt, scientia reuelata designatur. Vinum inebriat, lac suauiter nutrit.

Spiritus sanctus voluntatis est magister. *Ioan. 14.* *D. Greg.* *Suggestio loquela est Spiritus sanctus.* *Iob. 4.* *3. Reg. 19.* *Cantic 1.* *D. Bern.*

At verò de hoc diuini spiritus dono quærit Esai. capite 28. *quem docebit scientiam, & intelligere faciet auditum?* Cui quæstioni statim respondet: *ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus.* Lac diuini spiritus dulcissimum est: neque cum lacte mundi, & carnis degustari potest: oportet prius ab illo ablactari. In cuius rei typum Abraham in die ablactationis Isaac fecit conuiuium Genes. 21.

Esai 28. *Lac diuini spiritus cũ lacte mundi gustari nõ potest.*

nes. 21. Et Samuel ablactatus oblatus est Domino. 1. Reg 1. Quia vt Iob 28. Dicitur, *diuina sapientia abscondita est ab oculis omnium viuentium*: id est à filiis huius seculi, qui mundi deliciis fruuntur, vanitatem sequuntur, atque diuitiis, & mundi negotiis sunt intenti Vnde subditur: *semitam ignorauit auis*, id est homines inconstantes, & leues, *nec intuitus est oculus vulturis*, id est carnales homines: *nec calcauerunt eam filij institorum*, id est negotiatorum: *nec inuenitur in terra suauiter viuentium* In solitudine cathedram sapientiæ habet spiritus sanctus: ibique suauissimum lac promittit *ablactatis à lacte* mundi per Oseam c. 2. *ecce ego lactabo eam*, *& ducam eam in solitudinem*: *& loquar ad cor eius* Ibi per Spiritum sanctum docti sunt, & lactati Abraham, Isaac, Iacob. Moyses, Dauid, Elias, Ioannes Baptista, Apostoli, Doctoresque sancti: Paulus primus eremita, & magnus ille Antonius: ac tandem in eadem schola eruditus est Angelicus noster Doctor Thomas.

Gen. 21. *1. Reg. 1.* *Iob. 28.* *In solitudine cathedram habet spiritus sanctus.* *Ose. 2.*

Medium verò, modum, & dispositionem, quibus tantum donum diuini sensus, & spiritus obtinetur, edocet nos Salomon dicens: *optaui, & inuocaui*: nempe per desiderium, & orationem Sunt enim pretiosissima dona, quæ de cœlo descendunt: Iacobi 1. *omne datum optimũ, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum*: neque datur, nisi optantibus, & esurientibus: sicut alma virgo Luc. 1. in Cantico dixit: *esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* In hoc sensu intelligitur illud Prou 4. *principium sapientiæ, possideo sapientiam: & in omni possessione tua acquire prudentiam: arripe illam, & exaltabit te: glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus, dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te.* & Sapient. 6 *concupiscite sermones meos, & diligite illos: & habebitis disciplinam.* Ecclesiast. cap. 24. *transite ad me omnes, qui concupiscitis me: & a generationibus meis implemini: spiritus enim meus super mel dulcis.* Concupiscentia nutrimenti, & cibi signũ est sanitatis. Sapientia, & verbum Dei cibus est animæ Matth. cap 4 *non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei* Ambros. *quisquis verbo Dei pascitur terrenum pabulum non requirit*: & iterum eodem

Per desiderium, & orationem communicatur spiritus sapientia. *Iacobi 1.* *Luc. 1.* *Prouerb. 4.* *Sap. 6.* *Ecclesi. 24.* *Matth. 4.* *Ambr.*

Sapient. 6 dem cap. 6. Sap. dicitur: *præoccupat autem qui se concupiscunt, Vt illis se prior ostēdat*, id est Deus ipse, qui sapiētia est increata, per gratiā præuenientem præoccupat eos, qui se concupiscunt, & diligunt: Ille enim semper nos præuenit iuxta illud Psal. *misericordia eius præueniet me.* Diuus Bernhardus; *ô dulcis Iesu primus es in accessu, & Vltimus in recessu.* 1. Ioan. 4. *In hoc est charitas: non quia nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos* Optate verò oportet, & desiderare. Hoc enim medium est necessarium, vt mens disponatur susceptioni cœlestis doni, diuinæque sapientiæ. Antequam Iacob frueretur pulchritudine, & amplexib. Rachel, optatisq; nuptiis, prius per quatuordecim annos maximis desideriis optauit, & pro ea seruiuit: sicut habetur Gen. 29. Moses optauit, & inuocauit, Dominumq; precatus est, *ostende mihi gloriam tuam*: cui respondit Dominus, *ego ostendam omne bonum tibi* Ex. 33. Eliseus duplicem spiritum Elio per desiderium, & perseuerantem petitionē obtinuit 4. Reg. 2 Danieli quoq; cap. 9. dixit Angelus Gabriel, *ego egressus sum, Vt docerem te, & intelligeres: quia Vir desideriorum es.* Rex quoq; Dauid Psal. 118. *concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.*

Psal. 58. D. Bernar. 1. Ioan. 4. Per desiderium disponitur mens ad susceptionem diuinæ sapientiæ. Gen. 29. Exod. 33. 4. Reg. 2. Dan. 9. Psal. 118.

Antequam Dei filius in mundum descenderet, cōueniens fuit, vt moras ageret: quò desiderium aduentus ipsius in mentibus mortalium cresceret ex infirmitatis propriæ cognitione, & malorū experimento: sicut docet noster Doctor Thomas 3. par 1 art. 5. Hinc clamor, & desideriū antiquorū patrum explicatur per Esa. cap. 45 *rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem*: & cap. 64. *Vtinam dirumperes cœlos, & descenderes.* Hoc significauit mystica illa sitis Dauid 2 Reg. 21. & Psal. 41 *sitiuit anima mea ad Deū, fontem Viuum*: cui respondit Christus Ioan. ca. 7. *siquis sitit, Veniat ad me, & bibat: & flumina de Ventre eius fluent aquæ Viuæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim spiritus erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Ea ratione magnus ille Patriarcha Iacob Genes. 49. vocat Christum *desiderium collium æternorum*: & Aggæ. cap.

Incarnationis mysterium oportuit desiderari. S. Thom. Isai. 45. Esai. 46. 2 Reg. 21. Psal 41. Ioan. 7. Gen 49. Agge. 2.

cap. 2. *Veniet desideratus cunctis gentibus*, & sponsa Cantic. 5. *guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis.* Oportet igitur ipsius spiritum optare, & desiderare. *Cant.5.*

Nec satis est optare, opus enim est inuocare, ac deprecari. Sic enim ait Salomon: *inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ.* Similiter Ezechias Rex apud Esa. cap. 38. *Sicut pullus hirundinis sic clamabo.* Illæ enim auiculæ patente ore depictæ, populos auxilium implorantes olim significabant, auctore Xenophonte lib. de æquiuocis. Cæleste hoc donum sapientiæ non inuenitur in cisternis dissipatis mundi, quæ *continere non valent aquas:* sed in illo fonte, de quo Psal. 35. *apud te est fons vitæ.* Quare oportet Dominum inuocare, & illud precibus assiduis promereri. Quia quanquam scit pater noster cœlestis indigentiam nostram, sicut Christus Matthæi 6. gaudet tamen inuocari. Sicut hirundo cibum deferens pullis, illum desiderari, & frequenti pipitu, & clamore optari delectatur. Sic noster cœlestis gaudet inuocationibus: & *adest cunctis obseruationibus nostris:* sicut Psal. 144 ait Dauid: *prope est Dominus inuocantibus eum: omnibus inuocantibus eum in veritate. Deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos.* Id quod expertus idem Propheta Psalmo quarto ait, *cùm inuocarem, exaudiuit me Deus iustitiæ meæ.* Et Salomon ipsius filius Sapient. 9. ait, *mitte illam de cœlis sanctis tuis, & de sede magnitudinis tuæ: vt mecum sit, & mecum laboret: vt sciam, quid acceptum sit apud te.* Vnde Iacobus Apostolus cap. 1. sic ait, *si quis indiget sapientia, postulat à Deo. Ipse enim est, qui dat omnibus affluenter, & qui dat verbum Euangelizantibus virtute multa.* Psal. 67. *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia* (vt ait Petrus cap. 1.) *Sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Et Deut. 33. *Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.* Doctrina hæc panis est noster supersubstantialis, quem quotidie in oratione Dominica petimus. Desiderium verò, & orationem comitari debet puritas cõscientiæ: quoniã *in maleuolã animã nõ introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*

Per inuocationem, & orationem obtinetur spiritus sapientiæ.
Esa. 38.
Xenophon.
Matth. 6.
Simile.
Psal. 144.
Sap. 9.
Psal. 67.
2. Pet. 1.
Deut. 33.

Sapient. 1. *Sap.* 7. *Psal.* 110. Sapient. 1. & cap. 7. *Sapientia in animas sanctas se transfert:* & Psalm 110. *intellectus bonus omnibus facientibus eum.*

Angelicus noster Doctor Thomas verè optauit: & cum maxima corporis & cordis puritate inuocauit Dominum, in oratione assiduus, in altam diuinorum mysteriorum contemplationem raptus, assiduis precibus diuinam sapientiam non tam humano ingenio, & studio acquisiuit, quā orationis suffragio cœlitus illapsam suscepit. *Dedit enim illi Dominus scientiam sanctorum:* hæc est, quæ à principijs beatitudinis deriuatur. *Profunda fluuiorum scrutatus est: & abdita produxit in lucem* Iob. 28. id est occulta mysteria cœlestia: vel doctrinam Spiritus sancti: vel abditam doctrinam quatuor Doctorum, qui sunt quatuor flumina paradisi, & Ecclesiæ: produxit in lucem. Et sicut de Beseleel dicitur Exod 31 *impleui eum spiritu Dei, & intelligentia, & scientia in omni opere:* sic Angelicus Doctor spiritu sapientiæ, & scientiæ Dei repletus est. Beseleel interpretatur in vmbra Dei: verè D Thomas sub vmbra Dei protectus fuit. Vmbra figura est in speculo relucens (sicut dixit Origines) sic ex diuina luce in intellectu Angelico Thomæ fulserunt vmbræ, & lineæ diuinarum perfectionum, & veritatum: quas à Deo acceptas Ecclesiam docuit Illique conuenit verbum dictum ad Salomonem 3 Reg 3 *dedi tibi cor sapiens, & intelligens in tantum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te futurus sit* Accepit tandem spiritum duplicem sensus, & sapientiæ: per illuminationem intellectus ad intelligendum, & purgationem affectus ad operandum Accedamus igitur & nos per feruens desiderium, per mentis puritatem, & humilem orationem: vt per ipsius intercessionem illuminemur nunc per lumen diuinæ sapientiæ, sensus, & gratiæ: & in futuro per lumen gloriæ, Amen.

D. Thom. non tam humano studio quā orationis suffragio sapientiā suscepit. *Sap.* 10. *Iob.* 28. *Exod.* 31. *Origen.* 3. *Reg.* 3.



IN EODEM FESTO,

CONCIO QVARTA.

De dono linguæ Doctoris Angelici.

THEMA.

Dominus dedit mihi linguam eruditam. Esai. 50.



Avl. primæ ad Corinth. 12. docet diuisiones gratiarum per Spiritum sanctum in Ecclesia dispersas. *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus: diuisiones administrationum sunt, idem autem Dominus: & diuisiones operationum sunt, idem verò Deus.* Inter reliqua verò gratiarum dona, *genera linguarum* annumerat. Donum verò linguæ Angelici Doctoris fuit eximium, eruditione, & perspicuitate præclarum, vtpote de cœlo lapsum. Quare verba proposita satis aptè ipsi conueniunt. *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult.* Ipsum ergo diuinum spiritum per almam virginem deprecemur, vt de lingua erudita dicturis, vel scintillam eruditionis hodie nobis diuidat, dicentes, *Aue Maria.* 1. *Cor.* 12.

Angelicus noster Doctor in 1. ad Corinthios cap. 12, lect. 2. docet, quòd sicut nullum membrum est in corpore, quod non participet aliquo modo sensum, vel motum à capite: ita nullus est in Ecclesia, qui non participet aliquid de gratiis spiritus sancti secundum illud Matth. 25. *dedit vnicuiq; secundum propriam virtutem:* & ad Ephesios cap. 4. *vnicuiq; nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi:* discrimen tamen est inter gratiam gratis datam, & gratum facientem: quòd

S. Thom. Nullus est in Ecclesia, qui nõ participet aliquid de gratiis spiritus sancti.

Ephes. 4.

quòd per hanc Spiritus sanctus inhabitat in anima méa: per illam verò manifestatur Spiritus sanctus, sicut interior motus cordis per vocem: vnde Ioan. cap. 3. *spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis*: & in Psal. 97. *notum fecit Dominus salutare suum.* Manifestatur verò Spiritus sanctus per huiusmodi gratias dupliciter, vno modo, vt inhabitans ecclesiam, & docens, & sanctificans eam: putà cum aliquis peccator, quem non inhabitat Spiritus sanctus, facit aliquod miraculum ad ostensionem alicuius veritatis fidei ecclesiæ, quam ipse prædicat: sicut Paulus ad Heb. cap. 2. ait, *contestante Deo signis, & prodigijs, & varijs spiritus sancti distributionibus.* Alio modo manifestatur gratia Spiritus sancti, vt inhabitans hominem, cui tales gratiæ conceduntur: sicut Act. cap. 6 dicitur de Stephano, *quòd plenus gratia, & fortitudine faciebat signa, & prodigia magna in populo.* Et huiusmodi gratiæ non côceduntur nisi sanctis. Quare sanctissimo Thomæ plurima dona per Spiritum sanctum concessa sunt: scilicet *sermo sapientia*, ad dandam cognitionem principiorum fidei: quæ sunt diuina, & altissima Trinitatis, & incarnationis mysteria. De quo sermone sapientiæ dixit Christus Luc. cap. 21. *Ego dabo vobis os, & sapientiam cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri.* Datus est & illi *sermo scientia* ad dandam notitiam conclusionũ fidei, quæ pertinent ad creaturas: quarum cognitio dicitur scientia. De qua Sapient. cap. 10. *dedit illi scientiam sanctorum.* Et de vtroq; dono dicitur Esa. cap. 33 *diuitia salutis sapientia & scientia.* Vbi aduertendum, quod sapientia, & scientia inter septem dona Spiritus sancti computantur Esa. cap. 11. Paulus verò loco citato inter gratias gratis datas, non constituit dona sapientiæ, & scientię: sed sermonem sapientiæ, & sermonem scientiæ: vt homo per sermonem alijs persuadere valeat ea, quę ad sapientiam & scientiam pertinent. Angelicus verò Doctor vtrumq; habuit: & dona sapientiæ, & scientiæ per cognitionem: & sermonem aptum, & perspicuum ad docenda omnia mysteria fidei; tam principiorum, quę per sapientiam cognoscuntur, quàm conclusionum, quæ ad scientiam pertinent. Id quod explicatur

Ioan. 3. Heb. 2. Actor. 6. Luc. 21. Sapient 10. *Sapientia, & scientia differunt à gratijs gratis datis.* Esa. 11.

verbis initio propositis, *Dominus dedit mihi linguam eruditam.*

Lingua veluti pulsus est cordis: Matth.12 *ex abundantia cordis os loquitur.* Ambros. lingua speculum est animæ *Verba enim signa sunt conceptuum, & earum, qua in anima sunt passionum.* sicut dixit Philosophus. Concinit illud Matth. 25. *loquela tua manifestum te facit.* Plurima quidem sunt damna linguæ Prouerb.18. *mors, & vita in manibus lingua.* D.Hieron. in Iob acutè adnotauit, quòd Sathan solam linguam, & labia Iob intacta reliquit, sicut ipse ait, *derelicta sunt tantummodò labia circa dentes meos:* vt in his peccare posset. Anacharsis Philosophus rogatus quid in homine optimum esset, & quid pessimum; respondit linguam: quia ex ipsa procedit vita, & mors. Dionysius, quòd natura prouida duas aures dedit homini ad audiendum, sed vnam linguam ad loquendum. Pythagoras (teste Aulo Gellio lib.1. noctium Attic) duobus annis docebat tacere. Socrates duplum stipendium exigebat pro doctrina silentii, quàm eloquentiæ. Simonides, (teste Plutarcho) *dixisse sapè pænituit, tacuisse nunquam.* Plinius, *non minus est oratoris scire tacere, quàm scire loqui.* Pittacus, *qui nescit tacere, nescit loqui.* Persius, *dicenda tacendaq; callet.* Ambros. *qui scit tacere sapiens est.* Prouerb. *10. In multiloquio non deerit peccatum: & qui moderatur labia sua, prudentissimus est.* Vnde Iacob.3. *si quis in verbo nō offendit, hic perfectus est vir. Equi quantumuis indomiti, freno domantur, & circumferuntur. Naues quantumcunq; magna paruo gubernaculo reguntur. Omnis natura bestiarū, & volucrum, & serpentum domatur. Linguam autē nullus hominum domare potest. Inquietum malum plena veneno mortifero. In qua benedicimus Deum, & patrem: & in qua maledicimus homines, qui ad imaginem, & similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio.* Quid hoc monstri? *nunquid fons ex eodem foramine manat dulcem, & amaram aquam? Nunquid potest ficus vuas facere, aut vitis ficus?*

D. Ambr. Lingua speculum est anima, & pulsus cordis. Plurima damna lingua. Prou. 18. D. Hieron. Aul. Gel. Plutarch. Plinius. Persius. Ambr. Prouer. 10. Iacob.3.

Si de omni verbo ocioso reddituri sumus rationē Matt.18. quæ ratio reddenda erit de verbis mendacib', dolosis, cōtumeliosis, & detractoriis? Sad.1 *sermo obscurus*

Eccl 28. Plurima damna linguæ. ſcurus in vacuum non ibit. Eccl 28. multa de damnis linguæ dicuntur *Suſurro, & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes. Lingua tetra multos commouit: & diſperſit illos de gente in gentem. Flagelli plaga liuorem facit: plaga autem linguæ comminuet oſſa.* Quare inter alia Dei beneficia pro magno computatur Iob.
Iob. 5. capite 5. *à flagello linguæ abſconderis.* Vnde meritò Rex
Pſal. 140. Propheta Pſalm. 140. petit: *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.* Cuſtodiam petit rationis, & prudentiæ: *que no ſalgan las palabras ſin regiſtro, y licencia de la razon.* Ipſa enim natura ad hoc conſtituit oſtia linguæ: dum intra labia, & dentes incluſit, veluti feram indomitam. Meritò Prouerbio 16. dici-
Prou. 16. tur: *Domini eſt gubernare linguam.* Non ſine prouidentia Spiritus ſancti in baptiſmo ſal ſapientiæ ori adhibetur. Et Chriſtus Dominus, prius quàm muto redderet
Marc. 7. vſum linguæ Marci 7 *ſputo linguam tetigit: & ſuſpiciens in cœlum ingemuit, & dixit, Epheta, quòd eſt adaperire:* ingemuit verò quaſi periculorum linguæ nos admonēs, & præmuniens. Et tandem Spiritus ſanctus in linguis igneis ſuper Apoſtolos deſcendit, vt omnia dāna linguæ
Pſal. 93. exureret. Optima ratione Dauid Pſalm. 93. dixit, *beatus, quem tu erudieris Domine.*

D. Thom. linguam habuit eruditam ad tacendum, & docēdum. Angelicus noſter Doctor non ſolùm ſpiritum ſapientiæ a Domino accepit: *ſed & linguam eruditam:* didicit enim longo ſilentio linguam compeſcere: per plures namque annos adeò ſilentium ſeruauit, quòd à cōdiſcipulis bos mutus vocari ſolebat: quare Albertus Magnus ipſius magiſter dixit: *Vos vocatis hunc bouem mutū: ille aliquando docendo tales mugitus dabit, quos totus mūdus audire poſſit:* ſicut rei exitus comprobauit: ſiquidem ipſius doctrina vniuerſum orbem in admirationem, &
Num. 22. ſtuporem rapit. Impletum eſt illud oraculum Numer. 22. *ita delebit hic populus omnes, qui in finibus noſtris cōmorantur: ſicut ſolet bos herbas vſque ad radices carpere.* Boues prædicatores ſunt, & Doctores Eccleſiæ, qui aratro doctrinæ terrena corda proſcindunt: & ore, atque lingua herbas virentes tam deliciarum, quam hæreſum, & falſarum doctrinarum vſque ad radices diſſipant, &
3. Reg. 7. euellunt. Boues duodecim ſub mari æneo. 3 Reg. 7. duo-

decim

decim Apostoli sunt, & vniuersitas doctorum, & prædicatorum. Inter quos Angelicus Doctor sonora sua, solidaque doctrina sustinet mare magnum Ecclesiæ. Deinde quatuor facies Sanctorum Doctorum habet: hominis, æquilæ, leonis, & bouis, quia omnium doctrinam complexus est, sicut iam diximus. Ille herbam, id est, affectus omnes terrenos, mundi, & carnis, deliciarumque virorem vsque ad radices carpsit. Herbam virentem eloquentiæ hæreticorum, nouarumque doctrinarum ore, & lingua erudita vsque ad radices carpit, eradicat, & delet: *in medio siquidem Ecclesiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus spiritu sapientiæ, & intellectus.* Eccles. 15.

Quòd si ex ore infantium, & lactentium perficit Dominus laudem suam, vt destruat inimicos, & hostes fidei; quantò potius ex ore, & lingua spiritu sapientiæ plena? Moysem ducem populi sui Dominus constituit, & iniunxit scribere Canticum, vt doceret populum, illiusq; lectione armaret contra inimicos. Similiter Iosue cap. 8. lectione legis armauit populum contra hostes Sic diuina prouidentia elegit D. Thomam *ex omni carne, & dedit illi cor ad præcepta, & legem vitæ, & disciplinæ.* Eccles. 45. *dedit'q; illi linguam eruditam.* De lingua dicunt Philosophi, quòd est simia intellectus: in omnibus enim illum imitatur. Omniaque corporis membra mouet ad actionem, & manifestationem intellectus. Et sicut intellectus producit verbum, sic lingua exprimit conceptum. Angelicus Doctor, vt erudita lingua imitatur verbum, & Christum Dominum: cuius permanentia, & æternitas explicatur Psalm. 44 *lingua mea calamus*: id est, non est verbum transitorium, sed quòd manet in æternum. Sic doctrina Angelica Thomæ est perpetuæ veritatis. Iuxta illud Prouerb. 12. *labium veritatis firmum erit in perpetuum.*

Psal. 8.

Iosue 8.

Eccles. 45.

Lingua simia est intellectus.

Psal. 44.

Prou. 12.

Ille lingua est Ecclesiæ, de qua in illo triumphali carmine de victoriis Christi, & Ecclesiæ Psalm 67. dicitur: *Vt intingatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso* Canes Doctores sunt Ecclesiæ: Canes Beatus Dominicus, & prædicatorum ordo Diuus Thomas lingua illorum est, cuius doctrina vincuntur hæretici, & hostes Ecclesiæ: quorum sanguis adeò abundanter fluit,

Psal. 67. Canes Doctores sunt Ecclesiæ: & D. Thomas lingua est canum.

ter fluit, vt intingatur pes Christi, vel prædicatorum, qui sunt pulchri pedes ipsius in sanguine inimicorum. Sed non caret mysterio, quod non dicit, linguę Canum tuorum: sed lingua, mirum est, quòd multi canes vnam habeant linguam: multò tamen mirabilius est, quòd omnes doctores Ecclesiæ loquantur per vnam linguã Diui Thomæ. Ante illum enim doctores sacri erant velut muti: quanquam enim abundantem & solidam doctrinam habebant, non tamen erat adeo tractabilis, & in vsum Ecclesiæ accommodata, atque modo est per doctrinam Doctoris sancti debitè disposita, & suis locis adaptata. Cui verba illa Cantic. 7. satis aptè conueniunt: *guttur tuum vinum optimum:* siue palatum tuum. Vtrumq; enim guttur, & palatum organum est vocis. Vtrumq; significat vox Hebræa. Vbi prior sensus est Theodoreti; sermo, qui ex gutture tuo, & ore fluit, omni suauitate vini iocundior est: vinum quoque fortitudinem habet, vimq; inebriandi: sic doctrina Diui Thomæ suauitate, & fortitudine plena est: vimque habet transformandi homines in viros alteros. Deinde vox Hebræa Chach non solũ guttur significat, sed partem, quæ gustus dignoscit, saporumq; varietatem discernit. Et cum lingua gustûs dignoscat, rectè dicetur lingua tua, vel guttur tuum vinum optimum. Vinum quantò antiquius, tantò melius. Angelicus Doctor antiquas patrum doctrinas semper probauit: nouas repulit iuxta illud Pauli, ad Heb. 13. *doctrinis varijs, & peregrinis nolite abduci: optimum est enim gratia stabilire cor.* Omnis nouitas semper est suspecta: quod perinde sit nouitas, ac non veritas. Leuit. cap. 11. *quidquid inter volucres ambulat super quatuor pedes, abominabile; & inter animantia, quod ambulat super manus immundum erit:* quia vtrumq; nouum. Similiter qui infert doctrinas nouas, immundus est, & abominabilis. Diuus Thomas erudita lingua doctrinarum gustus discernit; sacraque concilia ad dignoscendum gustus doctrinæ, an sit vera, vel falsa, lingua & gutture sacri doctoris vtuntur.

Cant. 7. *Theodor.* *Doctrina antiquior melior, sicut vinum.* *Heb. 13.* *Leuit. 11.*

Ante superbiam Gigantum, qui voluerunt nomen suum celebrare super terram per ædificium turris Babel, *terra erat labij vnius* Gen. cap. 11. & in vltionem superbæ

Gen. 11. *Nouarum doctrinarũ*

superbæ ambitionis dixit Dominus, *Venite confundamus linguas eorum.* Sic antequam recentiores aliqui Gigantes turrim nouarum doctrinarum contra Diui Thomę doctrinam erigerent, volentes celebrare nomē suum, terra ecclesiæ erat labii vnius: nunc conturbatione, & confusione plena est schola Theologiæ. Hi sunt sicut infelix Achan, qui furatus ex anathemate regulam, siue linguam aureā, iuxta translationē septuaginta, conturbauit Israel, & lapidatus est, & omnia, quę illius erant, igne cōsumpta sunt Iof. cap. 7. Multi ob inuidiam gloriæ Diui Thomæ, alii ad ostentationem ingenii, alii ob quæstū, & auaritiā libros edunt, vt nouas doctrinas disseminent, & eruditā linguā doctoris Sancti sepeliant, & obliuioni tradant: qui maximè timere deberent verba Iudæ Apostoli dicentis: *Væ illis, qui in via Cain abierunt:* ille enim inuidia agitatus fratrē occidit: & subdit, *Et errore Balaam mercede effusi sunt: & in contradictione Core abierunt.* Ganeius secutus Bedam explicat de his, qui ex inuidia, vel terrestrium commodorum cupiditate veritatē, quā ipsi norunt, impugnāt.

inuentores similes sunt ædificatorib. turris Babel.

Iosu. 7.

Iudas.

¶ Doctoris Angelici lingua de cœlo erudita lingua suauis est: *ligua placabilis lignum vitæ* Prouerb. 15. Lingua cœlo, & mundo grata, per ecclesiam probata, & suscepta, *lignum vitæ est habens fructus duodecim per mēses singulos* Apocal 22 id est, pro quacumq; necessitate, & materia occurrente: doctrina illius cibus est electus, & dulcissimus fructus, qui ecclesiam reficit. His verò, qui fructus veritos arboris scientię plus nimio diligūt, accessus ad lignum vitæ eiusq; suauissimi fructus, & veræ, sanæ, ac vitalis doctrinæ in pœnam curiositatis intercluditur. Vt enim Paulus ait ad Romanos, cap. 12. *nō plus sapere, quam oportet sapere* Ambrosius, primo Examer cap. nono, *hoc est potissimū donum linguæ. quòd diuinæ vocis sit organum: & corporalibus labijs exprimat celeste oraculum.* Hæc summa laus linguæ, qua nil maius dici potest. Nam sicut lingua non loquitur à se, nisi moueatur, & dirigatur per intellectum: ita summa laus sacræ linguæ, & eruditæ est, quòd nunquam docuit, nisi prius mota per Spiritum sanctum. Sciphum illum pretiosum Ioseph vocare possumus, de quo

Lingua D. Thomæ lignum vitæ afferēs copiosum fructū doctrinæ cælestis.

Prouerb. 15.

Apoca. 22.

Rom. 12.

D. ambro.

S. Thomas Sciphus est Ioseph.

Gen. 34. de quo Genes. 34. in quo Dominus magna mysteria reuelauit Ecclesiæ.

Celebrem illam benedictionem, qua Iacob benedixit Nepthalin Genes. 49. nostro doctori sancto conuenientissimè adaptare possumus. *Nepthalin ceruus emissus dans eloquia pulchritudinis.* Nepthalin interpretatur comparatio, vel æquiparatio, vel dilatatio cordis. Angelicus doctor comparatur, & æquiparatur quatuor sacris doctoribus Ecclesiæ. D. Augustinus in Psal 67. ait, quod Nepthalin typus est charitatis: hanc habuit eximiam noster Thomas & per eam dilatationem cordis: sicut arenam maris: doctrina quoque ipsius per totius mundi latitudinem diffusa est. Deinde inter omnes tribus Israel terra Nepthalin fuit fertilissima, primosque fructus germinans: quare primi fructus, qui in templo Domino offerebantur, adducebantur ex terra Nepthalin: quia præcoces fructus sunt Domino gratissimi; iuxta illud Michæ. 7. *præcoquas ficus desiderauit anima mea.* D. Thomæ ingenium fuit feracissimum, veluti paradisus plenus floribus, & fructibus diuinæ gratiæ, & sapientiæ. Lignum est vitæ afferens præcocem, & copiosum fructum A primis enim infantiæ annis, ab ipso matris vbere videtur Domino, & diuinæ sapientiæ consecratus. Cum olim Pindaro inter Græcos poetæ sapientissimo adhuc infantulo in cunis iacenti auicula super os aduolās constitit, magnæ sapientiæ futuræ in paruulo præsagium fuit. Sicut & examen apum super os Diui Ambrosij adhuc infantis aduolans: & in maximam altitudinem se se attollens. Sic mirabile signum cœlestis sapientiæ futuræ in Angelico Doctore fuit, cum adhuc puer lactens, chartulam in qua continebatur angelica salutatio, in os misit, & deglutiuit. Deinde *Nepthalin ceruus emissus* dicitur: ceruus acutissimum visum habet (teste Plinio) adeò vt cum aquila, & lince visus perspicacitate contendat. Diuus Thomas ingenij acumine visusque perspicacitate *profunda fluuiorum scrutatus est, & abdita produxit in lucem.* Alij quidem doctores Ecclesiæ aurum doctrinæ cœlestis inuenerunt: at sanctus Thomas in pecuniam vsualem ad totius Ecclesiæ vtilitatem conuertit. Alij inuenere metalla æris, & ferri: Thomas

Genes. 49.

D. Th. ceruus emissus dans eloquia pulchritudinis.

D. Aug.

Mich. 7.

Plin.

Iob. 28.

Thomas metalla conflauit in arma: vt ex turri ecclesiæ pendeat *omnis armatura fortium.* Ceruus cum serpentibus inrestinum habet odium: efficacissimoq; olfactu, & halitu ex cauernis extrahit,& interimit. Sic Diuus Thomas hæreticorum versutias in lucem prodit,confundit & perimit. 2 Reg. cap. 23. dicitur, *Dauid sedens in cathedra sua sapientissimus inter tres, quasi tenerrimus ligni vermiculus octingentos interfecit impetu vno. Tres illi fuere fortissimi Iezbaam, Eleazar, & Theman: quorum quilibet exercitum vicit. Dauid verò ambidexter fuit armis, & sapientia illos vincens.* Verè Angelicus Doctor ex cathedra sua veluti Dauid, non solum octingentos, sed innumerabiles hæreticos, & hostes ecclesiæ interfecit, & vicit: & quotidie vincit,& confundit. Ceruus est emissus per altam contemplationem mysteriorum cœlestium: siquidem illorum meditationis dulcedine extra se rapiebatur,& eleuabatur. Cantic. 3. 2. Reg. 23.

Dans eloquia pulchritudinis. Labia sponsi liliis comparantur Cantic. cap. 5. quia pulchritudinem, candorē, & odorē habent. Doctrina Doctoris Angelici pulchritudinem habet, candorem, & suauitatem, ordine, veritate, & coaptatione. Ædificium templi Salomonis fuit quasi miraculosum; in cuius fabrica *non est auditus malleus.* 3. Reg. cap. 6. quia artifices Sydonii vt peritissimi sic præparabant, & expoliebant lapides, vt absq; instrumentorum strepitu ad amussim iungerentur inuicem, & coaptarentur. Angelicus Doctor, vt peritissimus artifex spiritu sapientiæ, & intelligentiæ plenus cōclusiones omnes Theologiæ tam ad fidem, quam ad mores ecclesiæ pertinentes: variasq; sanctorum patrum sententias diffidentes conciliauit, & absq; vllo strepitu, vel contradictione composuit, suisq; locis coaptauit. Cantic. 5. 3 Reg. 6.

Propitiatorum in tabernaculo supremum locum obtinebat super capita Seraphinorum, quia ex illo audiebarur vox Dei. Diuus Thomas propitiatoriū est ecclesiæ: & lingua erudita Patriarcharum, Prophetarum, & sanctorum, per quam ecclesiæ suæ loquitur Deus. Quare meritò inter doctores Ecclesiæ veluti inter Seraphinos excelsum locum obtinet gratiæ & gloriæ. Exod. 26.

IN FESTO SANCTISSIMI IOSEPH, sponsi Virginis almæ,

CONCIO VNICA.

De ipsius prærogatiuis, & excellentijs.

Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Matth. 1.

THEMA.



Gloriosi Ioseph sanctissimæ Dei genitricis sponsi festum hodiè recolimus, cuius adeò eximia est sanctitas, tam præclara cœlestium donorũ præstantia; quòd quanquam omnia membra verterẽtur in linguas, & omnes artus humana voce resonarent; nil dignum ipsius laudibus dicere possemus. Angelica vtiq; lingua laudandus esset, qui Angelicam puritatem in terris imitatus est. Imò & Angelos ministerii dignitate superauit; in sponsum reginę Angelorũ sanctissimæ Trinitatis consilio electus. Vt igitur de sponso dicamus, diuini numinis opem imploremus per intercessionem gloriosissimæ sponsæ Mariæ dicentes, Aue Maria.

Terreni principes pro dignitate munerũ magno consilio ministros eligunt.

Terreni principes magnum consilium adhibere solent in electione ministrorum domus regiæ. Et eo maiori consilio vtuntur, quanto ministeria potiora, & digniora sunt. Atque adeo ministri electi pro dignitate ministerii in maiori honore habẽtur. Sic enim eos, qui ab ore, vel cubiculo Regis sunt, maximè mundus veneratur. Sanctus noster Ioseph non à terreno principe, neque ad temporalia solùm, & terrena munera exaltatus est; sed diuino consilio ad excelsa, & cœlestia munia electus. Fuit enim ab ore, & cubiculo principis gloriæ; clauisque aurea illi data est ad custodiam pueri Iesu, & sacræ Dei genitricis. *Fue guarda joyas de*

las

las mejores joyas de Cielo, y tierra. Fuit œconomus maior domus Domini, *quem constituit super familiã suam,* vt fidelis esset custos totius thesauri redemptionis nostræ. Inter omnia tamen ministeria maius consilium adhiberi solet, quis futurus sit pædagogus, vel magister principis, vtpote ex cuius recta institutione; morumque probitate totius Regni, & status Reipublicæ incolumitas pendeat. Multoq; attentiori consilio perpenditur dignitas sponsi, cui vnica principis filia dilectissima tradenda est, iuxta illud Ecclesiast. 7 *Trade filiam tuam viro sensato; & grande opus feceris.* Eoq; maius consilium in eiusmodi electionibus terreni principes adhibere tenentur, quanto minus possunt pro votis ministros eligere; neque sufficientiam, quam desiderant, præstare. At diuina maiestas *omnia quæcunque voluit, fecit,* Psalm. 113 Et pro necessitate, dignitate muneris sufficientiam præstat. Sicut olim Moysi, quem ex pastore elegit in ducem populi sui, contulit *os, & sapientiam;* imo & constituit, vt esset *Deus Pharaonis.* Similiter Dauid *accepit de post fœtantes,* & ex tugurio pastorum vnxit, & exaltauit in Regem populi sui; *fecitq; illi nomen grande iuxta nomen magnorũ, qui sunt in terra,* 2. Reg. 7. Ioannem Baptistam; quem in præcursorem Christi elegit in vtero sanctificauit Et de Apostolis dixit Paul. 2. ad Cor 3 *qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti:* Sanctissima quoque virgo in matrem Dei electa pro dignitate tanti muneris cœlestium donorum vbertate ditata est: sicut ipsa dixit, Luc. 1. *fecit mihi Dominus magna, potens est, & sanctum nomen eius.* Ecce ergo gloriosus Ioseph in pædagogum, nutritium, & magistrum, atque ductorem filii Dei electus est; vt suo labore, & sudore ipsum aleret, dirigeret, & custodiret, tam domi, quam in via: & peregrinatione: tam vigilantem, quam dormientem. Electus quoque est, vt esset à diuinis consiliis: siquidem per Angelum reuelatum est illi consilium æternis temporibus tacitum, cuius altitudinem Diuus Augustinus *non satiabatur considerare diebus, neque noctibus.* Electus est denique, vt esset sponsus almæ virginis, fidelis testis virginitatis ipsius, & sacrosancti incarnationis mysterii.

Eccles. 7.

Diuina maiestas pro dignitate munerum idoneitatem præstat.

Exod. 7.

Luc. 1.

Ioseph diuino consilio ad magna munera electus est.

Ad tàm excelsa ministeria non dubium, quin sublimia dona de cœlo susceperit, vt idoneus, & dignus minister inueniretur. Nam si creato primo homini Adamo diuina prouidentiâ fecit adiutorium simile sibi Genes. 2. vt similitudo inter coniuges amorem conciliaret, iuxta illud Psal. 67. *Qui habitare facit vnius maris in domo:* æquum sanè fuit, rationique consonum, vt diuina bonitas pro dignitate virginis sacræ idoneum sponsum eligeret. Sic enim habetur Eccles. 26. *mulieris bona beatus vir: numerus enim annorum illorum duplex. Mulier fortis oblectat virum suum, & annos vitæ illius in pace implebit. Pars bona mulier bona: in parte bona timẽtium Deum: dabitur viro pro factis bonis.* Si pro dignitate sanctissimæ virginis idoneus sponsus eligendus fuit, quis talibus nuptiis inueniretur dignus, aut quæ facta bona talem sponsam promereri possent? Vel quod adiutorium illi simile inueniri posset? Verè neque in cœlo, neque in terra, nec inter Apostolos, nec inter Angelos, vel supremos Seraphinos inuenietur adiutorium simile sibi, neque dignum virgineis thalamis. Quare, vt esset aliqua similitudo, & proportio inter sponsum & sponsam, non dubium, quin magnis muneribus virtutum, & donorum cœlestium prærogatiuis à Domino cumulatus sit. Quare & ex eadem tribu Iuda, & ex domo Dauid natus in Bethlehem, electus est. Diuus Augustinus, & Rupertus asserunt, quòd nunquam peccauit mortaliter. Diuus Hieronymus quòd semper seruauit virginitatẽ. Imò aliqui satis rationabiliter existimant fuisse in vtero sanctificatũ: vt quos diuina bonitas in nuptiarum consortium eligebat, mutuus amor, virginitatis puritas, & gratiæ plenitudo, atque sanctificatio copularet. Verè sint duo Cherubini mutuò sese respicientes: & propitiatorium, id est Christum Dominum: vt virgini sacræ verba illa conueniant Cantic. cap. 7. *ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.* Ipsa enim virgo sacra totum desiderium, & amorem Ioseph sponsi implebat, ipsam respiciebat, ab ore ipsius pendebat: sicut solisequium respicit solem: id enim sonat verbum illud, conuersio eius, quasi inferioris, & diligentis.

Gen. 2. *Psal. 67.* *Pro dignitate virginis almæ cœlestibus donis sponsum ornari decuit.* *D. Aug.* *D. Hieron.* *Exod 25.* *Cantic. 7.*

Hinc igitur gloriosi Ioseph sanctitatis præstantiam, iustitiæque plenitudinem explicuit sacer Euangelista Matthæus dicens, *Ioseph autem cùm esset iustus*, id est, omni virtutum genere ornatus. Iustitia enim est omnis virtus. Talisque iustitiæ plenitudo, sanctitatisque dignitas decebat eum, qui futurus erat putatiuus pater Dei: & verus sponsus genitricis ipsius. Grandia opera grandes typos, & modellos prærequirunt: sicut incarnationis mysterium multi typi, & figuræ, atq; prophetarum oracula præcesserunt. Sic gloriosi Ioseph sanctitatis præstantia plurimis antiquis oraculis, & in sanctis Patriarchis adumbrata est. Potissimum verò in illo antiquo paradiso: in quo constituit Dominus primum hominem principem rerum omnium, cui commisit custodiam paradisi, & maximè ligni vitæ, & fontis illius perennis: ex quo irrigatur orbis. Lignum vitę Christus est: fons perennis, & signatus, ex quo aqua vitæ processit sanctissima est Dei genitrix. Ioseph præpositus est à Domino, vt custodiret paradisum: & operaretur: atque labore suo Dei filium, & matrem aleret. Magnus quidem fuit princeps ille Assuerus, qui Persarū, & Medorum tenuit imperium: atque centum viginti septem Prouinciarum principes habebat subditos. Magnus Iosue, qui solem stare iussit. Multò tamen maior Ioseph, qui super Christum verum solem, & virginem sacram dominium, atque directionem patris, & sponsi habuit: & cui de cœlo datum est, vt velut pater Dei ipsi nomen imponat, *qui numerat multitudinem stellarum: & omnibus eis nomina vocat.*

Matth. 1.

Celsitudo, & dignitas Ioseph multis antiquis oraculis præsignata est.

Esther. 1.

Iosu. 10.

Psal. 146.

Prior ille Patriarcha Ioseph, cum nomine typum gessit nostri Ioseph, sicut Diuus Augustinus, tom. 10. sermo 81. Et Bernard. serm. 2. super, missus, adnotarunt. Ille siquidem à Iacob præ cæteris filiis magis dilectus polymitam vestem à patre accepit: in qua virtutum varietes, iustitiæque plenitudo insinuatur, quæ in sancto Ioseph refulsit. Ioseph ille somniorum intelligentia, & explicatione insignis fuit: Ioseph noster in somnis de ineffabili incarnationis mysterio per Angelū admonitus est. Deque aliis ad custodiam pueri Iesu, matrisq; ipsius necessariis in somnis per diuinum oraculum

Patriarcha Ioseph typus fuit nomine, & re, sponsi Virginis.

D. Aug.

D. Bernar.

 culum

culum admonitus est. Ioseph ille castissimus in manib, dominæ suæ palliũ reliquit, vt Domino fidẽ seruaret: Ioseph noster sacræ virginis integritaté intactã, & illibatã, vt fidelis minister semper seruauit. Ille in principẽ Ægypti exaltatus frumentũ seruauit, vt vniuersali necessitati, & orbis fami subueniret; noster Ioseph in gubernatorem filii Dei, & sacratæ matris electus viuum frumentum electorum, Angelorum panem, & cibum vitæ, à quo totius orbis saturitas, & salus pendebat, summa vigilantia custodiuit.

Geneſ.39.

Ioseph nomen, & rẽ habuit augmenti. Merito cũ re cõuenit illi nomen Ioseph; vt dicamus ipsi, *secundũ nomen tuum, ita & laus tua,* Psaml 47 Ioseph augmentũ significat. Sic augmenti nomen cũ benedictione Iacob, qua benedixit Ioseph filio suo, Genes. cap. 49. adaptare possumus. *Filius accrescens Ioseph; filius accrescens, & decorus aspectu.* Maximis donis de cœlo auctus est. *Fiant in capite Ioseph, & in vertice eius Nazaræi inter fratres suos:* id est, capilli, & virtutum ornamenta, quasi diadema ex floribus cõtextum, quo caput, id est Christus protegatur, & ornetur: Habuit enim diadema ex flore virginitatis, & dignitate munerũ exornatũ. Habuitq; in capite diadema inter fratres suos. Fuit enim veluti medius inter sanctos veteris, & noui testamenti: Habuitq; in capite suo omnium diademata, quibus gloriose coronatus est; vt similitudinem aliquam, & proportioné haberet cum eximia dignitate spõsæ sanctissimæ, in cuius capite vidit Ioannes coronam stellarum duodecim, Apoc. c. 12. sic Ioseph omniũ patrum, & fratrum suorum iustitiam tam in vita actiua, quàm in contemplatiua cõplexus est. Habuit enim innocentiam Abel, fidem Abrahæ, obedientiam Isaac, patientiã Iacob, castitatem Ioseph, misericordiam Dauid, mansuetudinem Moysi. Conuenit quoq; illi benedictio illa Beniamin, quæ habetur Deut. 33. *Beniamin amantissimus Domini, habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur: & inter humeros illius requiescet.* O fœlicissimum Ioseph, qui tam cõfidenter in sacro, & purissimo Virginis thalamo tota die, id est, per tempus vitæ suæ moratus est: & inter humeros filii Dei frequẽter requieuit, tam dormiens, quàm vigilans. Inter san-

Geneſ.49.

Ioseph virtutes sanctorum omnium videtur complexus.

Deut 33.

ter sanctos queq; noui Testamenti diadema habet floridū in capite. Qua in re *spirituum* quidem *pōderator est Dominus*, vt dicitur Prouer. 26. cæterùm, quanquā sanctis Apostolis concedendū est, quòd *primitias spiritus* acceperunt, sicut Paul. docet ad Rom. 8. Ioseph tamen videtur illis cōsertus, & quadā tenus ratione antelatus: nam præterquā quod in nutritium filii Dei, sponsumq; virginis electus est, ante Apostolos reuelatū est illi mysterium æternis temporibus tacitum: primusq; filium Dei, tam intra vterū sponsæ virginis existentem, quàm natum adorauit. Audiuit Angelorum laudes; pastores, & Reges vidit adorantes. Vt rectè illi conueniant verba Psalm. 20. *Præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronā de lapide pretioso.* Petro quidem datæ sunt claues, & collata potestas in Corpus Christi mysticum; Ioseph verò in Corpus verum ipsius. Quid altius, quid sublimius excogitari potest, quàm Verbi diuini esse ducem, & gubernatorem, filiumque Dei habere sibi subditum? Sic enim Lucas dixit cap. 2.

Ad Ro. 8.

Psalm. 20.

Si facies Moysi splendida facta est ex colloquio diuino per breue tempus; quem splendorem non haberet facies Ioseph ex triginta circiter annorum consortio cum filio Dei, & virgine sacra? Si domus Obededon repleta est benedictionibus ad præsentiā arcæ testamenti, quanta benedictione de cœlo replètus credendus est Ioseph, qui per tot annos veram arcam thesaurorum cœlestiū domi seruauit? Si domus Zachariæ ad ingressum sanctissimę Virginis filio Dei grauidæ, Spiritu sancto repleta est; qua gratia non repleretur Ioseph ex tàm cœlesti per tot annos cohabitatione? Simeon accipiēs in vlnas puerū Iesum Spiritu sancto plenus cecinit celebre illud Canticum diuinis mysteriis: & exultatione plenum, *nunc dimittis seruum tuum Domine, &c.* Quis explicare queat cœlestium donorum exuberantiam, quibus gloriosus Ioseph ex longa filii Dei, & matris ipsius conuersatione de cœlo dotatus est? Siquidem die noctuque vtriusque aspectu, & commercio tàm vigilans, quàm dormiens fruebatur. Suauitatem illā, mentisque dulcedinem, cœlestesq; iubilos, quibus mens ipsius supra se eleuabatur, & rapiebatur, cùm reuerētet

Luc. 2.

Excellētia Ioseph ex collatione cum aliis sanctis clarior redditur.

Exod. 34.

2. Reg. 6.

Luc. 2.

filium Dei puerum in vlnis suscipiebat, amplectebatur, osculabatur, & adorabat, quæ lingua hominũ, vel Angelorum explicare valeat? Sic Paulus raptus ad tertium cœlum vidit, & audiuit *arcana verba, quæ non licet homini loqui:* Ioseph in terra vidit supremum cœlum, & *mysterium absconditum à seculis in Deo.* Ioannes Euangelista ex breui recubitu super pectus Iesu sacri fontis fluenta potauit: quid non accepit gratiarum Ioseph ex diuturno recubitu iuxta pectus, & caput & sacrum halitum pueri Iesu, tàm in mensa, quàm in lecto? Ex cõsortio virginis almæ per ferè quindecim annos post Christi crucem Ioannes Euangelista magnum virtutũ, & gratiarum augmentum suscepit. Non minus suscepisse credendus est gloriosus Ioseph ex consortio filii Dei, Sanctissimæque Virginis, quam in tenera ætate circiter quindecim annorum puellam Sanctissimam, & immaculatam Virginem in sponsam accepit: cuius ineffabilis sanctitatis vigiliarum, orationum, meditationum, ieiuniorũ eximiæq; & Angelis meritò adorandæ vitæ per tot annos oculatus testis extitit. *Fiant Nazaræi inter fratres suos in capite Ioseph:* vt inter sanctos omnes tàm veteris, quàm noui testamenti, florido diademate præfulgeat præuentus *in benedictionib. dulcedinis:* vt satis rationabiliter à multis credatur, quòd simul cũ Christo Domino resurrexerit, eo priuilegio sibi cœlitus concesso, quod multis Corporib. Sanctorum cõcessum est: quæ in Saluatoris resurrectione apparuerũt. Sic enim gloriam Christi Domini, atq; Virginis, ipsius sponsæ decebat: vt non solũ essentiali gloria, sed & accidentali ex glorificatione corporũ simul perfruantur.

Deut 33. Ioseph plenam benedictionem cœli & terræ habuit.

Benedictio tandem illa, qua Moyses iam iam moriturus benedixit Ioseph Deut. 33. In nostro Ioseph multo excellentius videtur impleta. *De benedictione Domini terra eius, de pomis cœli, & rore, atq; abysso subiacente. De pomis fructuum solis, ac lunæ: de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum, & de frugibus terræ, & de plenitudine eius benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph, & super verticem Nazaræi inter fratres suos.* Vbi Rupertus septem benedictiones adnotauit; quæ nostro Ioseph aptè conueniunt. *Prima est*

Rupert.

de be-

de benedictio ne Domini terra eius. Quæ verba sacræ Dei genitrici ipsius sponsæ congruunt, de qua Psal 84. Dicitur, *benedixisti Domine terram tuam.* Pomorum verò benedictionem ter repetit: per quam incarnationis mysterium intelligit D. Greg. 9. Moralium cap. 22. & 24. Antiqui Patriarchæ fuerunt velut *naues poma portantes*, qui odorem tantum senserunt: sicut dixit Isaac Gen. 22. *ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus:* fructum verò pomorum non degustauerunt, quia *iuxta fidem defuncti sunt non acceptis repromissionibus:* Fructum verò pomorum, id est incarnationis mysterium inter paleas veteris legis nobis detulerunt. Christus Dominus fructus pomorum est, qui vetiti pomi amaritudinē sua dulcedine abstulit: de quo Cant. 4 dicitur sponsæ sanctissimæ: *emissiones tua paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus.* Christus pomum cœli est: pomum fructuum solis, & lunæ: id est diuinæ, & humanæ naturæ: ex æterno patre tanquam ex sole, & *ante Luciferum genitus:* atque ex alma virgine tanquam luna plena natus. *Pomum* quoque *est collium æternorum*, id est ex antiquis Patriarchis, & regibus originem ducens. Habuit benedictionem *de rore cæli*, quia de Spiritu sancto conceptus, atq; *de abysso subiacente*, quia ex genere Adami, de limo terræ formati veram carnem suscepit. Tandem *benedictio illius qui apparuit Moysi in rubro venit super caput Ioseph.* Rubus vtique incombustus sacra virgo est: in qua Dei filius igne charitatis totus exardens apparuit. Benedictio igitur Christi Domini & ipsius genitricis Mariæ *venit super caput Ioseph; factiq; sunt Nazaræi in capite ipsius:* habet sertum ex virtutum omnium, & gratiarum floribus contextum: habet & diademata multa, quibus exornare potest deuotas sibi mentes: vt ex illius copia, & plenitudine, diuina manus nunc nobis largiatur per eius intercessionem serta gratiæ, quæ sunt pignora coronarum gloriæ.

Psal. 84.
D. Greg. Iob. 9.
Gen. 22.
Ad Heb. 11.
Christus Dominus dulcissimꝰ est pomorū fructus.
Cant. 4.



IN SOLENNITATE ANNVNCIATIONIS Domini de Angelico nuncio ad Virginem misso.

CONCIO PRIMA.

Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomẽ erat Ioseph de domo Dauid: & nomen Virginis Maria. Luc. 1.

PRIMA Verba sunt hodierni Euangelii, quibus malorum nostrorum finis, & salutis humanæ fœlicissima exordia explicari cœperunt. Explicantur enim modus, suauisq; ordo, quibus diuina sapientia (quæ *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*) disposuit ex intemerata Virgine carnem assumere: vt faceret opus suum, humanique generis redemptionem operaretur. Hodierno die misso de cœlo nuncio, Sacra Virgo Maria, quæ iam erat *gratia plena*, maiori adhuc gratia repleta est: quia gratiæ fontem & authorem in se suscepit. Totum hoc mysterium gratiam vocat Paulus ad Titum 2. *apparuit gratia Dei Saluatoris nostri.* Quare de illo dicturi gratia maximè indigemus. Si virgo nobis postulet, obtinebimus. Vt verò postulet, precesque nostras suscipiat, Angelus gratissimũ medium hodie nos edocet, dicens, Aue Maria.

Sapien. 8. Esai. 28. Ad Tit. 2.

Sacrosanctum incarnati Verbi mysterium hodierno die magna cum veneratione, cordisque exultatione recolimus: à quo velut cœlestis paradisi perenni, sacroque fonte sacramentorum omnium fontes, & flumina gratiarum deriuantur. Hodie antiquorum patrum

trum gemitus, lachrymæ, ac desideria optatum finem habuerunt. Ecce enim *expectatio gentium, & desideratus earum: desideriumq; collium æternorum* adest in sacro Virginis vtero. Antiquæ legis typi, figuræ, & vmbræ veritatis diuinæ exitu comprobantur. Ho die namque cœlestis paradisus in terra plantatur: in quo secundus Adam cœlestis positus est, vt operetur, custodiat, & benedictione repleat paradisum ecclesiæ. Lignum vitæ plantatur in medio paradisi, id est, Christus in vtero Virginis: sicut explicat Augustinus. Fluuius aquæ viuæ splendidus tanquam crystallus, procedens de sede Dei hodie intra Virginis aluum includitur, vt inde egressus totum orbem doctrina sua, & pretioso sanguine irrigare incipiat. Hodie post diluuii aquas, totiusque orbis per peccatorum inundationem, spiritualeque naufragium, columba diuini spiritus in vterum Virginis descendens ramum oliuæ, id est, diuinæ misericordiæ magnificum germen, diuinum Verbum ad mundi pacem, & reconciliationem, ore detulit, virtuteque altissimi Virgini obumbrauit. Hodie verus Ioseph veste polymita ex natura diuina, & humana intra Virginis viscera indutus est. Hodie Moses in fiscella scirpeæ humanæ naturæ inclusus in aquas mundi tactatur, iuxta Regis vatis oraculum, Psalm. 68. Hodie diuina *sapientia ædificauit sibi domum.* Verusque *Salomon fecit sibi ferculum.* Virga Aaron floruit: & *flos de radice Iesse ascendit.* Virga florida, & manna de cœlo intra Virgineam arcam includuntur. Ignis diuinæ naturæ rubo humanæ vnitur, *non comburens, sed illuminans.* Templum Salomonis, in quo non est auditus malleus, vel securis hodie consummatum est: quia *non ex virili semine, sed mystico spiramine Verbum Dei factum est caro:* atque ex lapide illo Danielis exciso de monte sine manibus, diuini templi structura perfecta est: & gloria Domini impleuit illud. Tandem iuxta oraculum Ecclesiastici, cap 36 *Innouata sunt signa, & immutata mirabilia: magnificata manus, & brachium dextrum.* Verbum enim diuinum manus est operatiua patris, quam Dauid petebat dicens, *emitte manum tuam*

Antiqua figura per incarnationis mysterium completa.

D. Basil.

Psalm. 68.

3. *Reg.* 8.

Psal. 143.

tuã de alto: & brachiũ est de quo sanctissima Virgo Luc. cap. 2. mirabiliter cecinit: *fecit potentiam in brachio suo.*

Luc. 2.

Secundo loco omnia Prophetarum oracula per hoc ineffabile mysterium impleta videmus: Maximè Regis vatis, atque Euangelici Prophetæ, qui de hoc mysterio Spiritu sancto afflati multa mirabiliter prædixere: Maximè illa Psalm. 18. *à summo cælo egressio eius: Et in sole posuit tabernaculum suum.* Virgo enim sacra tabernaculum Verbi fuit: quæ mulier est illa mirabilis *amicta sole*. Ecce misericordia, & veritas obuiauerunt sibi. Et *simul in vnum diues, & pauper*: Deus & homo. Innumera quoque Esaiæ vaticinia hodie completa sunt: potissimum quæ prædixit, cap. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, cap. 11. *egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* cap. 16. *Emitte agnum Domine dominatorem terra.* Cap 45. *rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum*: cap. 52. *ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.* Et Hieremiæ cap. 31. *creauit Dominus nouum super terram, fœmina circundabit virum*, Ioelis cap. 3. *stillabunt montes dulcedinem.* Et Abbac. cap. 2. *apparebit in finem, & non mentietur.* Pluримaque alia, quæ breuitatis gratia omittimus, impleta sunt.

Prophetarum oracula per incarnationẽ Verbi impleta.

Apoca. 12.

Esai. 7. 11. 16. 45. 52.

Ioel. 3.

Tertiò denique diuina promissa facta patribus per hoc sacrum mysterium impleta videmus iuxta verbum Pauli ad Romanos, cap. 15. *propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum*: Potissimum verò, quæ propter grandia gesta Abrahamo, & Regi Dauid cum iuramento factæ sunt. Abrahamo Gen. cap. 22. *per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli: & benedicentur in semine tuo omnes gentes terra: quia obedisti voci meæ.* Et Dauid Psal. 131. *iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponã super sedem tuam.* Id quod confirmat Petrus Apostolus cap. 1. *maxima nobis per Christum, & pretiosa promissa donauit: vt diuinæ simus consortes naturæ.* Non solum per adoptionem, sed substantialiter: quia nostra natura humana per hoc ineffabile mysterium assumpta est à Verbo, & ad subsistentiam, & vitam diuinam eleuata.

Per incarnationem Verbi diuina promissa impleta sunt.

Ad Ro. 15.

Gen. 22.

Psal. 131.

2. Petr. 1.

Diuus

Diuus Augustinus, lib. de prædestinatione sancto. cap. 15. explicans illud Paul. ad Romanos, cap. 1. *qui prædestinatus est filius Dei in virtute*: sic explicat: *natura humana prædestinata est adeò sublimis euectio, vt quo altius eueheretur, non haberet. Quid enim altius, quid sublimius excogitari potest, quàm quòd homo sit Deus, & ad esse diuinum exaltatus? No ay plus vltra.*

D. August. Ad Rom. 1.

Quomodò verò sacrum hoc incarnationis mysterium peractum sit, narrat Lucas Euangelista per Virginē ipsam vtique, & afflatum Spiritus sancti edoctus: vt enim ait Bernardus, *soli Virgini datum est nosse; cui soli datum est experiri.* Propter maiestatem verò mysterii circumstantias omnes temporis, & loci, nominaq; explicat tàm loci, quàm Angeli missi, virginis almæ, & ipsius sponsi Ioseph sic inquiens: *Missus est angelus.* Audiuit tandem pater misericordiarum, & Deus totius consolationis *gemitus compeditorum*: audiuit *clamorem pauperum* filiorum Adam, qui sub misera tyranni exactoris seruitute detinebantur captiui, & oppressi: non enim potuit amplius *in ira sua continere misericordias suas. Vbi* ergo *venit plenitudo temporu* in æterno diuinæ sapientiæ consilio præstituti in mense sexto à conceptione Ioannis Baptistæ *missus est angelus.* Vbi cùm mense sexto sexta mundi ætas consonat: in qua Dei filius in mundum descendere, homoque fieri dignatus est: In æquinoctio vernali, cum prata ridere, plantæ floribus exornari incipiunt, & omnis creatura reuiuiscere. Tunc quo tempore mundus creatus est, primusque Adam die sexto formatus est: conuenientissimum fuit, vt noua mundi regeneratio eodem tempore fieret. Ecce enim impletur illud oraculum Esaiæ, cap. 65. *ecce ego creo cœlos nouos, & terram nouam: & non erunt in memoria priora:* Et cap. 43. *ecce ego facio noua.* Conueniens ergò fuit secundum Adam cœlestem eodem tempore in mundo apparere, & intra viscera sacræ Virginis concipi. Prius verò oportuit, vt pro dignitate Dei mittentis, virginis almæ, ineffabilisque mysterii paranymphus eligeretur. A Deo siquidem immediatè mittebatur, non per alterius Angeli reuelationem. Et ad virginem sacram: decebat enim suauem Dei dispositionem, vt prius

D. Bernh. Propter maiestatē mysterij incarnationis circūstantiæ omnes explicantur.

Cum mēse sexto, quo facta est annunciatio sexta mundi ætas, & sextus dies creationis Adā consonant.

Esai. 65.

Multis rationibus

conueniens fuit sacrã Virginẽ de mysterio admoneri. vt prius mens virginis de mysterio instrueretur, quàm Verbum carne conciperet, sicut docet Angelicus Doctor. 3. part. quæstio.30. articu. primo. *Beatior namque fuit Maria percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi:* sicut ait Diuus Augustinus, libr. de Virginitate. Et postea subdit: *materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi fœlicius Christum corde, quàm carne gestasset.* Secunda ratio est D. Thom. vt possit admonita virgo testis esse certior huius sacramenti, postquam de illo diuinitus erat instructa. Tertio vt voluntaria sui obsequii munera Deo offerret. Quartò, quia per hoc mysterium spirituale matrimonium inter Dei filium, & humanam naturam erat contrahendum. Oportuit ergo prius quàm celebraretur, à virgine nomine totius naturæ consensum expectari. Quare per Angelum præmonita, deque mysterio, & illius modo certior facta promptam obedientiam diuinæ voluntati gratissimumque consensum cœlestibus nuptiis præstitit, dicens: ecce ancilla Domini.

S. Thom D. August.

Quis verò paranymphus tam dignis nuptiis destinatus est? Lucas explicuit dicens, *missus est Angelus.* Multis de causis Angelus ad hoc ministerium electus est, sicut docet S. Thomas. 3. part. quæstion. 30. artic. 2. Prima ratio est, vt in hoc seruaretur diuinæ ordinationis suauitas, secundum quam mediantibus Angelis diuina mysteria ad nos perueniunt secundum doctrinam diui Dionysii, cap. 4 cœlest. Hierarchiæ: *Domini Iesu benignitatis mysterium Angeli primi edocti sunt. Postea per ipsos ad nos cognitionis gratia transiuit.* Secunda ratio est, vt per easdem causam culpa dissolueretur, per quas inceperat: iuxta textum in lege omnis res, ff. de regulis iuris, *omnis res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur.* Mors in mundum intrauerat per dialogum, & colloquium serpentis cum muliere: sic æquum fuit, vt reparationis initium, & vita nostra per colloquium Angeli cum Maria inchoaretur. Sed ille serpens Angelus malus erat super pectus suum gradiens: nunc verò Angelus de cœlo missus est à Deo. Vt iam finis incarnationis Christi relucere incipiat: *qui in hoc apparuit, Vt dissoluat opera diaboli,* sicut Ioan. ait 1 cap. 3. Tertia

Angelum mitti multis rationibus conueniens fuit, S. Thom. D. Dion.

Lege omnis res, ff. de reg. iur.

1. Ioan. 3.

ratio

ratio est, vt honor deperditus per Luciferum restitueretur: repararetur Angelorum lapsus: impleréturq; ruinæ iuxta Regis Prophetæ oraculum Psalm. 109. *iudicabit in nationibus, implebit ruinas.* Id quod & Paulus ad Ephesios 1. eleganter docet: *proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo quæ in cælis, & quæ in terris sunt.* *Psal. 109.* *Ad Eph. 1.*

Vbi cauenda est doctrina Origenis, qui falso existimauit Dæmones tandem ad suas sedes redituros per Christum: neque enim ea est instauratio, quam Paulus edocet: sed quod homines in locum Angelorum, qui ceciderunt, substituendi sint. Vbi iam infirmatur quarta ratio, propter quam conueniens fuit, vt Angelus mitteretur ad Euangelizandum mysterium, per quod exaltationem humanæ naturæ diuina bonitas disponebat. Missus est ergo Angelus, vt humana natura iam exaltari incipiat: quia vt Paulus ait ad Hebr. 1. *omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Æquum igitur est, vt homo, qui tam dignos, excelsos, & gloriosos ministros, & custodes habet, semper attendat, quod Paulus ait: *spectaculum facti sumus Deo, Angelis, & hominibus,* 1. ad Corinth 4. neque in humilia, & vilia flectatur: neque terrena stercora amplexetur, Threnor. 4. Quinta tandem accedat ratio: decuit enim honorem, atque dignitatem virginis, vt Angelus mitteretur: quia (vt D. Hieronymus ait, sermon. de assumptione,) *benè Angelus ad Virginem mittitur, quia semper est angelis cognata Virginitas.* Virginalis enim puritas cum angelica natura magnam similitudinem habet. Quinimo (vt ait D. Ambrosius:) *maius est carnis lasciuiam in carne vincere, quàm angelos sine carne puritatem seruare.* *D. Hieron.* *D. Ambro.*

Non solùm autem Angelus missus est: sed & præcipuus Angelus: sic enim habebatur in Græco, Angelus cum articulo, id est, ille magnus angelus. Sicut & olim in huius mysterii typo, & figura magnus ille Patriarcha Abraham Genes. 24. *elegit seruum seniorem domus suæ nomine Eliezer,* id est, Dei adiutorium: illumque posita manu subter fœmur suum adiurauit, vt non accipe- *Pro dignitate mysterij præcipuus nuntius electus est.* *Gen. 24.*

acciperet vxorem filio suo Isaac, de filiabus Chananæorum: sed de Mesopotamia, deque cognatione sua: vnde duxit Rebeccam in vxorem Isaac. Sic nunc in complementum veritatis, & illius antiquę figuræ mittitur à Deo Gabriel Angelus, qui supremus creditur esse in ordine Archangelorum iuxta doctrinam Diui Thom.3.part.quæst. 30. artic.2.ad quartum. Nomenque Archangeli cum mysterio, quod aununciat, congruentiam habet. Gabriel enim interpretatur homo Deus: Geber enim homo est, El Deus. Rectè nomen nuntii mysterio conuenit. Secundò, Gabriel interpretatur vir meus Deus: quia annunciabat virgini, quòd haberet Deum pro viro; & sponso iuxta vaticinium Hierem.cap.31. *fœmina circumdabit virum.* Tertiò Gabriel interpretatur fortitudo Dei; quod nomen conuenit ei, qui mysterium nuntiabat in Dei brachio, & fortitudine perficiendum. Et quia Christus est Dei virtus, & fortitudo nostra: qui fortem armatum alligauit, aereasque potestates debellauit: Vnde prædixit Angelus virgini, *virtus altissimi obumbrabit tibi.* Deinde mittebatur à Deo, diuinæque charitatis fortitudine; de qua Hierem.31. *in charitate perpetuâ dilexi te: ideo attraxi te miserans.* Appetierat primus homo esse sicut Deus. diabolica fraude deceptus: & ne frustraretur hominis desiderium, filius Dei, *cùm in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum; in similitudinem hominum factus*; ita vt homo verè, & substantialiter sit Deus: & omnis, qui credit in eum, potestatem habeat filius Dei fieri. Meritò ad tam excelsum, & diuinum opus, missus est Angelus supremus à Deo.

D. Thom.

Gabrielis Archangeli nomẽ mysterio conuenit.

Hier.31.

Hier.31.

Philip.2.

In ciuitatem Galileæ. Galilæa transmigratio interpretatur: per mysterium enim incarnationis veteris legis, & sacerdotii futura erat transmigratio iuxta verbum Pauli ad Hebræ 7. *translato sacerdotio necesse est, vt & legis translatio fiat.* Figuræ quoque, & vmbræ antiquæ in veritatem transmigrabant: *omnia enim in figura contingebant illis.* 1. ad Corinth. 10. & iuxta verbum Esaiæ, cap.40 *fœnum aruit, & flos eius decidit: Verbum autem Domini manet in æternum:* id est, antiquus flos in fructum vitæ transiit. Veniebat quoque Dei filius, vt dilectus

Nomẽ Galilææ trãsmigrationi per Christũ facta conuenit.

Ad Heb.7.

1 Cor.10.

Esai.40.

dilectus populus è captiuitate Babylonis, & culpæ, in libertatem filiorum Dei transmigraret iuxta verbum Paul. ad Coloss. 1. *Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.* Rectè igitur spiritualis transmigrationis mysterium in Galilæa celebratur. *Coloss. 1.*

Nomen verò ciuitatis Galileæ memoria æterna dignum est; vocatur enim Nazareth: vt impleatur vaticinium, *quoniam Nazaræus vocabitur.* Quod quidem oraculum quamuis sub his verbis non reperiatur apud aliquem Prophetam, sicut adnotauit Diuus Hieron videtur tamen de Sampsone in figura Christi dictum Iudicum 13. *Erit enim Nazaræus Dei* Adde, quòd si nominis significatio attendatur, reperiemus oraculum apud Esaiam cap. 11. Nazareth enim interpretatur flos. Congruum ergo fuit, vt in loco floris conciperetur, qui de se ait Cantic. cap. 2 *Ego flos campi, & lilium conuallium*; flos (inquam) non horti manu hominis exculti: sed flos campi, qui nulla humana cultura, sed ex rore cœli nascitur. Sic Christus Dominus ex virtute Spiritus sancti conceptus est, iuxta Esai. vaticinium cap. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Nazaræus item floridus, separatus, vel sanctificatus interpretatur: quæ omnia Christo Domino aptè conueniunt; sicut de ipso ait Paulus ad Hebræos cap. 7. *Talis decebat, vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Deinde Nazareth germen, siue flos interpretatur, quod Christo conuenit, sicut adnotauit Caieta. iuxta oraculum Esaiæ, cap. 4. *Erit germen Domini in magnificentia, & gloria: & fructus terræ sublimis.* Totus floridus est noster IESVS, in lectulo florido virginalis vteri conceptus. Adeò floridus, vt spinæ quoque coronæ ipsius, & claui flores sint aromatici, ex quibus deuotæ mentes velut apes argumēto se dulcissimos fauos mellis conficiunt: floridaque serta, & fasciculos odoriferos contexunt. Lilium etiam est conuallium: quia in humili marre, humilibusque mentibus concipitur. Lilium exterius quidem album colorem habet, intus tamen aureum: quo duplex Christi natura, diuina scilicet

Christus Dominus merito Nazaraeus dictus: & apud Nazareth conceptus. *D. Hieron.* *Iudic. 13.* *Esai 11.* *Cant. 2.* *Esai. 11.* *Hebr. 7.* *Caiet.* *Esai 4.* *Christus germē Domini, & flos est.*

licet,& humana significatur: *caput enim eius*, id est diuinitas *aurum optimum* Cantic 3. *& capilli*, id est humanitas *vt lana alba. In ipso enim inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, ad Coloss. 2. Vtinam cœlestem hunc diuini floris odorem sic sentiamus: vt cum sponsa dicamus, *trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum*: Ipse enim est, de quo in figura dixit Isaac, cum benedixit Iacob. *ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.*

Cantic 3.

Genes. 27.

Iam verò legationis Angelicæ terminum explicat Lucas Euangelista dicens, *ad virginem desponsatam viro: cui nomen erat Ioseph de domo Dauid.* Vt impleretur vaticinium Esa. cap. 7. *ecce virgo concipiet*. & promissio facta Dauidi. Virgo sanctissima desponsata fuit Ioseph, vt incarnationis mysterium Diabolo celaretur: & quia (vt Ambros. ait) *maluit Dominus de suo ortu, quàm de matris pudore dubitari*. Atque aliis de causis, quas concione secunda de sancto Ioseph satis explicuimus. Ex eo verò, quod desponsata fuit, existimat Caietan. quod in ætate nubili ad minus decem, & nouem annorum desponsata fuerit. Imò rationabile existimat, quòd fuerit tunc viginti quatuor annorum: vt perfecta mulier secundùm ossa, & perfecta mater perfectum gigneret filium. Sed quanquam desponsata, semper tamen virgo permansit. Hæc enim est virga Aaron, quæ sine vllo externo humore floruit. Ipse est lectulus floridus, qui in Nazareth loco florido Dei filium in mundum venientem verum florem cœli, & campi suscepit: ipsa est mirabilis illa porta Orientalis, de qua Ezechie. cap. 44. per quam ingressus est princeps gloriæ: mansit *clausa principi*. Quod oraculum de sacra virgine explicant Hieronym. & Chrysostom. in eum locum: Ambros. epist 81. Cyprian super symbolum. August. serm. 20. de natiuit. Christi Pagninus explicuit, *erit clausa principi, & ille manebit in æternum.*

Virgo sacra multis de causis desponsata fuit.
Esai. 7.
Ambros.
Ætate nubili virgo desponsata est.
Caietan.
Sacra Dei genitrix semper virgo permansit.
Ezech 44.
Hieron.
Chrysost.
Ambros.
August.

Nomen tandem virginis explicatur, *& nomen virginis Maria* non casu illi inditum, sed diuino consilio impositum. Si enim Abrahæ, Saræ, Israeli, Ioanni Baptistæ, & Petro noua nomina diuino consilio sunt imposita, quæ diuinum beneficium, vel consilium, vel mu-

Nomē Maria, diuino cōsilio fuit virgini impositum.

nus explicarent: quis dubitet sacrum hoc nomen Maria diuino consilio fuisse impositum virgini? Maria enim in Hebræo, Miriam, idem est, quod domina: atque adeo nomen est consentaneum mysterio: facta enim mater diuini verbi, simul constituta est domina cœli, & terræ: siquidem Dei filius factus est illi subditus. Quare illi canimus, *ô gloriosa Domina, excelsa supra sidera*: & iterum, *Aue Regina cælorum: Aue Domina Angelorum*. Vt illi speciali ratione conueniant verba Psal. 8. *omnia subiecisti sub pedibus eius* Subiecto enim illi Dei filio, nihil est in cœlo, neque in terra, quod non sit subiectũ ei. O verè gloriosa Domina, quæ super cœlum, & terrã, super infernum, & peccata, super morbos, & languores dominium habes. *Tu dominaris potestati maris, & motũ fluctuum eius tu mitigas.* Psal. 8. Psal. 88.

Deinde Maria id significat quod mare. Quo gratiarum ipsius affluentia explicatur: sicut enim Eccle. 1. dicitur, *omnia flumina intrant mare*: sic omnia flumina gratiarum mentem virginis repleuerunt, imò fontem paradisi in se suscepit. D. Bernard. *Aqua ductus est, qua plenitudinem fontis de corde patris accepit: & nobis edidit.* Ipsa est ciuitas Dei, de Psal. 45. *fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Et sicut initio conditi orbis dixit Deus, *congregentur aquæ in locum Vnum: & congregationes aquarum appellauit maria*: sic omnes aquæ gratiarum in vnam Mariam congregatæ sunt: iuxta illud Prouerb. 31. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu supergressa es Vniuersas.* Vnde D. Hieron. ait, *cæteris per partes gratia data est, in Mariam Verò tota sese infudit gratiæ plenitudo.* Id quod Angelica salutatio confirmat, quia dixit: *Aue gratia plena*: vt explicabimus concione sequenti. Per mare commercium, merciumque transuectio, per Mariam cœlestium bonorum commercium habemus. *Maria Domina interpretatur: Vel mare, Vel maris stella.* Eccles. 1. Gen. 1. D. Hieron.

Tertiò Maria dicitur *maris stella*. Sic enim ecclesia canit: *Aue maris stella*. Ipsa est, quæ fideles in hoc mari nauigantes, mundique procellis tumentibus agitatos dirigit; & ad æternæ fœlicitatis portum perducit. Rectè munus stellæ dirigentis illi conuenit, atque maris, quæ maris amaritudines degustauit: vt assimiletur filio, quia cùm esset filius Dei, *didicit ex his, quæ passus est. &*

est: & vt misericors fieret, debuit per omnia fratribus assimilari, ad Hebræos 2. sic sacratissima virgo, *non ignara mali miseris succurrere* nouit. Stella, quæ noctu dirigit, & per quam hora noctis dignoscitur, quæ polus dicitur, Hispanè *Norte*: nauigantes per speculum, & acum dirigit: sic sacra virgo per vitæ præsentis fluctus nos ducit: *Stella differt ab stella in claritate*, 1. Corinth. 15 sacra virgo stellarum omnium splendorem superat. Imò & ipsius solis splendorem: siquidem, *sicut sydus radium, profert virgo filium; pari forma*. Ipsa vera stella est, de qua Num. 24. *orietur stella ex Iacob*. Quæ virtutum omnium, gratiarum, & miserationum radios nobis influit, & communicat. Meritò mellifluus Bernard homil. 2. super missus est, ait: *sileat miserationes tuas (ô beata Virgo) quisquis in suis necessitatibus te inuocatam, sibi meminerit defuisse*. In omni ergo necessitate *respice stellam, & voca Mariam*: illa siquidem nobis influet radios gratiæ, vt recta nauigatione perueniamus ad portum gloriæ.

Num. 24.

D. Bernar.



IN

IN EADEM SOLENNITATE,

CONCIO SECVNDA.

De Angelica Salutatione.

Ingressus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum. Luc. I.

THEMA.

DVo Verba super omnia verba in terris suauissima sonuerunt: quorum reliqua omnia verba muta videntur: nempe *Verbum caro factum est*, quod Ioannes protulit: & *Aue gratia plena*, quod Angelus de cœlo in terram inuexit. Vox est de altissimo cœli culmine resonans: per quam Angelus legationi suæ: & diuina bonitas redemptioni nostræ lætissimum dedit initium. Vt igitur & nos concioni nostræ faustum demus exordium, ab eisdem verbis initium sumamus, dicentes: Aue Maria.

Faustum fœlicissimumque diem incarnationis Dominicæ hodie recolimus. Diem initium dierum: finem laboriosæ illius noctis, finem legis, vmbræ promissionum, & desideriorum. Diem, quo diruptis cœlis Verbum descendit, quo cœli melliflui facti rorauerunt desuper verum manna. Diem, quo emissa est manus patris ex alto: emissus est agnus dominator terræ de petra deserti. Meritò de hoc die canit ecclesia; *Hac dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea.* Sacratus hic dies duo sortitur nomina, incarnationis, & annunciationis. Incarnationis dicitur ex fine, & termino annunciationis, ex medio. Incarnationis dies dicitur, quia hodie diuinum verbum nostram carnem assumpsit, & in vni- *Sacratus hic dies duo sortitur nomina, incarnationis, & annunciationis.*

tatem personæ sibi vniuit. Statim enim, vt virgo sacra respondit Angelo, *ecce ancilla Domini, fiat mihi secundũ Verbum tuum*: subitò per Spiritum sanctum formatum est corpus infantile, & creata est anima plena gratia, & gloria: & facta est vnio in persona verbi: ita quòd à verbo suscepta sunt anima, & corpus, atque adeò *Verbũ caro factum est: perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens*. Perfectus (inquam) homo quia perfectam animam cum perfecto, & integro rationis vsu suscepit: perfectumque corpus, infantile quidem, & tenerum, aptatum tamen, vt pati posset: iuxta verbum Paul ad Heb. 10. *Ingrediens mundum, dicit, Corpus autem aptasti mihi.*

Ad Heb. 10.

1. Tim. 3.

Rectè Apostolus 1 ad Timoth. 3. de hoc mysterio ait: *manifestè magnum est pietatis sacramentum. Quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu: apparuit Angelis, prædicatum est in gentibus: creditum est in mundo, & assumptum est in gloria.* Magnum vtique pietatis, id est, amoris diuini testimonium, quia *maxima & pretiosa nobis promissa donauit: Vt diuinæ efficiamur consortes naturæ* 2. Pet cap. 1. Quia, quanquam in creatione diuinus amor ostensus est, dum creatum hominẽ ad imaginem, & similitudinem suam super omnem creaturam exaltauit; & in patria diuinus amor ostenditur, dum per lumen gloriæ beatorum intellectus sibi vnit: non tamen communicauit homini in creatione suum esse: nec in patria vnitur substantialiter, sed accidentaliter. Hæc vera vnio per incarnationis mysterium substantialis est, & personalis atque summa vnio iuxta illud Ioan. cap. 1. *Verbum caro factum est* Et sicut fatemur in symbolo: *sicut anima rationalis: & caro Vnus est homo, ita Deus, & homo Vnus est Christus.* Inter animam verò & carnem vnio est substantialis. Leo Papa de hoc ineffabili mysterio eleganter dixit: *Tantò fœdere Vtramque naturam conseruit, Vt nec superiorem minueret assumptio: nec inferiorem consumeret glorificatio.*

Vnio incarnationis substantialis est.

Leo Papa.

Secundò magnum est sacramentum, siquidem, cum Deus illud ab æterno decreuisset, & exequi potuisset: tamdiu tamen distulit: quasi magno consilio indigens,

vt maiestatem mysterii dilatione commendaret; qua ratione Paul. Apostol. ad Rom. 16. vocat *mysterium hoc æternis temporibus tacitum.* Tertio magnum est mysterium, quia per illud tota Trinitas magnificatur: Omnes enim tres diuinæ personæ illud operatæ sunt. Pater, quia *sic dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Spiritus sanctus qui superuenit in virginem: illique obumbrauit, dum lucem diuinitatis carnis vmbra cõtexit. Filius verò mysterium operatus est tanquam finis, & terminus incarnationis, ex virgine carnem assumens. Hoc est excellentissimum opus Dei, quod omnes diuinas perfectiones exaltat, & manifestat. In aliis enim operibus splendet vna, vel altera diuina perfectio. In hoc verò opere effudit diuina maiestas omnes perfectiones suas, sapientiam, potentiam, iustitiam, misericordiam, bonitatem, & amorem. *Fue como vn zero i suma, y cifra de toda la diuina perfection.* Id quod elegãter explicuit Paul. ad Philip. 2. dicens; *exinaniuit semetipsum,* id est, exhausit, & euacuauit omnem maiestatẽ, potentiam, & perfectionem suam. In creatione Angelorum splenduit diuina potentia: in hominis creatione sapientia, in diluuio iustitia: in Niniuitas patientia, & misericordia. In hoc verò opere omnia attributa diuina manifestata sunt. Sicut in horologii motu videmus plures rotas, & instrumenta sigillatim moueri, at verò cum sonat hora, omnia simul mouentur. Sic *vbi venit plenitudo temporis*, accessitque hora, vt mitteret Deus filium suum, omnes rotæ diuinarum perfectionũ sonuerunt: magnaque gloria diuinæ maiestatis manifestata est: sicut Ioan. cap. 1. dixit: *Verbum caro factum est, & vidimus gloriam eius:* & mater ecclesia canit, *gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam:* quia per hoc mysterium clara notitia cum laude diuinarũ perfectionum nobis est tradita.

Ad Ro. 16. *Ioan. 3.* *Incarnationis opus excellentissimũ inter omnia opera Dei ad extra.* *Phil. 2.* *Simile.* *Ioan. 1.*

Quarto, magnum est mysterium, quia per illud omnis creatura magnificata est. Exaltato enim homine ad diuinum esse omnis creatura exaltata est. Homo enim creaturarum omnium perfectiones in se claudit: quare enim Marci vltimo dixit Christus Dominus Apostolis: *prædicate Euangelium omni creaturæ.* In exaltatione

Exaltato homine ad diuinum esse omnis creatura

exaltata est. tione ergo hominis exaltantur cœli, terra, & Angeli: tum quia amici nostri, & administratorii spiritus, eiusdemque gloriæ participes; tum vero maximè, quia per
Marc. vlt. hoc mysterium datus est illis princeps, quem adorant omnes Angeli: sicut Paul. dixit ad Hebr. 1. Potissimum vero exaltata est, & magnificata super omnem creaturam sanctissima virgo verbi mater: sicut ipsa in Cantico
Luc. 1. mirabiliter cecinit dicens: *fecit mihi magna qui potēs est.*

Mysterium annunciationis dicitur ex medio salutationis Angelicæ. Deinde sacramentum huius diei mysterium annunciationis dicitur propter medium salutationis Angelicæ, qua incarnationem verbi Angelus Gabriel virgini annunciauit. Quare potiori iure possimus verba illa quæ leprosi dixerunt 4. Reg. 7. huic diei accommodare, *hodie dies boni nuntij est, venite eamus, & nuntiemus in aula Regis.* Hodie siquidem longa illa obsidio, qua
4. Reg. 7. hostis humani generis obsessos nos opprimebat, per saluatorem ablata est: & post longam famem successit
Psal. 64. saturitas, & abundantia panis: & iuxta Regis Prophetę vaticinium *valles abundauerunt frumento, & campi* ecclesiæ *repleti sunt vbertate.* Sacratus enim venter virgi-
Cantic. 7. nis factus est *aceruus tritici, vallatus lilijs*, Canticor. 7.
Prouer. 31. Et ipsa Dei genitrix facta est, *quasi nauis institoris de longe portans panem suum.* Id quod per verbum virginis, quo Angelico nuntio consensum præstitit, peractum est.

Modum vero angelicæ salutationis enarrat Lucas Euangelista, dicens, *ingressus Angelus ad eam dixit.* Et
D. August. Diuus Augustinus serm. 14. in natiuit Domini: *ingressus est ad me Gabriel Archangelus, facie rutilans, veste co-*
Angelus flexis genibus allocutus est virginem. *ruscans, incessu mirabilis.* Imo addit Diuus Augustinus, quod flexis genibus allocutus est virginem; quasi matrem Dei, reginamque cœlorum illam veneratus. Atque ea ratione notanter dixit Euangelista, quod *cum audisset, turbata est in sermone eius: & cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Vbi verosimile est, non solum cogitasse virginem qualitatem verborum, sed & humiliationis Angeli. vtrumque enim clauditur in qualita-
D. Thom. te salutationis. Diuus Thom. 3. part. quæst. 30. artic 3. sic
In figura corporea ait, expediebat, vt in corporea figura, atque visibili appareret Angelus. Primò, quia veniebat annunciare incarnatio-

carnationē visibilis Dei: cùm etiā omnes Apparitiones veteris testamenti ad hanc ordinatæ sint, qua Dei filius in carne apparuit. Secundo congruū fuit dignitati matris Dei, quæ non solùm in mēte, sed in corporeo ventre filiū Dei receptura erat. Et ideo non solùm mens eius, sed etiā sensus corporei erant angelica visione refouendi. Tertio conueniens fuit certitudini mysterii, quod annūtiabatur, ea enim, quæ sunt oculis subiecta, certius apprehendimus. Vnde D. Chrysost. super Matth. ait, quod Angelus non in somnis, sed visibiliter virgini astitit: nā quia magnā valdè reuelationē accipiebat ab Angelo, egebat antè tantæ rei euentū, visione solenni. *Visibili conuenies fuit Angelum apparere Virgini.* *D. Chrys.*

Ingressus verò Angeli ad virginem, manifestè dicit, ipsius clausuram intra secretū cubiculum: sicut adnotauit Ambros. lib. 2. in Lucam: & Berna. homil. 2. super missus est. Id quod confirmat interpretatio vocis Hebrææ alma, quæ significat virginē absconditam. Concinit locus Cantic. 4. *columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Et Cantic. 8. vbi de sorore sponsæ, quæ puella adhuc erat, & tenella virgo, sponsa interrogat sponsum dicens: *soror nostra parua, & vbera non habet: quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est?* Vbi duo adnotanda sunt. Primùm, quod de illius custodia solicitè prouidetur: vt murus adhibeatur cum propugnaculis argenteis: ostiumq; firmum cōpingatur ex tabulis cedrinis. Secundùm presupponitur, quòd vsque ad diē desponsationis nullus allocuturus est virginem. Ille enim est dies, quando alloquēda est. Sic virginem almam in secreto cubiculo latentem orantem, vel legentē Angelus inuenit, & salutauit. Iudith 8. laudatur, quia in secreto cubiculo domus suæ cum ancillis *clausa morabatur.* Et de honesta coniugata dicitur Psal. 127. *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ*, id est, in occultis domus recessibus. Similiter Paul. hortatur dicens, *mulier in silentio discat.* Concinit elegās locus Cant. 4. *labia tua sicut vitta coccinea.* Aliæ fœminæ comā exornāt, crinesq; vittis discolorib. ligāt, vt pulchriores appareāt: labia verò paucæ ligāt. Quare in laudē honestatis, silētii, atq; clausuræ sanctiss. virginis dicit spōsus: *labia tua sicut vitta coccinea*, id est, honesto *Magna clausura & silentij exemplum virgo præstitit.* *Ambros.* *Bernar.* *Cant. 4.* *Cant. 8.* *Iudith. 8.* *Psal. 127.* *1. ad Th. 4.* *Cant. 4.*

silentio clausa. Sic Angelus ingressus est ad eam in silentio, & secreto cubiculo latentem, cœlestiaq; mysteria meditantem, & dixit, *Aue gratia plena.*

Aue gratia plena. Verba sunt omni acceptatione digna: quibus ex nomine sanctissimæ Triadis Angelus salutauit virginem, miraculum miraculorũ annuntiãs: mysteriumque æternis temporibus in corde patris tacitum manifestans; quod cœlum, & terram, imò & lymbum patrum magna exultatione repleuit. Id quod Sibylla (vt habetur. 3. lib. oraculorum) prædixit.

Sibylla.

Gaudia læta puella, tibi nam gaudia semper
Duratura dedit cœli, terraq; creator
In te habitaturus: tibi lux æterna manebit.

Salutatio Angelica nusquam in terris audita fuerat.

Nationes omnes habent salutationes suas pro more patriæ. Hæc verò salutatio nunquam antea in terris fuerat audita. *Soli Mariæ seruabatur*, vt ait D. Ambros. Eaque fortè fuit ratio, vt turbata fuerit in sermone eius, id est, in noua benedictionis formula: quæ sanè in diuino Trinitatis consilio ordinata ex cœlesti curia fuit per Angelum delata. Verba sunt gratulantis, atque bona nuntiantis: sicut Hispano sermone dicimus, *buenas nuenas: goz aos y para bien sea.* Petrus Chrysologus quod *fuit generationis delatio, & muneris oblatio: como de nueua fruta del arbol de vida del cielo.* Non sine diuino consilio factum est, vt à dictione, Aue, inceperit Angelus: quia tres illæ litteræ, Trinitatis nuntio aptè conueniunt. A, altitudini patris: V. veritati filii: E, æternitati Spiritus sancti.

D. Ambr.

Pet Chrys.

Deinde mysterium incarnationis principium est salutis nostræ iuxta illud Psal. 109. *tecum principium in die virtutis tuæ*: filius Dei pro salute nostra filius virginis factus est. *Ipse est principium, & finis, α. & ω. Alpha, & O.* rectè ergò principium annuntiatur per litteram, A.

Psal. 109.

Per eam quoque salutationem damna per Euam illata, scilicet dolor in partu, tristitia, & seruitus ablata sunt: atque adeò sicut Augustinus ait Serm. 2. de Annunciatione, *maledictio Euæ in benedictionẽ mutatur.* Vnde canit ecclesia, *funda nos in pace: mutans nomen Euæ*, Aue amotionem dicit totius væ. Multiplici væ plena erat terra, peccatorum, trium hostium animæ, atque trium

Per salutationem Angeli nomen Eua mutatur, & maledictio in benedictionem.

pœnarum

pœnarum, quæ culpam consecutæ sunt: iuxta illud Apoc. 8. *Væ, væ habitantibus in terra.* Væ omnia concludebat. Sed per Aue ablatum est væ: *entro Eua en muda, y con las tres letras de Aue mudo las tres danadas plumas de culpas, y penas: y trocose en nueua Aue*, ita Gregor. Nissen. Et Diuus Fulgent. Sermon. de laudibus virginis: *cum Angelus dixit Aue, ostendit, ex integro iram exclusam primæ sententiæ: & plenam benedictionis gratiam restitutam.* Solet inter Aues à quibusdam præferri Pauus, ab aliis Perdix: hæc verò Auis cœlestis est, quæ & gustu, & volatus altitudine cunctas aues excedit. Est enim auis, cuius cibus est omnium horarum, & temporum, ingenti suauitate plenus, vtpote per Angelum de cœlestis Regis mensa, & ore in terram delatus: cui conueniunt verba Ecclesiast. 24. *Qui edunt me, adhuc esurient, que nunca opila ni empalaga*, omnemque habet saporis suauitatem excellentius quam manna: sapit enim diuinam gratiam, & ipsum Deum. Volatus verò altitudine Herodii, aquilæ, omniumque auium velocitatem, & volatum excedit: penetrat enim oratio hæc salutationis Angelicæ cœlum ipsum: pectus (inquam) virginis almæ, & filii,

August. *Apoc. 8.* *Greg. Niss.* *D. Fulgēt.* *Eccles. 24.*

Gratia plena. Græcè habetur, χαριτωμένη, charitomeni, id est, gratiosa, vel gratificata, à verbo χαριτόωμαι, charisomæ, quod est gratificare, vel fore: inde *acariciar o regalar*, sic dicitur gratia plena, *acariciada regalada de Dios*, & magnis muneribus, deliciis, gratiarumque prærogatiuis à Deo exornata. Plenitudo datur secundum mensuram vacuitatis: Sicut vasa vacua viduæ repleta sunt 4. Reg. 4. Humilitas virtus est, quæ amore proprio, & æstimatione mentem euacuat. Sic explicat Diuus Augustin. paupertatem spiritus Matth. 5. de his, qui inflantem spiritum non habent: sed spiritum suum euacuant, vt repleantur diuino. Sacra igitur virgo humilitate omnes excedens, spirituque suo vacua, gratia plena fuit: quia, quãuis de Ioan. Baptista dicatur, Luc. 1. *Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ*: & de B. Stephano Actu. 7. *Stephanus plenus gratia*, &c. Et de Apostolis Actuum 2. Quod *repleti sunt Spiritu sancto*: plenitudo tamen gratię non dicit omnimodam æqualitatem:

4. Reg. 4. *D. August.* *Pro mensura humilitatis data est virgini plenitudo gratia.*

litatem; sed plenitudinem proportionis, secundum capacitatem, cuiusque: sicut minora vasa plena dicuntur, sicut & maiora, nō tamen æqualem mensuram liquoris capiunt: sicut docet Diuus Bernardus homil. 3. Super missus est, & Origenes homil. 29. Explicans illud Luc. 3. *Iesus autem plenus Spiritu sancto.* Christus enim Dominus plenitudinem habet gratiæ, & veritatis, sicut fons: alii sancti pleni fuere gratia, sicut minora vasa; at verò sanctissima virgo plena fuit, sicut *vas admirabile, opus excelsi*, Ecclesiast. 43. Et *sicut vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso*, Ecclesiast. 50. Fuit enim plena, non vtcunque, sed super omnes creaturas. Cuius rationem exhibet D. Thom. 3. part. quæst. 27. artic. 5. Quia propinquior fuit fonti gratiæ, qui Christus est, de quo dicitur, *apud te est fons vitæ*. Maria fluuius est paradisi ex fonte procedens: alii verò sancti quanquam pleni, riui tamen sunt minores. Ea ratione sacra virgo dicitur *fons signatus*, Cantic. 4. Imò mare, in quod intrauerunt omnia flumina gratiarum: sicut diximus concione prima proxima circa finem de nomine Mariæ, quod significat mare. De hac virginis excellentia D. Gregor. super caput 11. lib. 1. Reg. explicans illud Esaiæ 2. *erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium*, dicit beatam virginem esse vertices montium, propter sublimitatem sanctitatis, & perfectionis. Dicitur vertex, quasi corona montium, & sanctorum omnium. Eademque ratione explicatur de ipsa locus Ezech. 17. Vbi dicitur, *sumam de vertice ramorum eius, tenerum dispergam*, vbi incarnationis mysterium ex virgine significatum est: ipsa enim vertex est, in genere Regio principatum tenens, & inter sanctos omnes verticem, & coronam obtinens.

D. Bernar. *Origenes.* *Christus Dominus fons est gratia.* *D. Thom.* *Psalm. 35.* *Cant. 4.* *Gregor.* *Esai. 2.* *Sacra virgo vertex montium merito dicitur.* *Ezech. 17.*

Ratio verò tantæ excellentiæ gratiæ virginis super omnes sanctos ea est: quia electa fuit ad supremam dignitatem, quam creatura habere potest: nempe, vt sit mater Dei. Quam esse quodammodo infinitam docuit Angelicus Doctor 1. part. 2. quæst. 25. artic. 6 ad 4. Cuius rationem Angelus legatione sua insinuauit virgini dicens, *Dominus tecum*: quasi dicat, inde tibi tanta gratiæ plenitudo cōmunicata est, quia *Dominus tecum*. Ipse enim

Dignitas matris Dei quodāmodo infinita est. *S. Thom.*

enim radix est totius gratiæ: *fons est hortorum*, Cant. 4. Quo flores virtutum, & gratiarum virginis nouum quendam vigorem, & pulchritudinem receperunt. Et quia Dominus, qui hactenus tecum fuit, nouo modo deinceps tecum erit per carnis tuæ assumptionem. Neque id mirum tibi videatur eò, quòd virgo sis. *quia Dominus tecum*: id est, Deus, qui vniuersorum Dominus est, & omnia, quæcunq; voluit, fecit: tecum est. Id quod inferius magis explicuit Angelus dicens, *non erit impossibile apud Deum omne Verbum*. Quare verbum illud, Dominus tecum, non solùm fuit ratio salutationis factæ: & explicatio gratiæ, quam iam virgo facta habebat: sed promissio maioris gratiæ, secundum maiorem excellentiam dignitatis matris Dei, ad quam exaltabatur. Sicut templum Salomonis, antequam arca Domini in illud induceretur, amplissimum quidem erat: nil enim erat, quod non auro tegeretur: multisque vasis aureis erat exornatum. Cæterum post illationem arcæ multò magis amplificatum est: quia *gloria Domini impleuit illud*. Sic cum Verbum in vtero virginis inclusum, factum est caro: ampliori gratia, splendore, atque pulchritudine virgo repleta est.

Cant. 4.

Verbū, Dominus tecū, promissio fuit dignitatis futura.

3. Reg. 6.

D. Augustinus serm. de natiuit. virginis sic explicat verbum, *Dominus tecum*: *Dominus tecū, sed magis quàm mecum. ipse enim in tuo est corde, in tuo fit Vtero, adimplet mentem, adimplet Ventrem*. Magis quàm mecum, quia quanquam Dominus erat cum Angelo per gloriam; cæterum spes futuræ gloriæ virginis maior erat, quàm præsens possessio Angeli. Secundò magis quàm mecum, quia per maius opus. Maius enim opus Dei fuit fieri hominem, & ventrem virginis efficere cœlū, quàm beatificare Angelos. Vnde Greg. Nissen. In natali Domini ait: *o beatum Vterum, qui Virtutu præstantia ad se traxit animi bona*. Et Petr. Damian. Card. acutè adnotauit, quòd Deus dicitur esse in iustis per gratiam; & in sanctis per gloriā: non tamen dicitur esse cum illis: soli virgini dicitur, *Dominus tecū*: tùm quia fuit cum illa per identitatem naturæ ex ipsa carnem assumens; tū quia secundum morem loquendi, minor dicitur esse cū maiori, & superiori, & nō rursus: ideoq; cùm dicitur, *Dominus*

D. August.

Greg. Niss.

Pet. Dam.

est: & *vt misericors fieret, debuit per omnia fratribus assimilari,* ad Hebræos 2. sic sacratissima virgo, *non ignara mali miseris succurrere* nouit. Stella, quæ noctu dirigit, & per quam hora noctis dignoscitur, quæ polus dicitur, Hispanè *Norte:* nauigantes per speculum, & acum dirigit: sic sacra virgo per vitæ præsentis fluctus nos ducit: *Stella differt ab stella in claritate,* 1. Corinth. 15 sacra virgo stellarum omnium splendorem superat. *Num* 24. Imò & ipsius solis splendorem: siquidem, *sicut sydus radium, profert Virgo filium; pari forma.* Ipsa vera stella est, de qua Num. 24. *orietur stella ex Iacob.* Quæ virtutum omnium, gratiarum, & miserationum radios nobis in- *D. Bernar.* fluit, & communicat. Meritò mellifluus Bernard homil. 2. super missus est, ait: *sileat miserationes tuas (ô beata Virgo) quisquis in suis necessitatibus te inuocatam, sibi meminerit defuisse.* In omni ergo necessitate *respice stellam, & voca Mariam:* illa siquidem nobis influet radios gratiæ, vt recta nauigatione perueniamus ad portum gloriæ.



IN

IN EADEM SOLENNITATE,

CONCIO SECVNDA.

De Angelica Salutatione.

Ingressus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum. Luc. 1.

THEMA.

DVo Verba super omnia verba in terris suauissima sonuerunt: quorum reliqua omnia verba muta videntur: nempe *Verbum caro factum est*, quod Ioannes protulit: & *Aue gratia plena*, quod Angelus de cœlo in terram inuexit. Vox est de altissimo cœli culmine resonans: per quam Angelus legationi suæ: & diuina bonitas redemptioni nostræ lætissimum dedit initium. Vt igitur & nos concioni nostræ faustum demus exordium, ab eisdem verbis initium sumamus, dicentes: Aue Maria.

Faustum fœlicissimumque diem incarnationis Dominicæ hodie recolimus. Diem initium dierum: finem laboriosæ illius noctis, finem legis, vmbræ promissionum, & desideriorum. Diem, quo diruptis cœlis Verbum descendit, quo cœli melliflui facti rorauerunt desuper verum manna. Diem, quo emissa est manus patris ex alto: emissus est agnus dominator terræ de petra deserti. Meritò de hoc die canit ecclesia; *Hac dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea.* Sacratus hic dies duo sortitur nomina, incarnationis, & annunciationis. Incarnationis dicitur ex fine, & termino annunciationis, ex medio. Incarnationis dies dicitur, quia hodie diuinum verbum nostram carnem assumpsit, & in vnitatem *Sacratus hic dies duo sortitur nomina, incarnationis, & annunciationis.*

tatem personæ sibi vniuit. Statim enim, vt virgo sacra respondit Angelo, *ecce ancilla Domini, fiat mihi secundū verbum tuum*: subitò per Spiritum sanctum formatum est corpus infantile, & creata est anima plena gratia, & gloria: & facta est vnio in persona verbi: ita quòd à verbo suscepta sunt anima, & corpus, atque adeò *Verbū caro factum est: perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens*. Perfectus (inquam) homo quia perfectam animam cum perfecto, & integro rationis vsu suscepit: perfectumque corpus, infantile quidem, & tenerum, aptatum tamen, vt pati posset: *Ad Heb. 10.* iuxta verbum Pauli ad Heb. 10. *Ingrediens mundum, dicit, Corpus autem aptasti mihi.*

1. Tim. 3. Rectè Apostolus 1 ad Timoth. 3. de hoc mysterio ait: *manifestè magnum est pietatis sacramentum. Quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu: apparuit Angelis, prædicatum est in gentibus: creditum est in mundo, & assumptum est in gloria.* Magnum vtique pietatis, id est, amoris diuini testimonium, quia *maxima & pretiosa nobis promissa donauit; vt diuinæ efficiamur consortes naturæ* 2. Pet cap. 1. Quia, quanquam in creatione diuinus amor ostensus est, dum creatum hominē ad imaginem, & similitudinem suam super omnem creaturam exaltauit; & in patria diuinus amor ostenditur, dum per lumen gloriæ beatorum intellectus sibi vnit: non tamen communicauit homini in creatione suum esse: nec in patria vnitur substantialiter, sed accidentaliter. *Vnio incarnationis substantialis est.* Hæc vera vnio per incarnationis mysterium substantialis est, & personalis atque summa vnio iuxta illud Ioan. cap. 1. *Verbum caro factum est* Et sicut fatemur in symbolo: *sicut anima rationalis: & caro vnus est homo, ita Deus, & homo vnus est Christus.* Inter animam verò & carnem vnio est substantialis. *Leo Papa.* Leo Papa de hoc ineffabili mysterio eleganter dixit. *Tantò fœdere vtramque naturam conseruit, vt nec superiorem minueret assumptio: nec inferiorem consumeret glorificatio.*

Secundò magnum est sacramentum, siquidem, cum Deus illud ab æterno decreuisset, & exequi potuisset: tamdiu tamen distulit: quasi magno consilio indigens, vt ma-

vt maiestatem mysterii dilatione commendaret; qua ratione Paul. Apostol. ad Rom. 16. vocat *mysterium hoc æternis temporibus tacitum.* Tertio magnum est mysterium, quia per illud tota Trinitas magnificatur: Omnes enim tres diuinæ personæ illud operatæ sunt. Pater, quia *sic dilexit mundum, Vt filium suum Vnigenitum daret.* Spiritus sanctus qui superuenit in virginem: illique obumbrauit, dum lucem diuinitatis carnis vmbra cōtexit. Filius verò mysterium operatus est tanquam finis, & terminus incarnationis, ex virgine carnem assumens. Hoc est excellentissimum opus Dei, quod omnes diuinas perfectiones exaltat, & manifestat. In aliis enim operibus splendet vna, vel altera diuina perfectio. In hoc verò opere effudit diuina maiestas omnes perfectiones suas, sapientiam, potentiam, iustitiam, misericordiam, bonitatem, & amorem. *Fue como Vn zero i suma, y cifra de toda la diuina perfection.* Id quod elegāter explicuit Paul. ad Philip. 2. dicens; *exinaniuit semetipsum,* id est, exhausit, & euacuauit omnem maiestatē, potentiam, & perfectionem suam. In creatione Angelorum splenduit diuina potentia: in hominis creatione sapientia, in diluuio iustitia: in Niniuitas patientia, & misericordia. In hoc verò opere omnia attributa diuina manifestata sunt. Sicut in horologii motu videmus plures rotas, & instrumenta sigillatim moueri, at verò cum sonat hora, omnia simul mouentur. Sic *Vbi Venit plenitudo temporis*, accessitque hora, vt mitteret Deus filium suum, omnes rotæ diuinarum perfectionū sonuerunt: magnaque gloria diuinæ maiestatis manifestata est: sicut Ioan. cap. 1. dixit: *Verbum caro factum est, & Vidimus gloriam eius:* & mater ecclesia canit, *gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam:* quia per hoc mysterium clara notitia cum laude diuinarū perfectionum nobis est tradita.

Ad Ro. 16. *Ioan. 3.* *Incarnationis opus excellentissimū inter omnia opera Dei ad extra.* *Phil. 2.* *Simile.* *Ioan. 1.*

Quarto, magnum est mysterium, quia per illud omnis creatura magnificata est. Exaltato enim homine ad diuinum esse omnis creatura exaltata est. Homo enim creaturarum omnium perfectiones in se claudit: quare enim Marci vltimo dixit Christus Dominus Apostolis: *prædicate Euangelium omni creaturæ.* In exalta-

Exaltato homine ad diuinum esse omnis creatura

exaltata est. tione ergo hominis exaltantur cœli, terra, & Angeli: tum quia amici nostri, & administratorii spiritus, eiusdemque gloriæ participes; tum vero maximè, quia per
Marc. vlt. hoc mysterium datus est illis princeps, quem adorant omnes Angeli: sicut Paul. dixit ad Hebr. 1. Potissimum vero exaltata est, & magnificata super omnem creaturam sanctissima virgo verbi mater: sicut ipsa in Cantico
Luc. 1. mirabiliter cecinit dicens: *fecit mihi magna qui potés est.*

Mysterium annunciationis dicitur ex medio salutationis Angelicæ. Deinde sacramentum huius diei mysterium annunciationis dicitur propter medium salutationis Angelicæ, qua incarnationem verbi Angelus Gabriel virgini annunciauit. Quare potiori iure possumus verba illa quæ leprosi dixerunt 4. Reg. 7. huic diei accommodare, *hodie dies boni nuntij est, venite eamus, & nuntiemus in aula Regis.* Hodie siquidem longa illa obsidio, qua
4. Reg. 7. hostis humani generis obsessos nos opprimebat, per saluatorem ablata est: & post longam famem successit
Psal. 64. saturitas, & abundantia panis: & iuxta Regis Prophetæ vaticinium *valles abundauerunt frumento, & campi* ecclesiæ *repleti sunt vbertate.* Sacratus enim venter virgi-
Cantic. 7. nis factus est *aceruus tritici, vallatus lilijs*, Canticor. 7.
Prouer. 31. Et ipsa Dei genitrix facta est, *quasi nauis institoris, de longe portans panem suum.* Id quod per verbum virginis, quo Angelico nuntio consensum præstitit, peractum est.

Modum vero angelicæ salutationis enarrat Lucas Euangelista, dicens, *ingressus Angelus ad eam dixit.* Et
D. August. Diuus Augustinus serm. 14. in natiuit. Domini: *ingressus est ad me Gabriel Archangelus, facie rutilans, veste coruscans, incessu mirabilis.* Imo addit Diuus Augustinus,
Angelus flexis genibus allocutus est virginem. quod flexis genibus allocutus est virginem; quasi matrem Dei, reginamque cœlorum illam veneratus. Atque ea ratione notanter dixit Euangelista, quod *cùm audisset, turbata est in sermone eius: & cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Vbi verosimile est, non solum cogitasse virginem qualitatem verborum, sed & humiliationis Angeli. vtrumque enim clauditur in qualita-
D. Thom. te salutationis. Diuus Thom. 3. part. quæst. 30. artic 3. sic
In figura corporea ait, expediebat, vt in corporea figura, atque visibili appareret Angelus. Primò, quia veniebat annunciare incarnatio-

carnationē visibilis Dei:cùm etiā omnes Apparitiones veteris testamenti ad hanc ordinatæ sint,qua Dei filius in carne apparuit.Secundo congruū fuit dignitati matris Dei, quæ non solùm in mēte, sed in corporeo ventre filiū Dei receptura erat. Et ideo non solùm mens eius, sed etiā sensus corporei erant angelica visione refouendi. Tertio conueniens fuit certitudini mysterii, quod annūtiabatur,ea enim, quæ sunt oculis subiecta, certius apprehendimus. Vnde D.Chrysost.super Matth. ait, quod Angelus non in somnis, sed visibiliter virgini astitit: nā quia magnā valdè reuelationē accipiebat ab Angelo, egebat antè tantæ rei euentū,visione solenni. *Visibili cōuenies fuit Angelum apparere Virgini.* *D.Chrysost.*

Ingressus verò Angeli ad virginem, manifestè dicit, ipsius clausuram intra secretū cubiculum: sicut adnotauit Ambros.lib.2. in Lucam: & Berna.homil.2.super missus est Id quod confirmat interpretatio vocis Hebrææ alma, quæ significat virginē absconditam. Concinit locus Cantic. 4. *columba mea in foraminibus petræ in cauerna maceriæ.* Et Cantic. 8. vbi de sorore sponsæ, quæ puella adhuc erat, & tenella virgo,sponsa interrogat sponsum dicens:*soror nostra parua, & vbera non habet:quid faciemus sorori nostræ in die,quando alloquenda est?* Vbi duo adnotanda sunt. Primùm, quod de illius custodia solicitè prouidetur:vt murus adhibeatur cum propugnaculis argenteis: ostiumq; firmum cōpingatur ex tabulis cedrinis.Secundùm præsupponitur,quòd vsque ad diē desponsationis nullus allocututus est virginem.Ille enim est dies,quando alloquēda est. Sic virginem almam in secreto cubiculo latentem orantem, vel legentē Angelus inuenit, & salutauit. Iudith 8.laudatur, quia in secreto cubiculo domus suæ cum ancillis *clausa morabatur.* Et de honesta coniugata dicitur Psal.127.*Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ*,id est,in occultis domus recessibus. Similiter Paul. hortatur dicens, *mulier in silentio discat* Concinit elegās locus Cant 4.*labia tua sicut vitta coccinea* Aliæ fœminæ comā exornāt,crinesq; vittis discolorib. ligāt,vt pulchriores appareāt: labia verò paucæ ligāt.Quare in laudē honestatis, silētii, atq; clausuræ sanctiss. virginis dicit spōsus:*labia tua sicut vitta coccinea*, id est, honesto *Magna clausura & silentij exemplum Virgo præstitit.* *Ambros.* *Bernar.* *Cant.4.* *Cant.8.* *Iudith.8.* *Psal.127.* *1. ad Tim.* *Cant.4.*

silentio clausa. Sic Angelus ingressus est ad eam in silentio, & secreto cubiculo latentem, cœlestiaq; mysteria meditantem, & dixit, *Aue gratia plena.*

Aue gratia plena. Verba sunt omni acceptatione digna: quibus ex nomine sanctissimæ Triadis Angelus salutauit virginem, miraculum miraculorũ annuntiãs: mysteriumque æternis tempotibus in corde patris tacitum manifestans; quod cœlum, & terram, imò & lymbum patrum magna exultatione repleuit. Id quod Sibylla (vt habetur. 3. lib. oraculorum) prædixit.

Sibylla.

Gaudia læta puella, tibi nam gaudia semper
Duratura dedit cœli, terraq; creator
In te habitaturus: tibi lux æterna manebit.

Salutatio Angelica nusquam in terris audita fuerat.

Nationes omnes habent salutationes suas pro more patriæ. Hæc verò salutatio nunquam antea in terris fuerat audita. *Soli Mariæ seruabatur,* vt ait D. Ambros. Eaque fortè fuit ratio, vt turbata fuerit in sermone eius, id est, in noua benedictionis formula: quæ sanè in diuino Trinitatis consilio ordinata ex cœlesti curia fuit per Angelum delata. Verba sunt gratulantis, atque bona nuntiantis: sicut Hispano sermone dicimus, *buenas nuenas: goz, aos y para bien sea.* Petrus Chrysologus quod *fuit generationis delatio, & muneris oblatio: como de nueua fruta del arbol de vida del cielo.* Non sine diuino consilio factum est, vt à dictione, Aue, inceperit Angelus: quia tres illæ litteræ, Trinitatis nuntio aptè conueniunt. A, altitudini patris: V, veritati filii: E, æternitati Spiritus sancti.

D. Ambr.

Pet Chrys.

Deinde mysterium incarnationis principium est salutis nostræ iuxta illud Psal. 109. *tecum principium in die virtutis tuæ*: filius Dei pro salute nostra filius virginis factus est. *Ipse est principium, & finis, α. & ω. Alpha, & O.* rectè ergò principium annuntiatur per litteram, A.

Psal. 109.

Per salutationem Angeli nomen Eua mutatur, & maledictio in benedictionem.

Per eam quoque salutationem damna per Euam illata, scilicet dolor in partu, tristitia, & seruitus ablata sunt: atque adeò sicut Augustinus ait Serm. 2. de Annuntiatione, *maledictio Euæ in benedictionẽ mutatur.* Vnde canit ecclesia, *funda nos in pace: mutans nomen Euæ,* Aue amotionem dicit totius væ. Multiplici væ plena erat terra, peccatorum, trium hostium animæ, atque trium

pœnarum

pœnarum, quæ culpam consecutæ sunt: iuxta illud Apoc. 8. *Va, va habitantibus in terra.* Væ omnia concludebat. Sed per Aue ablatum est væ: *entro Eua en muda, y con las tres letras de Aue mudo las tres danadas plumas de culpas, y penas: y trocose en nueua Aue*, ita Gregor. Nissen. Et Diuus Fulgent. Sermon. de laudibus virginis: *cum Angelus dixit Aue, ostendit, ex integro iram exclusam primæ sententiæ: & plenam benedictionis gratiam restitutam.* Solet inter Aues à quibusdam præferri Pauus, ab aliis Perdix: hæc verò Auis cœlestis est, quæ & gustu, & volatus altitudine cunctas aues excedit. Est enim auis, cuius cibus est omnium horarum, & temporum, ingēti suauitate plenus, vtpote per Angelum de cœlestis Regis mensa, & ore in terram delatus: cui conueniunt verba Ecclesiast. 24. *Qui edunt me, adhuc esurient, que nunca opila ni empalaga*, omnemque habet saporis suauitatem excellentius quàm manna: sapit enim diuinam gratiam, & ipsum Deum. Volatus verò altitudine Herodii, aquilæ, omniumque auium velocitatem, & volatum excedit: penetrat enim oratio hæc salutationis Angelicæ cœlum ipsum: pectus (inquam) virginis almæ, & filii.

August. *Apoc. 8.* *Greg. Niss.* *D. Fulgēt.* *Eccles. 24.*

Gratia plena. Græcè habetur, χαριτομένη, charitomeni, id est, gratiosa, vel gratificata, à verbo χαρίζωμαι, charisomæ, quod est gratificare, vel fote: inde *acariciaro regalar*, sic dicitur gratia plena, *acariciada regalada de Dios*, & magnis muneribus, deliciis, gratiarumque prærogatiuis à Deo exornata. Plenitudo datur secundum mensuram vacuitatis: Sicut vasa vacua viduæ repleta sunt 4. Reg. 4. Humilitas virtus est, quæ amore proprio, & æstimatione mentem euacuat. Sic explicat Diuus Augustin. paupertatem spiritus Matth. 5. de his, qui inflantem spiritum non habent: sed spiritum suum euacuant, vt repleantur diuino. Sacra igitur virgo humilitate omnes excedens, spirituque suo vacua, gratia plena fuit: quia, quāuis de Ioan. Baptista dicatur, Luc. 1. *Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ*: & de B. Stephano Actu 7. *Stephanus plenus gratia*, &c. Et de Apostolis Actuum 2. Quod *repleti sunt Spiritu sancto*: plenitudo tamen gratię non dicit omnimodam æqualitatem:

4. Reg. 4. *D. August.* *Pro mensura humilitatis data est virgini plenitudo gratia.*

enim radix est totius gratiæ: *fons est hortorum*, Cant. 4. Quo flores virtutum, & gratiarum virginis nouum quendam vitorem, & pulchritudinem receperunt. Et quia Dominus, qui hactenus tecum fuit, nouo modo deinceps tecum erit per carnis tuæ assumptionem. Neque id mirum tibi videatur eò, quòd virgo sis. *quia Dominus tecum*: id est, Deus, qui vniuersorum Dominus est, & omnia, quæcunq; voluit, fecit: tecum est. Id quod inferius magis explicuit Angelus dicens, *non erit impossibile apud Deum omne Verbum*. Quare verbum illud, Dominus tecum, non solùm fuit ratio salutationis factæ: & explicatio gratiæ, quam iam virgo facta habebat: sed promissio maioris gratiæ, secundum maiorem excellentiam dignitatis matris Dei, ad quam exaltabatur. Sicut templum Salomonis, antequam arca Domini in illud induceretur, amplissimum quidem erat: nil enim erat, quod non auro tegeretur: multisque vasis aureis erat exornatum. Cæterum post illationem arcæ multò magis amplificatum est: quia *gloria Domini impleuit illud* Sic cum Verbum in vtero virginis inclusum, factum est caro: ampliori gratia, splendore, atque pulchritudine virgo repleta est.

Cant. 4.

Verbũ, Dominus tecũ, promissio fuit dignitatis futuræ.

3. Reg. 6.

D. Augustinus serm de natiuit. virginis sic explicat verbum, *Dominus tecum: Dominus tecũ, sed magis quàm mecum. Ipse enim in tuo est corde, in tuo fit Vtero, adimplet mentem, adimplet Ventrem.* Magis quàm mecum, quia quanquam Dominus erat cum Angelo per gloriem; cæterum spes futuræ gloriæ virginis maior erat, quàm præsens possessio Angeli. Secundò magis quàm mecum, quia per maius opus. Maius enim opus Dei fuit fieri hominem, & ventrem virginis efficere cœlũ, quàm beatificare Angelos Vnde Greg. Nissen. in natali Domini ait: *o beatum Vterum, qui Virtutis præstantia ad se traxit animi bona.* Et Petr. Damian. Card. acutè adnotauit, quòd Deus dicitur esse in iustis per gratiam; & in sanctis per gloriã: non tamen dicitur esse cum illis: soli virgini dicitur, *Dominus tecũ*: tùm quia fuit cum illa per identitatem naturæ ex ipsa carnem assumens; tũ quia secundum morem loquendi, minor dicitur esse cũ maiori, & superiori, & nõ rursus: ideoq; cùm dicitur, *Dominus*

D. August.


Greg. Niss.

Pet. Dami.

Deus secũdum humanam naturam filius Virginis tanquã inferior dicitur esse cum ipsa.
D. Bernar.
D. August.
Damasc.
Psal. 87.

minus tecum, Deus ipse qui secundum diuinam naturã superior est: secundum humanam, vt filius virginis inferior matre, dicitur esse cum ipsa. Quæ igitur ipsi Deo vt mater superior est, quantò superior, atque dignior erit omnibus sanctis? Id quod mirabili illa visione, quæ habetur Apocal. 12. de muliere amicta sole significatum est: quam de Sanctissima Virgine explicant Diuus Bernardus & Diuus Augustinus lib. 1. de symbolo ad Catechumenos: dicitur verò *amicta sole*, id est, diuino verbo: atque adeo splendet, sicut sol: vt dixit Damascenus ex illo Psalm. *Thronus eius, sicut sol in conspectu meo.* *Luna* verò dicitur esse *sub pedibus eius*, id est, optimum, quod inuenitur in sanctis omnibus, inferius est virgine, & hoc significatur, dum sancti super capita sua diademata in modum mediæ lunæ deferunt: hanc verò habent sacra virgo sub pedibus suis. Illa enim verè gratia plena est: à qua omnes recipiunt: filius Dei carnem: Angeli lætitiam, peccatores veniam, iusti gratiam, & sancti gloriam.





IN

IN EADEM SOLENNITATE,

CONCIO TERTIA.

De Spiritus sancti operatione in incarnationis mysterio.

Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altißimi obumbrauit tibi. Luc. 1.

THEMA.

INeffabile diuinæ incarnationis mysterium speciali ratione tribuitur Spiritui sancto, quia fons est amoris, & author totius gratiæ. Totum verò hoc mysterium amore, & gratia plenum est. Vt illud dignè explicemus ipsius numen per almam virginem inuocemus dicentes, Aue Maria.

Solennitas hodierna omnium operum humanæ redemptionis initium tenet. Principium est totius boni, & honoris humani generis: siquidem diuina sapientia (vt Paulus ait ad Hebræos, cap. 2) *non Angelos apprehendit: sed semen Abraha apprehendit.* Festum est Angelorum: qui per charitatem nos diligunt, & nostra exaltatione, ipsorumque sedium impletione, ac instauratione lætantur. Potissimum verò festiuitas est virginis almæ: quia sacer hic dies totius dignitatis, & exaltationis ipsius exordium fuit: sicut ipsa dixit in suo cantico: *quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Totius denique Trinitatis festiuitas est: tum quia opus incarnationis super omnia opera diuinam magnificentiam, potentiam, & sapientiam exaltat: atque magnam gloriam manifestat. Tum quia ad hoc ineffabile opus omnes

Incarnationis mysterium vniuersale festum est cæli, & terræ.

Ad Heb. 2.

omnes tres diuinæ personæ omnia pretiosa sua, velut in fabricā veri templi contulerunt. Pater æternus charitatem obtulit, quia *sic dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, Ioan. 3. Filius non minorem dilectionem exhibuit: quia vt ipse ait Prouerb. cap. 8 *delicia mea esse cum filijs hominum:* & Psalm. 18. *exultauit vt gigas ad currendam viam:* & Ioan. cap. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Spiritus sanctus amor est patris & filii: & cui gratia speciali ratione tribuitur. Quare mysterium hoc incarnationis diuini Verbi specialiter tribuitur Spiritui sancto, tanquam authori, sicut explicant verba Angeli dicentis ad virginem: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.*

Incarnationis mysterium omnino est ineffabile. Adeo ineffabile est sacramentum incarnationis dominicæ, vt Euangelicus Propheta spiritu diuino afflatus illud procul intuens cap. 6 dixerit: *Va mihi, quia vir pollutus labijs ego sum: & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Et ea ratione D. Dionys. cap. 2. de diui nomi. *ineffabile* vocat *mysterium*, & ipsi quoque primati Angelorum non satis perspicuum: supremi seraphini audita voce huius mysterii super firmamentum, celsitudinis suæ, altissimique volatus pennas demittunt, & contrahunt. Diuus Augustinus initio conuersionis suæ *quid sacramenti haberet, Verbum caro factum est, nec suspicari poterat.* Damascen. lib. 3. de fid. Orthodox. vocat *nouum omnium nouorum, & sub sole nouum: per quod apparuit infinita virtus, bonitas, & sapientia Dei:* Et Hierotheus ille, quem celebrat Dionys. c. 2. pat. 2. de diuin. nomin. *Verbum quod est nouitatum omnium supereminens nouitas, in naturalibus nostris, supra naturam erat.* Impletur illud Esaiæ 43. *Ecce noua facio omnia:* & Hierem. 31. *nouum creauit Dominus super terram: fœmina circumdabit virum.* Nouum vtiq;, *quod antequam sciat puer vocare patrem, & matrem* super terram, *auferatur fortitudo Damasci.* Nouum, videre duas naturas in vna persona: nouum, quod opera diuina prædicentur de homine: & rursus actiones, & passiones hominis dicantur de Deo: nouum; quod immensus, infinitus, incomprehensibilis, immortalis, impassibilis, & æternus

[Margin notes: *D. Dionys.* — *Ezech. 1.* — *D. August.* — *Damasc.* — *Hieroth.* — *Dionys.* — *Esa. 8.*]

æternus mensuram habeat, temporis, eiusque inclementiis, flagellis, doloribus, pœnis, & morti subiaceat. Nouum videre Dominum vniuersorum in forma serui, nouum tandem videre antiquà omnia legis veteris sacramenta per hoc mysterium instaurata, & innouata.

Cyrillus ad Reginas vocat hoc mysterium sacratissimum *ænigma: Videre eundem filium Dei, & filium hominis: in cœlo ex patre genitum sine matre, & in terrá ex matre genitum sine patre.* Quod si in ipsam sacram Dei genitricem oculos coniiciamus, videmus aliud ænigma, nempe virginem, simul & matrem. Quod ænigma proposuit Rex Propheta Psalm. 86. *nunquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea: & ipse fundauit eam altissimus:* huius ænigmatis difficultatem expressit Ioan. c. 1. dicens: *In principio erat Verbum:* & subdit, *Verbum caro factum est.* Ob cuius ænigmatis difficultatem prudenter turbata est Virgo sacra in sermone Angeli: *& cogitabat qualis esset ista salutatio.* Atque ab Angelo quærit, *quomodo fiet illud?* Cui respondet Angelus, *Spiritus sanctus superueniet in te, & Virtus altissimi obumbrabit tibi*: ac si dicat: difficillimi ænigmatis solutionem à me peris sacrata Virgo: cuius nodum explicare nulli Angelorum concessum est. Spiritus sanctus author mysterii, & filius, qui virtus est altissimi, plenè te docebunt. Vt enim ait Diuus Bernardus, tibi *soli datum est nosse, cui soli datum est experiri.* Sola enim Virgo Dei genitrix experimentalem cognitionem habuit huius sacramenti. Ipsa enim fui tabernaculum illud in sole positum: quod sanctificauit altissimus. Vtque nimius ipsius splendor oculos mentis non perstringat, *Virtus altissimi obumbrabit tibi.* Ipsa fuit thalamus, ex quo sponsus processit: lectulusque floridus, in quo recubuit: cubiculum est, intra quod ingressus Elisæus clausit ostia post se, vt suscitaret puerum. Ianua enim diuinæ omnipotentiæ clauditur rationi naturali, & soli fidei aperitur. Atque hic est primus sensus verborum Angeli.

D. Cyrill. Incarnationis mysterium sacratissimũ est ænigma.

Psal. 86.

Spiritus sanctus author est, & magister mysterij incarnationis.

D. Bernar.

4. Reg. 4.

Secundus sensus est: vt incarnationis opus non erit

naturale, *non enim ex virili semine, sed mystico spiramine Verbum Dei factum est caro.* Diuus Chrysostomus, *nulla erit in te (Virgo sacra) concupiscentia carnis, nec ardor, nec libido*: Quin imo fomes peccati ibi omnino extinctus est: iuxta illud Esa. cap. 4. *erit vmbraculum diei ab æstu.* Idemque insinuat verbum Angeli, *virtus altissimi obumbrabit tibi.* Est ergo sensus. Sicut in partu naturali spiritus naturalis format prolem: sic in partu diuino *spiritus* diuinus, *sanctus superueniet in te*: qui habebit vices viri, & principii actiui. Ipse enim in antiqua illa columba designatus est: quæ in arcam Noe ramum virentis oliuæ detulit Gen 8 spiritus enim sanctus Christum dominum tanquam tenerum virgultũ ex alto Cedro Libani, de sinu (inquam) æterni patris secundum naturam diuinam excisum: ramumque oliuæ, pacis, clementiæ, & misericordiæ deferens, intra virginis vterum carne indutum conclusit Impletumque est illud Cantic. 7. *venter tuus sicut crater tornatilis, nullis indigens poculis*: id est, nulla actione humana indigens. Tornatilis verò, id est, obediens ad nutum diuinæ voluntatis. *Venter tuus aceruus est tritici vallatus lilijs*, totus puritate, albedine, & virginitate circundatus. Tu *hortus conclusus, fons signatus: porta Orientalis clausa Principi.* Euthymius, & Rufinus in hoc sensu explicant illud Psal. 21. *ego autem sum vermis, & non homo*: quia sicut vermis non gignitur per generationem, sed ex rore cœlesti, & terra: sic Christus & Dominus ex rore Spiritus sancti, & purissimo sanguine virginis: iuxta illud Esa. 45. *Rorate cæli desuper.* Et Diuus Hieronymus in illud Psal. 109. *ex vtero ante luciferum genui te*, ex Hebræo transtulit: *quasi de vulua aurora tibi ros adolescentia tua.* Virgo sacra aurora est, de qua per rorẽ Spiritus sancti conceptus est Christus.

D. Chrys. — *Esa. 4.* — *Spiritus sanctus in mysterio incarnationis vices viri habuit, & principij actiui.* — *Gen. 8.* — *Cant. 7.* — *Cant. 7.* — *Euthym.* — *Ruffin.* — *D. Hieron.*

Tertius sensus est: tu eris hospitium Spiritus sancti, vt operantis mysterium: & filii Dei, vt termini incarnari, qui ex te sumet carnem, vt verus filius. Ille virtus est altissimi: sic enim Paulus illum vocat primæ ad Corinth. cap. 1 *nos prædicamus Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.* In hoc die manifestata est diuina virtus, hic fuit dies virtutis Dei, quo intra carnem Christi inclusa

Sacra virgo hospitium Spiritus sancti fuit, & diuini verbi.

clusa est omnis sanctorum gloria, & splendor, qui ex virtute Dei illis communicatur: sicut Psal. 109. prædixit Rex Propheta: *tecum principium in die virtutis tua in splendoribus sanctorum.* Cùm verò Angelus dicit, *Spiritus sanctus superueniet in te*, modum explicat incarnationis ex parte causæ efficientis: & secundò mirabilem effectum virtutis altissimi. Tertiò explicat ingentem donorum cœlestium amplitudinem, & redundantiam, quasi dicat virgini, ab vtero quidem Annæ matris plena fuisti omni gratia, & cœlestibus donis: Illa vero fuit plenitudo quasi sororis paruulæ: nunc vero in die nuptiarum, quando per diuinum verbum alloquenda es, ipsique desponsanda: pro dignitate sponsi pretiosioribus donis induenda es: sicut moris est præstantiora indumenta in diem nuptiarum seruari. Sic enim Rebecca iuxta fontem accepit ab Eliezer nomine Isaac sponsi in aures aureas, & armillas, veluti primas sponsalium arrhas: postea vero dum nupsit Isaac. totius substantiæ Abrahæ patris possessionem apprehendit. Id quod Diuus Bernardus, super missus est, typum esse dicit huius mysterii. Hodie siquidem Dei filius verus Isaac, id est, risus patris, in quo sibi bene complacuit: cum virgine facta nomine totius humanæ naturæ matrimonium contraxit. Eam igitur gratiæ plenitudinem, & superabundantiam, quę hoc die virgini collata est, respectu præcedentis gratiæ, explicuit Angelus dicens, *Spiritus sanctus superueniet in te.* Quia quanquam antea pro illo statu plena erat: pro dignitate tamen & sublimitate maternitatis DEI amplius repleri oportebat. Diuus Bernardus sermone secundo, de assumptione virginis, cùm eam quæstionem proposuisset, si virgo plena erat gratia, quomodo Spiritus sanctus in eam superuenit? respondet, *ad quid putas superuenturum, nisi vt adueniente Spiritu in eam, qua sibi plena erat: eodem superueniente, nobis quoque superplena, & super effluens fiat?*

Psal. 109.
Cant. 8.
D. Bern.
Genes. 24.
Matth. 3.
D. Bern.

Rogabis tamen, cùm omnia opera Trinitatis ad extra sint indiuisa, & communia omnibus tribus personis, cur potius hoc sacrum mysteriũ tribuatur Spiritui

sancto. Ad quam quæstionem respõdetur primò, quod corpus Saluatoris oportebat esse verum corpus ex vera carne, & humana natura formatum: sicut docet Angelicus Doctor 3. part. quæst. 5. art. 1. Diuus Augustinus Tom. 4. lib. 83 quæstionum, quæst. 80. Vbi eam veritatem conuincit contra Manichæum, Valentinum, & Apollinarem, & lib. de Ecclesiast. dogmatibus, cap. 2. Tom. 3. plures enim hæretici varia figmenta de corpore Saluatoris confinxere, dicentes, Corpus Christi fuisse phantasticum, fictitium, aereum, vel cœleste: cuius hæresis primi inuentores fuere Marcion, Apelles Cerdo, Bardesanes, & Philomena impostrix: contra quos scripsit olim Hirenæus per duos libros contra omnes hæreses: & Tertullianus per totũ librũ de carne Christi, & per sex libros contra Marcionem, & libro vnico contra Valentinum, qui fuit tempore Hirenæi discipuli Ioannis Euangelistæ Postea sepultam hæresim per sanctorum industriam, & doctrinam, suscitauit Manichæus: contra quem primus omnium scripsit Epiphanius Tom. 2. libr. 2. cap. 2. & Philaster, cuius meminit August. lib. de hæresibus, ad quod vult Deum, cap. 46. Tom. 6. Idem August. per 30. libros contra Faust. Manichæum: & D. Thom. contra gentes, cap. 29. ex professo impugnat hãc hæresim. Fundamentum verò Manichæi, & aliorum (teste Tertulliano) fuit, quia censebant corpora omnia sublunaria esse à malo principio Dæmone, & propter hanc amentiam, & maniam dictus est Manichæus, id est, stultus, & amens: dicebat enim quod cùm Christus apparuerit, *vt dissoluat opera Diaboli,* vt habetur 1. Ioannis, cap. 3. indignum erat, vt susciperet corporis effectum à Dęmone, & ad loca scripturæ, quibus asseritur Christus natus, & passus, respondet omnia illa per metaphoram accipienda, quia fingebat se nasci, & pati. Et inter alia hæreticorum argumenta illud est vrgentius ex Paulo ad Romanos 8. *misit Deus filium suum in mundum, in similitudinem carnis peccati:* & ad Philippens. 2. *in similitudinem hominum factus: & habitu inuentus, vt homo.* Vnde arguit, quòd similitudinem corporis habuit, non tamen veritatem.

Corpus Christi verum fuit, & vera carne formatum. *D. Thom.* *D. August.* *Hirena.* *Tertul.* *Epiphan.* *D. August.* *D. Thom.* *Ad Ro. 8.* *Ad Phil. 2.*

Hæc

Hæc autem omnia figmenta sunt, & hæreticorum deliramenta: conclusio verò Diui Thomæ, quòd Saluator verum corpus suscepit ex sacrato virginis vtero; Catholica est, & de fide: quam docuere Hirenæus, Epiphanius, & Augustinus: & omnia sacra concilia à Niceno, 1. vsque ad Florent. sub Eugen. 4. & maximè in Concilio 3. generali, quod fuit Ephesinum, cap. vltim. & in cap. firmiter, de summa Trinitate, & fide Catholica: & omnia sacra symbola fidei hanc hæresim impugnant. Quæ fidei veritas manifestè conuincitur primò, quia si Saluator non suscepisset verum corpus, sequeretur, quod omnis Euangelica narratio esset mera fabula, contra oraculum Apostoli Petri, 2. cap. 1. *non indoctas fabulas sequuti, notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem, & sapientiam.* Imò infert D. August. quod nostra redemptio fuisset fictitia. Secundò id probatur, quia Christus Dominus ex professo voluit ostendere discipulis, se verum habere corpus; maximè Matth. 14. cum discipulis perturbatis, existimantibusque illum esse Phantasma, quia videbant ambulantē super mare, dixit, *ego sum, nolite timere:* & Luc. vltimo, *palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet.* Tertiò denique probatur, quia Christus veniebat, vt testimonium perhiberet veritati: ipse verò sæpè filium hominis se esse dixit; quod si fictitium corpus suscepisset, mendacio potius, quàm veritati testimonium perhibuisset. Ad illud verò testimonium Pauli ad Roman. 8. *in similitudinem carnis peccati*, respondetur, quod ita verum est, quòd suscepit quidem veram carnem, sed nullo peccato obnoxiam, factus tamen obnoxius pœnis, & doloribus peccatorum nostrorum, habuit similitudinem peccatoris. Ad aliud verò, quod ad Philippens. 2. dixit Paul. *in similitudinem hominum factus*, respondetur cum D. Thom. 3. parte, quæst. 5. artic. 1. ad 1. Quòd similitudo illa exprimit veritatem humanæ naturæ in Christo, per modum, quo omnes, qui verè in natura humana existunt, similes specie esse dicuntur. Non autem intelligitur similitudo phantastica. Ad cuius euidentiam Apostolus subiungit, quod *factus est obediens vsque ad mortem, mortem* ...

D. Thom. *Verbũ diuinum verũ corpus suscepisse catholica fides docet.* *Hierenæ.* *Epiphan.* *August.* *2. Pet. 1.* *D. August.* *Matth. 14.* *Luc. vlt.* *Ad Ro. 8.* *Ad Phil. 2.* *Christus Dominus in similitudinẽ hominũ factus per veritatẽ carnis.*

tem autem crucis. Quod fieri non potuisset, si esset sola similitudo phantastica.

Supposita ergo hac fidei veritate, quod verbum diuinum verum corpus, & carnem suscepit intra virginis vterum, vt absque integritatis ipsius, & virginitatis iniuria egrederetur, oportuit non solùm dotari miraculosa subtilitate, & agilitate in puncto, & articulo natiuitatis, ex animæ beatitudine dotibus miraculose in corpus illapsis, siue infantili corpore Christi diuina virtute ostia clausa virginis miraculose penetrante: vt docet S. Thom. 3. part. quæst. 28. artic. 2. ad 3. Sed quòd per Spiritum sanctum (*qui spiritus est subtilis, mobilis, suauis, & omnem habens virtutem*) formaretur corpus agile, & subtile, & facile mobile ad nutum diuini spiritus iuxta illud Paul. ad Hebræos 10. ex Psalm. 39. *ingrediens in mundum dicit: hostiam, & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi,* Id est, aptum reddidisti, non solùm ad mortem, sed ad natiuitatem miraculosam.

D. Thom.

Hebr. 10.

Secundò tribuitur hoc opus, sacrumque incarnationis mysterium Spiritui sancto, quia radix huius mysterii amor fuit. Ipse verò Spiritus sanctus amor est. Quòd vero ex intima diuini pectoris charitate sacrum hoc mysteriũ originem duxerit, mirabiliter nobis depinxit Euangelicus Propheta cap. 6. Cùm vidit *Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & omnem terram plenam à maiestate eius.* Viditque *Seraphin super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus volabant pedes eius, & duabus volabant* Quia sacramentũ hoc est ineffabile: quod si ratione naturali mensuretur: neque caput, neque pedes habet: est omnino incomprehensibile. Oportet tamen intueri pectus, & cor Dei, atque amorem ex quo incarnationis opus processit, sicut August. eleganter adnotauit Epist. ad Volusianum. Tantus enim est ardor diuini amoris, vt perinde ac si flatu ardorem mitigante indigeret, duos Seraphinos duabus alis afflantes habere voluerit. De quo diuino amore idem Propheta dixit cap. 63. *Vbi est nunc zelus tuus, & multitudo viscerum tuorum? Super me continuerunt se.* Ezechiel quoque

Incarnationis mysteriũ merito tribuitur Spiritui sancto.
Esai. 6.

D. August.

Esai 63.

Ezech. 1.

cap. 1.

cap. Vidit hoc mysterium, cùm vidit in medio ignis diuinæ charitatis quasi speciem electri, id est, Christi in duplici natura, diuina, & humana: sicut explicat Diuus Gregor. 22. Moral. cap. 8. Concinit tandem locus Esai. cap. 9. Vbi post explicatum hoc mysterium, Christique natiuitatem: *paruulus enim natus est nobis*, &c. quasi rationem reddens tanti mysterii subdit: *zelus Domini exercituum faciet hoc.* D. Gregor. Esai. 9.

Sublimitatem verò, & celsitudinem tãti mysterii explicans Angelus virgini, non solum Spiritum sanctum in eam superuenturum prædixit: sed addidit, *Virtus altissimi obumbrabit tibi.* Virtus vltimum est, in quo stat potentia, non valens vltra: hæc est filius Dei magna potentia, & virtus patris, quæ in hoc die, & mysterio incarnationis ostensa est, cùm intra carnem Christi abscondita est, ibiq; continuit omnes splendores sanctorum; sicut prædixerat Dauid Psalm. 109. Vmbra verò quatuor potissimùm habet. Obscuritatem, quæ occultat. Secundò temperat lucem, & confortat visum. Tertio refrigerium habet. Quarto imaginem corporis repræsentat. Quæ omnia huic mysterio congruunt. Primum enim per carnem Christi occultatum est hoc mysterium, & potissimum Dæmonibus: sicut Esai. 45. *Verè tu es Deus absconditus*, & sæpe Paul. vocat *sacramentum & mysterium absconditum à seculis in Deo.* Secundo vmbra lucem temperat, vt videri possit: visumque confortat: sicut solet in multa luce superponi oculis manus, vt clarius visus in obiectum suum tendere possit. Sic natura prouida cilia prouidit, & supercilia, vt oculorum visus vmbra confortetur. Tunc Diuus Bernard. sic explicat: *quanquam mysterium hoc lucem habet inaccessibilem: Virtus tamen altissimi per Vmbram carnis sua, & per Vmbram fidei confortabit intellectum tuum: Vt possis illud capere*, iuxta oraculum Ezech. 32. *solem nube tegam.* Sicque impletum est, dum per diuinam illustrationem, & fidei vmbram edocta virgo Lucam Euangelistam de hoc mysterio, eiusque circumstantiis plenè informauit. Concinit huic expositioni visio illa Zachar. 1. Vbi vulgata lectio habet, *ecce Vir stabat inter myrteta:* alia translatio habet, *in medio myrteti Vmbrosi.*

Virtus & potẽtia patris Christus est. *Psal. 109.* *Quatuor Vmbræ cõditiones incarnationis mysterio conueniunt.* *Esai. 45.* *Ephes. 3.* *Coloss. 1.* *D. Bernar.* *Ezech. 32.* *Zachar. 1.*

Iona 4. Tertio vmbra refrigerium habet Ion. 4. *Vmbra hederæ* refrigeratus est Ionas: cùm vero vermis corrosit hederam, vehemẽter doluit refrigerium sibi ablatum. *Virgo sanctissima per hoc mysteriũ magnũ refrigeriũ suscepit.* Sanctissima virgo in die sanctificationis suæ fuerat à fomite refrigerata: in hoc verò die fomes penitus fuit extinctus: ita vt in conceptione filii nullus intercesserit libidinis ardor, iuxta vaticinium Esaiæ, cap. 4. *erit Dominus in vmbraculum diei ab æstu.* Ea ratione Cant. 8. Christus vocatur *hinnulus ceruorum*, qui vmbrã quærit. Et virgo sanctissima ex illius carne mirabile refrigerium experta est, iuxta illud Esa. 35. *germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans:* vt verè dicat; *sub vmbra illius quem desideraueram, sedi; & fructus eius dulcis gutturi meo:* & nobis merito dicat verba illa Iudic. 9. *Sub vmbra mea requiescite.* Sub vmbra enim sacræ virginis refrigerium habemus, protectionem, dulcissimumque redemptionis fructum: vt enim dicitur Threnorum 4. *spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris, cui diximus, in vmbra tua viuemus.*

Esai. 4. *Cant. 8.* *Esai. 35.* *Cantic. 2.* *Iudic. 9.* *Thren. 4.*

Quarto loco vmbra imago est eius, & figura cuius est vmbra, quæ repræsentat staturam, gestus, & motus illius; sic Spiritus sanctus formauit corpus Christi, tanquam figuram diuinæ substantiæ. Quanquam enim diuina substantia per corpus repræsentari nequit, si qua tamen viua imago Dei dari potest, humanitas Christi est, sicut Paulus ad Hebræos, cap. 1. vocat *splendorem gloriæ, & figuram substantiæ eius.* Primus quidem *homo factus est ad imaginem, & similitudinem Dei* Et vbi vulgata lectio habet, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; aliqui legunt, *in vmbra nostra.* Et quia per culpam turbata est imago, quoad dona gratuita; diuina sapientia in Christo restituit perfectissimam imaginem Dei, sicut docet Paulus, cap. 2. ad Corinthios, cap. 4. *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu.* In illa enim maximè splendebant diuinæ perfectiones; bonitas, charitas, misericordia, iustitia, & sapientia: sicut ipsis operibus Christus Dominus testatus est:

Corpus Christi & ipsius humanitas figura est diuinæ substantiæ. *Hebr. 1.* *2. Cor. 4.* *In humanitate Christi splende-*

tus est: & sicut verbo ad Philippum dixit Ioan.cap.14. *Philippe, qui videt me, videt & patrem.* Si qua enim ratione inuisibilis pater videri potuit, fuit in sacra Christi humanitate. Fuit enim viua ipsius imago, & vmbra. Vt enim docet Origenes; imago, quæ in speculo resultat, vmbra dicitur; eaque ratione ex intuitu patris, quo respexit humilitatem virginis veluti speculum, *Verbum caro factum est: & habitauit in nobis.* Hæc est vmbra, *que assombra el cielo, pasma la tierra, y estremece el infierno.* Hęc est vmbra, de qua dixit angelus, *Virtus altissimi obumbrabit tibi.* Illud vero in hoc mysterio est mirabile, quod immensa Dei maiestas tam paruam effecerit vmbram in tenello infantis corpusculo se se includens. Ea verò fuit ratio, quod sicut sol declinans longiores facit vmbras: sic cum sublimem locum tenet, breuissimam facit. Sacrum vero incarnationis mysterium in meridiano feruore diuinæ charitatis peractum est: sicque breuissimam fecit vmbram: sub qua sedeamus, confortemur, protegamur, & refrigeremur, percipiamusque dulcissimum, atque copiosissimum fructum gratiæ, & gloriæ.

bant diuina perfectiones: sicut in ferro ignito virtus ignis.
Ioan.14.
Origen.



IN EADEM SOLENNITATE,

CONCIO QVARTA.

De humili virginis consensu præstito diuino nuncio.

THEMA.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, Luc. I.



LTIMA sunt verba, finisque hodierni Euangelii, & nostræ salutis initium. Verba sunt à sanctissima Virgine ad Angelum dicta: quibus prolatis in vtero suscepit diuinum verbum authorem, & fontem gratiæ: sicut dixit Ioan.I. Ioan.cap.I. *plenum gratia, & veritatis:* & *de plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia.* Vt igitur de ipsius plenitudine hodie percipiamus, almam virginem matrem gratiæ supplices salutemus, sicut Angelus hoc die nos docuit dicentes, Aue Maria.

Ad ineffabilis incarnationis dominicæ contempla- Psalm. 65. tionem Rex Propheta. Psal. 65. nos inuitat dicens: *Venite, & videte opera Domini: terribilis in consiliis super filios hominum.* In aliis quidem operibus Deus est mirabilis: in consiliis vero super filios hominum, & *super salutem humani generis* adeo est terribilis, vt omnem intellectum creatum virtutis suæ fulgore perstringat, est siquidem mysterium in quo diuina maiestas videtur effudisse omnem potentiam, & sapientiam suam, & veluti exhausisse; siquidem diuinum Verbum *exinaniuit semetipsum.* Tunc impletum est illud Hierem. 32. *cælum, & terram ego impleo.* Cœlum mens est virginis, quam impleuerat per fidem, & copiosam gratiam, iuxta illud Esai. 58. *implebit splendoribus animam tuam.* Terra sacratus venter est, quem Verbi diuinitas hodie repleuit. Implerumq; est oraculū Ezech. cap. 43. *terra splendebat à maiesta-*

Hier. 32. Cælum, & terrā impleuit Dominus implēs mentē

maiestate eius. Hodie namq; Adam nō solū quasi Deus, sed verus Deus factus est, per substantialē vnionē diuinę, & humanæ naturæ in persona Verbi. Vnde D. Bernar. elegāter dixit: *ne ludens vltrà dixeris, Domine, ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est. Sufficiat dici illi malitia suæ: desine iocari: nūc enim serio, & in voce exultationis respondebimus tibi, ecce Deus noster non quasi vnus, sed sublata omni moderatione dicemus: verè vnus ex nobis factus est. stupet cœlū, terrena lingua obmutescunt, infernus contremiscit* Sacraq; mater ecclesia considerans Deū hominē factum, quasi deliquiū patitur, & in tanti sacramenti confessione quasi languente & deficiente voce prosternitur dicens: *ex Maria virgine, & homo factus est.* Tantique mysterii modum merito quærit à virgine: *o Virgo virginū quomodo fiet istud, quia nec primā similem visa es, nec habere sequentem?* Ipsa verò virgo respōdet: *filia Hierusalem quid me admiramini? diuinū est misterium hoc, quod cernitis.* Quod si modus, quo peractū est, aliqua ratione explicari potest, per verbū virginis peractum est: dum Angelico nuntio consensum præbens respondit, *ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

& ventrē Virginis.

D. Bernar.

Vt sacrosanctum matrimonium inter verbum, & humanam naturam contraheretur, almæ virgini consensum cœlestis paranymphus Gabriel expectabat: in ipsius enim verbo, & consensu salutem nostram diuina bonitas constitutam voluit. Vnde D Bernard. dulci sermone virginem alloquitur *Ecce offertur tibi pretium nostra salutis: in tuo consensu reficimur, & ad vitam reuocamur. Ergo Domina responde verbum, & suscipe verbum:* Quasi dicat, verbum tuum non erit otiosum, nec inane, neque irremuneratum. Responde tuum, & suscipe diuinum: emitte transitorium, & amplectere sempiternum. Mundus totus tuum responsum expectat: sicut Iacob Genes. 49. nomine totius humani generis prædixit: *salutare tuum expectabo Domine* Et Esai. cap. 26. *Anima mea desiderauit te in nocte.* Et cap 36. *Domine miserere nostri, te enim expectauimus.* Et Threnor. 2. *iste est dies, quem expectabamus.* Imo & ipse sponsus expectat: *en ipse stat respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos:* & Cantic. 5. *vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi soror mea, amica*

Per consensum virginis inter verbū, & humanam naturā contractum est matrimonium.

D. Bernar.

Genes. 49.

Esai. 26.

Thren. 2.

Cantic. 5.

amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis Prudenter tamen sacrata virgo consensum distulit, primùm in sermone Angeli turbata: secundò modum mysterii inquirens. Prouerb.18. *qui prius respondet, quàm audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum. Qui verò didicerint iusta, inuenient quid respondeant* Alma virgo in viis iustitiæ mirabiliter instituta, sermonibus Angelici nuntii auditis nouum, cunctisque seculis adorandum inuenit responsum. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Responsio mollis frangit iram*, Prouerb.15. Respõsio virginis iram Domini contra genus humanum efficacius temperauit, & in clementiam, ac benignitatem conuertit: quam Esther furorem Assueri Regis in mansuetudinem. Prouerb.25. *mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.* Opportunè, & in tempore suo respondet virgo: *Ecce ancilla Domini.* Ecce iam sonat vox desiderata, vox dulcis, & suauis, vox omni solatio plena. *Ecce iam hyems transiit, imber abiit, & recessit: vox turturis audita est in terra nostra*, Cant.2. Hic est sibilus auræ tenuis, in quo Elias sensit aduentum Domini, 3 Reg 19. Verba fuere efficacissima, sed humilitate plena, *Ecce ancilla Domini.*

Cantic.2. *Esth.15.* *Prouer.25.* *Cant.2.* *3.Reg.19.*

His verbis virginis conueniunt verba Psal.120. *sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Virgo sanctissima duobus oculis virginitatis, & humilitatis velut ancilla respexit Dominum: in ipsiusque manibus cor, & voluntatem suam resignauit. Oculo virginitatis respexit, dicens, *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Oculo verò humilitatis, dum respondit, *ecce ancilla Domini.* D.Bernard. quod *sine humilitate virginitas non placuisset.* Humilitatis enim oculus sponso est gratissimus: cuius intuitu sese vulneratum fatetur Cantic.4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa: vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum: & in vno crine colli tui.* Primus sensus est; in vno oculorum tuorum, id est, in vnitate amoris, quo Deum diligis: & in vno crine, id est, in vni-

Psal.120. *Humilitatis oculo vulnerauit virgo cor patris.* *D.Bernar.* *Cant.4.*

in vnitate cogitationum omnium, quæ ex capite in vnum Deum ascendunt. Hoc est illud vnum, de quo Christus Dominus Luc 10. dixit ad Martham: *Vnum est necessarium.* In hoc vnum Rex Dauid tendebat, cùm diecbat: *quid mihi est in cælo, & à te, quid volui super terram: Deus cordis mei, & pars mea Dominus,* Psalm. 72. Secundus sensus est, vt vnus oculus pendens à Deo sit obedientia, quæ per collum etiam significatur: Crinis vero colli sit humilitas: de obediente enim, & verè humili dicere solemus, quod per capillum ducitur: sic humilitas reddit humilem facile mobilem ab Spiritu sancto. Summa ergo Virginis humilitas, & obedientia duplici vulnere cor diuinum penetrauit. Vnde bis ait, *Vulnerasti cor meum.* Vbi alia lectio habet, fascinasti, vel excordasti. Responso enim humili ex pectore, & corde patris eduxit dilectum filium, de quo Psalm. 44. dicitur, *eructauit cor meum: Verbum bonum:* & veluti *Aquila grandis tulit medullam Cedri Libani.* Statim enim, vt verba illa dulcedine, & humilitate plena sacra virgo protulit: *ecce ancilla Domini; fiat mihi*: sic subito factum est. Fuit enim verbum efficax, potens, & operatiuum, efficit enim, quod dixit.

Luc. 10. *Psal 72.* *Verbo humili Virgo sacra Verbum ex corde patris eduxit.* *Ezech. 17.*

Fiat mihi secundum Verbum tuum. Primus sensus est, vt verbum fiat, sit deprecatio ad patrem, ô pater æterne, verbum tuum illud sempiternum, & filius; qui primogenitus est omnis creaturæ, & verbum primum in tua mente, fiat mihi secundum in ventre. D. Bernard. *fiat in me, non Verbum, quod transit prolatum: sed quod permanet natum, carne indutum, non aere formatum.* Secundus sensus est, vt sit sermo virginis directus ad Angelum: *fiat mihi*, id est, in bonum meum, & totius humanæ naturæ iuxta verbum, quod mihi dixisti. Et in vtroque sensu sicut virgo dixit, subito factum est. Fuit enim verbum efficax: quo Spiritus sanctus in ipsam superuenit: & virtus altissimi vmbram carnis suscepit. Ad hanc virginis vocem rebus expleta sunt omnia: patrum desideria, figurarum, & legis vmbræ, & Prophetarum oracula: quæ longum esset recensere, & suprà iam retulimus. Potissimum vero impletum est illud Hieremiæ vaticinium cap. 31. *fœmina circundabit virum,*

D. Bern. *Verbũ fiat, à Virgine prolatũ efficax fuit.* *Hierem. 31.*

quia

quia prolatis verbis virginis, subito facta est formatio corporis per Spiritum sanctum, creata est anima, & facta vnio duarum naturarum in persona verbi: ita vt in vtero virginis per assumptionem humanitatis à supposito verbi, Christus fuerit *perfectus Deus, & perfectus homo*, plenus gratia, & veritate, cũ omnimoda perfectione intellectus, & voluntatis: cum pleno rationis vsu; cum omnibus scientiis infusis: & scientia beata, cum lumine gloriæ, & visione beatifica. Tũc liber ille grandis, de quo Esa. 8 in qua diuinum verbum scriptũ erat, in vtero virginis stylo hominis per Spiritus sancti calamũ scribæ *velociter scribentis* scriptus est. De qua scriptura D. Ansel. eleganter ait: *O mira diuini verbi inscriptio, quæ per infinita seculorũ secula deleri poterit?* Tunc magnus Elisæus cõtractus est, & cõmensuratus puero defuncto intra cubiculũ: sic enim (vt Pau ait ad Philip. 2.) *exinaniuit semetipsum*: atq; ita puer suscitatus est, cùm per Christum genus humanũ ad vitam rediit: iuxta illud Ioan. 10 *ego veni, vt vitam habeant.*

Esa 8. *D. Ansel.* *4. Reg 4.* *Philip. 2.* *Ioan. 10.*

Cùm primùm mundus à Deo formatus est, per verbum *fiat*, creatio incepit, per idem verbum *fiat* renouari, & recreari oportuit; & quidem si principium, & efficiens causa vtriusque consideretur, eiusdem potentiæ fuit. Cæterùm si effectus subsecutus expendatur: *audeo dicere* (ait August.) *virtuosius fuit, hoc verbum fiat, à Maria prolatum, quam primum illud fiat, à Deo prolatum.* Per illud enim creaturæ omnes acceperunt esse naturale: per hoc verò *fiat*, creaturæ omnes in homine ad diuinum esse eleuatæ sunt: & acceperunt nouum esse. Nouus sol productus est, noua lux oriri visa est; nouus paradisus, nouus fons; & nouus homo factus est. Per hoc *fiat* creator ipse accepit nouum modum essendi: & virgo sacra dedit creatori suo nouũ esse humanum. Tunc impletum est oraculum Esaiæ, *ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam.* Ad creationem primi hominis terreni tota Trinitas dixit, *faciamus hominem*; ad formationem verò secundi Adami cœlestis quasi à tota Trinitate potestate accepta, sola virgo sanctissima protulit, verbum *fiat*, & *Verbum caro factum est.* O verbum mirabile. & super omnia verba efficacissimum. Ambrosius & August.

D. August. *Ex parte effectus subsecuti virtuosius verbũ fuit à Maria prolatum, quã à Deo.* *Ambros.*

August. hæc quinque verba virginis, *fiat mihi secundum verbum tuum*: comparant quinque verbis consecrationis, quibus sacerdos conficit corpus Christi; sicut enim sacerdos per quinque verba efficit, vt totus Christus in sacramentum descendat; sic per hæc verba fecit virgo filium Dei in suum vterum descendere, ibique carni nostræ, & humanæ naturæ substantialiter vniri. Imo verba virginis similitudinem habent cum verbo patris: æternus enim pater dicendo generat filium ab æterno; sic sacra virgo dicendo, *fiat mihi*, concepit Dei filium: idemque naturalis filius Dei factus est verus filius virginis; ita vt cum patre verè dicat; *ego hodie genui te*. Merito tunc diceret sanctissima Dei genitrix verba illa Iob. cap.32. *en venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit*. Plena enim est Spiritus sancti feruoribus; factaque est cella illa vinaria, in qua diuina charitas ordinatissima refulsit; & in qua *vinum germinans* virgines inclusum est. O arca Deifera plena igne, & musto diuinæ charitatis, dulcedineque cœlestis mannæ, diuini solis radiis mente, & ventre coruscans; liliorum & florũ omnium, atque odoramentorum cœlestium fragrantia redolens: Angelorum agminibus vallata: intus, & foris tota deaurata: verum cœli, & terræ propitiatorium, quod Seraphini mutuo sese respicientes iugiter admirantur, quæ lingua etiam Angelorum explicare valeat cordis, & carnis tuæ lætitiam, exultationem, delicias? & cœlestes illos iubilos, quibus frui cœpisti, ex quo protulisti sacrum illud oraculum, *fiat mihi secundum verbum tuum*?

August. *Iob.32.* *Cantic.2.* *Zachar.9.*

Et quanquam ad tam sublimem dignitatem matris Dei exaltata, humili voce, humiliorique sensu, & corde se ancillam Domini confitetur, dicens: *ecce ancilla Domini*; in qua re non minus est mirabilis virginis magnanimitas quàm humilitas. Siquidem tam ineffabili matris Dei dignitate sibi per Angelum proposita non defecit animo, quin imo verbo Angeli, quod non sit *impossibile apud Deum omne verbum*, fidem adhibens: per excelsam fidem erecta, cœlesti nuntio, diuinoque oraculo consensum præstitit. Atqui profundum & solidum

solidum fundamentum fidei, & humilitatis, quantumcunque sublime diuinæ maternitatis ædificium constanter, & fideliter sustinet.

Diuus Bernardus serm. 4. super missus est, de hac sacræ Dei genitricis humilitate mirabiliter ait: *prorsus rara virtus humilitas laudata.* Dauid in generum Regis Saul electus respondit 1. Reg. 18 *Quis sum ego, aut quæ est vita mea? aut cognatio patris mei in Israel, vt fiam gener Regis?* Vnde in Psalm. 130. dixit: *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. Si nõ humiliter sentiebam: sicut ablactatus est super matre sua,* id est, sicut puer paruulus à pectore matris pendens; sic humili spiritu à te pendebam. Et prudens Abigail ad nuptias Regis Dauid fuit vocata, humi prostrata respõdit humiliter, 1. Reg 25. *ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei.* Iob quoq; quanquã diues, & potens, humili tamen spiritu dicebat cap. 31. *humerus meus à iunctura sua cadat, & brachium meum, cum suis ossibus confringatur. Si putaui aurũ robur meum, & obryzo dixi, fiducia mea. Si lætatus sum super multis diuitijs meis: & quia plurima reperit manus mea. Si vidi solem, cum fulgeret, & lunam incedentem clarè,* id est, si prosperitate in superbiam elatus sum. *Si lætum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo: quasi industria mea prosperos successus tribuens: quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deũ altissimum.* Quanto mens maiori cognitione diuinæ maiestatis illustratur, eo magis humiliatur, Vnde idem Iob cap. 42. ait: *Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te.* Atque adeo ex maiori Dei cognitione humiliatus subdit: *idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere.* Eaque ratione sanctissima Dei genitrix quia maiori luce diuinæ cognitionis illustrata, & in reginam cœli, & terræ, atque in immensam, & quodammodo infinitam dignitatem matris Dei electa, sanctos omnes, quotquot sunt, fuerunt, & erunt, humilitate vicit, ancillam Domini sese vocans. D. Bernard. *Vide humilitatem: neque enim repentino exaltata promissio est.* Inter omnes virtutes virginis humilitas magis

Rara virtus humilitas laudata.
1 Reg. 18.
Psal. 130.
1. Reg. 25.
Iob. 31.
Quanto maior Dei cognitio, tanto maior humilitas.
Iob. 42.
S. Thom. 1. p. q. 25. art. 6. ad 4.
D. Bern.
Humilitas Virginis inter virtutes oẽs magis splẽdet.

magis splendet *O humilitas Virginis* (ait D. Augustinus) *qua sola es, per quam Deus ad nos descendit mortuis vitam, captiuis libertatem, & agris sanitatem contulisti: paradisi portas aperuisti; & quod Eua superbia amiserat, Maria humilitas restaurauit.* Meritò miratur D. Augustinus diuinam maiestatem, & celsitudinem, quòd adeo diligat humiles, & sublimes fugiat: cum similitudo amore conciliet. Id quod mirabiliter cecinit Regius vates Psalm. 137 *quis sicut Dominus Deus noster, qui in altũ habitat, & humilia respicit in cælo & in terra?* Per Esaiam quoque cap. 66. ait Dominus, *cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum: Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Sic cecinit virgo: *respexit humilitatem ancillæ suæ.* D. August. D. August. Psal. 137. Esa. 66.

Adeo humilis mater humilem decebat filium, qui *cùm in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens,* ad Philippens. 2. Quare ipsius nomine Regius vates cecinit Psalm. 115. *Domine, quia ego seruus tuus,* &c. Illa enim vox est Christi in hoc sacro die incarnationis in vtero virginis inclusi: videntis tam immensa dona, tamque liberali manu, tam in perfectione naturali, quàm supernaturali sibi cœlitus collata: intuens gratias vnionis, capitis, & propriæ personæ, lumen gloriæ animæ suæ collatum: omnesque Angelos se tanquam principem Angelorum circumstantes & adorantes: quæ omnia sanctissima Christi anima intuens, & considerans, meritò ait: *quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi, calicem salutaris accipiam,* id est, passionis. Tunc enim vitã, & mortem suam patri pro nobis obtulit, iuxta verbum Paul. ad Hebr. 10. *ingrediens mundum ait: tunc dixi, ecce venio.* In qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi semel. Vnde subdit: *ô Domine, quia ego seruus tuus: & filius ancillæ tuæ.* Triplicata cofessione, seruum se cõfitetur: Quasi dicat, omnia tibi debeo; & vt seruus tuus flagellis, clauis, & cruci paratus sum *Dirupisti vincula mea,* id est, corporis mei mystici, soluens vincula peccatorum per meam satisfactionem. Vt merito exclamet Diuus Gregorius, *ô inæstimabilis* Psal. 115. *Ipso incarnationis die Christus patri gratias agit, & se in seruum offert.* Ad He. 10. D. Greg.

dilectio charitatis, vt seruum redimeres, filium tradidisti. Et vt filius ancillæ, & captiuæ humanæ naturæ, hæres fit cum Christo filio liberæ seruusque peccati admittatur ad hæreditatem filii Dei voluit Dei filius serui formam accipere: & vt mater ipsius ancilla sit. Recte Iacob Genes. 49. in benedictione Asser filii Zelphæ ancillæ Lyę, in typo Christi secundum Ambrosium de benedicto patriarcha dixit, *Asser panis pinguis, & præbebit delicias Regibus.* Asser interpretatur beatus: filius ancillæ in re, & in nomine typus Christi, qui Ioan. 6. dixit, *ego sum panis vitæ.*

Genes. 49. D. Ambr.

Solent serui & ancillæ signari signo S. vel clauo, sic Christus Dominus spiritus Sancti donis signatus est iuxta illud Esai. 61. *Spiritus Domini super me.* Et clauis signatus est Esai. 49. *ecce in manibus meis descripsi te.* Similiter sacra virgo ancilla Domini signata est in corde spiritu promissionis sancto: nunc vero signatur in brachio per filium, qui patris brachium est. Impleturq; illud Canti. 8. *pone me vt signaculum super cor tuum: vt signaculum super brachium tuum quia fortis est, vt mors dilectio.* In corde signata est donis spiritus Sancti: in brachiis per opera omni gratia & virtute plena. Figuræ sigilli quæ eleuatæ sunt, impressæ ceram deprimunt; quæ vero depressæ sunt, figuras in cera exaltant. Sic humilitas Verbi incarnati, tanquam signaculum exaltauit virginem in matrem Dei: altitudo vero eiusdem verbi, & diuini sigilli humiliauit virginem, vt diceret, *ecce ancilla Domini.*

Christus Dominus tanquam seruus signatus est. Esai. 61. Esai. 49. Cantic. 8.

Tandem seruorum conditio præcipua ea est, vt voluntatem propriam non habeant, sed voluntati Dominorum subiiciantur. Sic Christus Dominus tanquam seruus non sibi placuit, vt Paul. ait ad Roman. cap. 15. Sed dixit Patri: *non mea voluntas, sed tua fiat*, & Psalm. 39. *aures autem perfecisti mihi*, quod Paul. ad Hebr. 10. legit, *corpus autem aptasti mihi:* & alia lectio Hebræa habet, *perfodisti*, vel *perforasti mihi*, perforata auris signum erat seruitutis: vt habetur Exod 21. Et Esai. 50. *Dominus aperuit*, siue *perforauit mihi aurem:* hoc est, quod Christus dicit, *ego seruus tuus*, & virgo mater, *ecce ancilla Domini*, id est, in omnibus subiecta diuinæ volun-

Psalm. 39. Ad He. 10.

voluntati. Id enim significat nomen ancilla, secundum Albertum Magnum ab, an, id est, circum, & cileo, moueo, id est, circum mobilis: fuit enim in omnibus, & per omnia ad nutum diuinæ voluntatis mobilis. Hanc ergo virginis obedientiam, & humilitatem imitemur: quia qui se humiliat, exaltabitur ad dignitatem filii Dei, nunc per gratiam, & in futuro per gloriam.

IN FESTO BEATI VINCENTII confessoris ordinis prædicatorum,

CONCIO VNICA.

THEMA.

De Angelo Apocalipsis.



VIDI alterum Angelum volantem per medium cœli, habentem euangelium æternum vt euangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, linguam & populum dicens magna voce: timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicii eius; & adorate eum, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & fontes aquarum Apoc. 14. De beatissimo Vincentio glorioso prædicatore, qui in prædicatoria familia tanquam splendidissimum iubar emicuit: atque post Apostolos vehementiori spiritu per triginta annos fere quotidiè vltimum, atq; tremendum iudicii diem in catholica ecclesia semper prædicauit sub eo themate proposito, *timete Deum, &c.* elegi verba prædicta ad dicendum: cuius excelsam gloriã, fœlicissimumq; diem hodie celebrat nostra religio, quo prędicationis suę, & laborum vberrimũ, ac dulcissimũ percepit fructũ, & præmiũ, sactissimę vitę, adeòq; excellę, vt potius Angelica,

quàm humana iudicari possit. Quare angelicis linguis esset meritò laudandus. Cæterùm quanquam cum Esaia humilitatem nostram, & indignitatem agnoscere oporteat, & dicere: *Va mihi, quia vir pollutus labijs ego sum:* ne Angelici Vincentii laudes silentio operiamus; confidenter, & humiliter accedamus ad thronum sublimis Seraphini (sacratissimę inquam Virginis) vt ignito calculo accepto de altari diuini spiritus tangat corda, & labia nostra dicentes: Aue.

Esaia 6.

Esa. 52.

Euangelicus ille Propheta cap. 52. Apostolicum munus, excelsamque prædicatorum dignitatem à longè prospiciens, meritò illos laudat, & admiratur dicens: *quàm pulchri super montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis: Sion regnabit Deus tuus.* Quem locum (quamuis de Christo Domino satis propriè à multis intelligatur, qui super montes Galilææ prædicauit pacem) Paul. tamen Apostolus ad Roman. 10. loquens de prædicatoribus citat. Illi enim per omnes mundi regiones discurrunt super montes prędicantes, atque super eminentia loca euangelizantes omni creaturæ: vel super montes virtutum, atque in prædicatione euangelica continentur omnia ista: pax, bonum, salus, & regnum Christi, Pax, quia de Christo scriptum est, *loquetur pacem gentibus.* Zachar. 9. & Esa. 9. vocatur *princeps pacis.* Et hoc est bonum, quod prædicatores annuntiamus: Ante Christum enim Philosophi, & sapientes huius seculi nunquam verum bonum cognouerũt, nec in quo veri boni ratio sita esset: sed fallax bonum mundi secuti sunt, & amplexati stercora. Cæterũ in veri boni consecutione, quod Deus est, sita est nostra salus. Hanc annuntiarũt Apostoli prædicantes ecclesiæ, *regnabit Deus tuus* Non regnet iam Moses, sed Christus. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Roman. 6. *Sed adueniat regnum* Christi per gratiam. Hoc est Apostolicum, & prædicatorum munus: quare meritò Propheta illorum pedes laudat; quasi dicat, à planta pedis vsque ad verticem capitis nil est in prædicatoribus, quod non sit pulchrum. Speciali tamen ratione laudantur pedes, tum quia Dominus ambulat in eis, tum quia pedes sunt

Prædicatorũ magna dignitas.

Prædicatorũ pulchritudo maxima describitur.

ſunt deferentes per orbem Euangelium: atque ea forte ratione voluit Chriſtus Dominus lauare pedes diſcipulorum Ioan. 13. quia euangelicos prædicatores illos inſtituebat. Pedes ſunt ſtatuæ Daniel. 2. Quos tetigit lapillus exciſus de monte ſine manibus; qui ſtatuam comminuit: & in fauillam redegit. *Ante pedes Apoſtolorum* ponebant facultates ſuas initio naſcentis eccleſiæ, qui ad finem veniebant, Actuum 4. & pedes Petri exoſculantur omnes filii eccleſiæ, etiam regali, vel imperiali dignitate fulgentes. *Daniel. 2.*

Quare nil mirum, quòd ſæpe in ſcriptura ſacra vocentur Angeli: ſicut loco propoſito Apocalyp. 14. Vbi euangeliſta Ioannes vidit tres Angelos, quorum primus hortabatur homines ad pietatem, clamans viciuitatem tremendi iudicii. Secundus prædixit Babylonis ruinam: tertius multa mala comminatur adorantibus beſtiam, & imaginem eius. Primi Angeli iudicii diem prædicantis viſionem de Apoſtolis, & prædicatoribus à Deo miſſis intellexere Tyconius homil. 11. Beda, Ambroſ. Ansbertus Anſelmus, Rupert. & ſanctus Thom. Ratio eſt, quia prædicatio euangelica nunquã per Angelos facta eſt, ſed per homines; ea enim eſt ſuauis diſpoſitio, & ordo diuinæ prouidentiæ. Non enim Angelis, ſed Apoſtolis dixit Chriſtus: *ite docete omnes gentes*: & iterum, *prædicate Euangelium omni creaturæ.* Id quod Paulus 2. ad Corinth. 5. dixit; *poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur.* Prædicator verò vocatur Angelus per Malach capite 2. *labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent de ore eius* legem (inquam) non fabulas, non flores, non *carmen muſicum; quia Angelus Domini exercituum eſt.* Labia prædicatoris, labia ſpõſi ſunt, de quibus Cantic 5. *labia eius lilia diſtillantia myrrham primam.* Lilia propter candorem, puritatem & ſuaueolentiam ſanæ doctrinæ ſtillantia eloquentiam euangelicam denotat, quæ non eſt affectata, neque *in perſonalibus humana ſapientia verbis: ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis.* Cæterum quia non eſt doctrina deliciarum, ſed pœnitentiæ, laboris, crucis, & ſancti timoris: ait, *diſtillantia myrrham primam*, id quod ſignificatũ eſt in vino myr-

Prædicatores in ſcriptura ſacra Angeli vocantur.

D. Ambro. Anſelm. S. Thomas.

Malac. 2.

Cantic. 5.

thato, quod ori Christi propinatum est. Quia verò laborum amaritudinem Christus Dominus *de torrente in via bibit*, nobis autem exiguum amaritudinis communicat, apte dicitur, *stillantia myrrham*.

Mun' Euangelicum cum celeritate charitatis exequendum. Vidit vero Iohannes *Angelum volantem per medium, cæli*: vt explicetur velocitas in executione ministerii euangelici: vnde subdit, *habentem euangelium æternum*: quod non est abolendum, sicut lex Moisi: sed durabit in æternum. Et secūdo quia promittit non bona temporalia, sed æterna: volatus vero velocitatem significat: sicut Esai prædixit cap. 18 *ita Angeli veloces ad gentem conuulsam, & dilaceratam: ad populum terribilem, post quem non est alius: ad gentem expectantem, & conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius.* *Esai. 18.* Vbi extrema miseria, maximaque præsentanei, velocissimiq; remedii necessitas depingitur: *Simile.* ac si videres in exercitu deuicto per campos, & agros dispersos in numeros milites vulneratos, semineços, & animam exhalantes, magnis clamoribus medicos, & chirurgos ad medelam inuocantes. Non minor, imo maior peccatorum est miseria: sicut Hier. cap. 3. dicitur, *leua oculos tuos in directum, & vide, vbi nunc prostrata sis*: & Ezech. 16. *Esaia 60.* *transiens per te vidi te conculcatam in sanguine tuo.* Ad tantæ igitur calamitatis, extremæque indigentiæ medelam, opus fuit, vt Apostoli, verique prædicatores euangelici tanquam Angeli veloces citissime accurrerent: sicut Esai. præuidit caput 60. *Qui sunt isti, qui, vt nubes, volant*: nubes velocitate, & imbribus Doctrinæ mundum irrigantes, & fecundantes. *Et quasi columbæ ad fenestras* columbarii pullorum affectu properantes. Sic volabat Paulus, cum ad Romano. 15. dixit, quod *ab Hierusalem per circuitum vsq; ad Illiricum repleuerat euangelium Christi.* Cuius rationem reddit 2. ad Cor. 5. *Charitas Christi vrget nos*, id est, stimulat & agitat.

Volatus Angeli per mediū cæli multipliciter explicatur. Deinde dicit Iohnnes de Angelo, quod *volabat per medium cæli.* Cuius verbi primus sensus est: per demonstrationem mediorum humanæ salutis, *consilij diui super salutem humani generis.* Et quomodò *Christus Iesus mediator Dei, & hominum*, descēdit componere pacem inter cœlum & terram. Secundo prædicatorum conditio de-

ditio describitur: qui per medium cœli volant, cum per media temporalia huius mundi tanquam peregrini transeunt, iuxta illud Paul. 1. ad Corint. 7. *qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur:* vt terrenos homines ad cœlum rapiant. Tunc volant per medium cœli cum doctrina, & exemplo, *sicut Aquila prouocant ad volandum pullos suos, et super eos volitant* Tertio vero maximè volatus per medium cœli dicit fidelitatem euangelici ministerii, & libertatem euangelizandi, annuntiandiq; veritatem absq; vllo timore: & arguendi scelera populi iuxta præceptum Domini Esai. 58. Hoc est Apostolicum munus, quod Paulus cum emphasi admonet Timot. 1. cap. 6. *O Timothee depositum custodi deuitans prophanas vocum nouitates.* Quod eleganter explicuit Vincentius Lirinen. *Quid est depositum? id, quod tibi creditum est, non quod à te inuentum. Non tu author, non institutor, sed custos, & sectator, aurum accepisti aurum redde: non auri speciem, sed naturam.* Vinc. Lir.

Quarto loco volatus per medium cœli significat cœlestem conuersationem; & conformitatem vitæ cũ doctrina iuxta illud Pauli ad Philip. 3. *conuersatio nostra in cœlis est* D. Hierony. in illud Malach. 2. *Angelus Domini exercituum est*, explicat, id est, Dei nuncius, & sequester Dei, & hominum. Hoc significabat rationale in pectore sacerdotis: & in rationali *doctrina & veritas*, Exodi 28. In Hebræo pro doctrina habetur *illuminationes*, & pro veritate *perfectiones:* quibus secundum phrasim Hebræam significatur maxima illuminatio intellectus, magnaque vitæ perfectio, & integritas, quæ ad apostolicam factionem requiruntur: sicut in benedictione. qua Moses benedixit Leui explicuit sic Dominum deprecans: *perfectio tua & doctrina tua à viro sancto tuo.* supple, non recedant, Deutero. 33. Hoc significabat rationale aureum, gemmis splendidum annulis aureis, & vitta hiacynthina exornatum, catenulisque aureis pectori, & superhumerali tanta prouidentia coaptatum, vt *veritas, & doctrina* nunquam separentur. Idem quoque significabat rationalis compositio: de quo Exod. 28. dicitur, *quadrangulum erit, & duplex.* Quadrata figura perfectionem dicit: duplex vero
D. Hieron.
Exod. 28.
Magna illuminatio intellectus & vita perfectio nunus euangelicum comitari debent.

conuenientiam exteriorum operum cum doctrina insinuat. Deinde, quòd rationale cum superhumerali catenulis, & annulis sic aptabatur, & stringebatur, vt a se inuicem separari non possent, idem prorsus significabat. Hoc est quod idem Propheta Malachias paulò antè illa verba dixerat: *lex veritatis fuit in ore eius: & iniquitas non est inuenta in labijs eius: in pace, & aquitate ambulauit mecum*; Cyrillus, *in omnibus mihi obediuit, nunquam mihi restitit, & multos per doctrinam auertit ab iniquitate.* Ea ratione Saluator vocauit Apostolos simul *sal terra*, & lucem mundi. Id quod explicuit apertius, dum subiunxit: *qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.*

Cyrillus.

Addit vero Euangelista Ioannes, quod Angelus illi qui volabat per medium cœli ad velocē executionem sui ministerii, habebat *Euangeliū aeternum*, id est, quod in æternū durabit: & quod non promittit bona temporalia, sicut lex Moysi, quæ abolita est, & abrogata; sed bona æterna pollicetur: temporaliumq; omnium contemptum suadet, iuxta verbum Pauli 2. ad Corinth. 4. *non contemplantibus nobis qua videntur, sed qua non videntur. Qua enim videntur, temporalia sunt: qua autem non videntur, aterna sunt.* Habebat verò Euangelium æternum, *vt euangelizaret sedentibus super terram*, id est, cœlestium oblitis, & terrena tantum appetentibus, de quibus Luc. 21. dicitur *repentina dies tanquā laqueus superueniet in omnes, qui sedent super faciem vniuersa terra.* Et vt *euangelizaret super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum dicens, magna voce*, iuxta rei magnitudinem: *Timete Deum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius, Timete Deum*, quia Dominus est. *Date honorem*, quia creator est omnium, *qui fecit cœlū, & terram*, mare & fontes aquarum. Vbi Angelicus Doctor eleganter adnotauit speciali ratione fontium factam mentionem: quia in fontibus potissimum manifestatur diuina sapientia, bonitas & potentia; quia sine aqua, humana vita conseruari non potest: aqua verò maris humanis vsibus inepta est, quarē summæ prouidentiæ diuinæque sapientię opus fuit aquam maris per subterraneos meatus excolare, & dulcorare: atque ex

Luca 21.

S. Thom.

In fontibus manifesta tur diuina sapientia.

varijs

varijs locis tenues stillas,& guttas in vnum locum conducere, vnde fontes erumpant,& flumina. Summæ sapientiæ opus est, ex aquis maris nubes eleuare: & pluuias educere; *abyssos terræ, & profunda fluuiorum* scrutari; vt dicitur Iob.28.Ideo tanquam de re pretiosissima specialis mentio fit de fontibus; sicut & Psalm.103 *qui emittis fontes in conuallibus.* Sed mulò magis splendet diuina sapientia in septem fontibus sacramentorum; & in perenni fonte doctrinæ euangelicæ. Vnde (iuxta Esa.vaticinium,cap.12.) Haurimus *aquas in gaudio de fontibus saluatoris.*

Iam vero operæpretium fuerit, vt de glorioso Vincentio dicamus, cui verba proposita aptissimè conueniunt.Ille siquidem verè fuit Angelus, non natura, sed officio,& ministerio; quia Dei fuit nuntius ab ipso matris vtero ad hoc munus electus. Nam pater vidit in somnis se habiturum filium eximium prędicatorem. Mater verò intra vterū audiebat sæpe canis latratus. Quare natiuitas ipsius expectata fuit sicut præcursoris Ioannis. Sicut enim Ioannes fuit Lucifer matutinus veri solis Christi aduentum annuntians: sic Vincentius fuit Lucifer vespertinus. Et sicut Ioannes præcursor fuit primi aduentus Christi: sic Vincentius secundi aduentus ad iudicium præcursor extitit. Natus speciosus puer ann. Domini circiter millesimo trecentesimo quadragesimo. Fuit infans in sua natiuitate mirabilis. De quo tanquam de Ioanne dicebant vicini,& cognati: quis putas puer iste erit? In ipsa infantia futuri ministerii,& excelsæ sanctitatis indicia prodebat. Erat enim puer singulari modestia, morumque grauitate spectabilis; à puero eminentiora loca eligebat, puerisque conuocatis concionatorum imitator prædicabat. In Virginem sanctissimam semper ex corde maximam gessit deuotionem, passionisque Saluatoris meditationi sæpissime erat intentus. Sumpto vero habitu prædicatorum (in quo per sexaginta annos vixit) beatissimum Dominicum in omnibus imitari studuit; maximè vero in charitate, humilitate, patientia, obedientia, & vitæ austeritate, ieiuniis & flagellis iugiter carnem domabat,& corpus spiritui seruire cogebat.

Vincetius ex ipso matris vtero ad munus prædicationis electus.

In intelligentia scripturæ sacræ vt spiritu diuino illustratus maximè præcelluit sermonis facundia, feruoreque spiritus splendidus. spiritu prophetico de cœlo dotatus multa futura prædixit, imò & cordis secreta Deo reuelante sæpe cognouit: puritate, & virginitate mentis, & corporis fulgidus vt verè de illo dicere possimus, quòd fuit ille Angelus, non natura, sed vitæ puritate; & ministerio. Benignitate, & consiliorum prudentia fuit eximius; & ab omnibus, non solum à popularibus hominibus, sed à Principibus, Regibus, tam fidelibus, quàm infidelibus: imò & à summis Pontificibus, in summa veneratione est habitus. Adeo quod principes in arduis negotiis etiam de Regni successione, tanquam diuinum oraculum ipsum consulebant. Rex quoque Granatæ, quanquam Sarracenus, audita ipsius fama missis ad eum literis deprecatoriis, vt ad se veniret, & in regno suo Christi euangelium prædicare dignaretur, ab eo impetrauit. Et cùm magna populi multitudo ad fidem cõuerteretur, baptismumque peteret: à Satrapis regni amotionem à regno, & corona regia, comminantibus, gloriosus Vincentius puluerem pedum in illos excutiens ad sua reuersus est. Et quod magis mirandum est, Concilium Constantiense missis ad eum literis per legatum Cardinalem sancti Angeli, cum aliis quatuor doctissimis viris difficillimæ quæstionis solutionem, & definitionem ab ipso petiit, & suscepit. Atque Martinus Quintus Summus Pontifex in ipso Concilio Constantiensi electus Vincentium tanquam Dei Apostolum veneratus, amplissimam potestatem prædicandi, ligandi, & soluendi per totam ecclesiam illi contulit. Fuit verè minister Dei, & euangelicus concionator à Christo visibiliter sibi apparente apud Auinionem, dum febribus ægrotaret, electus, vt prædicaret euangelium; obediensque Christi præcepto fere totam Hispaniam, Galliam, Italiam, Scotiam, & Britaniam penetrauit: atque euangelica prædicatione compleuit; verbum ipsius Domino confirmante sequentibus signis, & magnis miraculis: nam viginti quinque millia Iudæorum ad baptismum, & fidem conuertit: Sarracenorum

Vincētius benignitate, & consiliorū prudentia eximius.

Concilium Constantiense Vincentiū tāquā diuinum oraculum cōsuluit.

Vincētius à Christo Domino sibi visibiliter apparente ad

norum vero octo millia. Ipsumque lingua materna sua prædicantem, omnes audientes cuiuscunq; essent linguæ, intelligebant. Plurimos à flagitiis ad pœnitentiam reuocauit, discordesque conciliauit, & diffidentes composuit.

prædicandū missus est.

Verè fuit Angelus à Ioanne præuisus, sicut ipse in publica concione Salmanticæ testatus est: cumque de ea re aliquid scandali videret oriri, miraculo id statim confirmauit. Nam ex suggesto iussit adduci cadauer occisi hominis, qui tunc efferebatur ad sepulchrum, illumque coram omnibus suscitauit: præcepit enim in nomine Christi, vt è feretro surgeret, & statim surrexit. In cuius rei testimonium fixa fuit ibi crux lignea, quam per plures annos ego sæpe vidi, cuius loco lapidea crux in monte Olineti nunc substituta manet. Fuit verè Angelus; quia maximè spiritualis, mentis, & corporis puritate fulgens: ex cuius membris virgineis, & manibus mirus odor procedebat. Cœlestem habuit conuersationem, spiritu Dei feruidus; & zelo diuinæ gloriæ, & honoris ardens, sicut flamma ignis: *tanquam scintilla in arundineto discurrens:* & tanquam alter Elias, vel Enoch præcursor fuit secundi aduentus Christi ad iudicium, volauitque *per medium cæli*, summa velocitate ministerium suum implens, & euangelizans *super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum, dicens magna voce, timete Deum, & date illi honorem: quia venit hora iudicij eius. Timor enim Domini fons vitæ*, Prouerb. 14. Diuus Augustinus, cap.9. super 1. Cano. Ioannis, timorem vocat setam, quæ filium inducit, iuxta illud Psalm. 110. *Initium sapientiæ timor Domini.* Primus lapis est spiritualis ædificii, Esai. 26 *à timore tuo concepimus: & quasi parturiuimus spiritum salutis.*

Vincentiū verè fuisse Angelum officio, miraculo confirmatum est.

D. August.

Timor Domini primus lapis spiritualis ædificij.

Glorioso Vincentio tanquam filio, & hæredi spiritus beatissimi Dominici aptare possumus verba Esaiæ cap.59. *spiritus meus, qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo: non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui amodò, & vsque in sempiternum.* Sicut Elisæus suscepit spiritum duplicem, Eliæ 4. Regum 2. sic beatus Vincentius habuit spiritum duplicem beati Dominici, nempe virginis,

Esaia 59.

virginis, & Doctoris: prophetæ, & prædicatoris. Tantoque feruore spiritus aduentum Domini ad iudicium prædicabat: quod ipsum audientes territi, *ac trementes dicebant montibus, cadite super nos: & collibus operite nos.* Fuit Seraphin Esaiæ totus ignitus, qui accepit ignem de altari diuinæ charitatis: & ignito calculo euangelii purificauit mentes hominum. Tandem nomen ipsum Vincentii inter varias propinquorum opiniones (qui non satis de nominis impositione conueniebant) quasi diuino consilio ipsi impositum futuras victorias, gloriososque triumphos portendit, atque promisit. Vicit enim omne morborum genus, illuminauit cœcos; vicit Diabolum adeo, quod sæpe hi, qui vexabantur ab spiritibus immundis, inducti, in domum, quam per breue tempus beatus Vincentius habitauerat, statim à Dæmone liberati sunt. Vicit mortem, dum viginti octo mortuos suscitauit. Vicit se ipsum: & hodierno die exiuit ex hac mortali vita *vincens, vt vinceret.* Atque vincenti datus est esus, & cibus *de ligno vitæ, & manna absconditum*: quod ipse nobis hodie ostendit, & offert: vt cum illo vincentes mundum, carnem, diabolum; & nos ipsos mereamur percipere fructum ligni vitæ nunc per gratiam, & in futuro per gloriam.

De Euangelio diximus in festo B. Thomæ de Aquino: & dicemus Domino dante in solennitate Beatissimi Dominici patris nostri: & in communi Doctorum Ecclesiæ.

IN

IN FESTO B. MARCI EVANGELISTÆ,

CONCIO VNICA.

De Vite vera.

THEMA.

Ego sum vitis vera, & vos palmites. Ioan. 15.



VERBA sunt prima hodierni Euangelii: in quo Christus Dominus vitem se vocat, & nos palmites. Ab ipso enim, vt à vera vite omnes fructus diuini spiritus & succus diuinæ gratiæ in nos deriuantur. Atque his, qui in sacra vite manent, quiduis petendi, libera datur facultas: & impetrandi fiducia. A vera ergo vite diuinæ gratiæ succum per intercessionem almæ Virginis petamus dicentes; Aue Maria. *Litaniarũ origo explicatur.*

Litanias, siue supplicationes maiores hodierno die celebrat ecclesia; quæ ex traditione Apostolorum originem ducunt. Et postea per Beatum Gregorium circa annum Domini sexcentesimum quartum ad implorandum diuinum auxilium contra improbam pestem denuò confirmatæ sunt. Sanctusque Pontifex septemplicem processionem ordinauit, vt in silentio, & sine calceis seorsum singuli status procederent clericorum, religiosorum, monialium, virorum, mulierum, puerorum, & pauperum: vt sic in vnam ecclesiam, diuersis tamen sedibus, conuenirent: & sic placatus est Dominus, & pestis cessauit. Minores vero litaniæ per tres dies ante ascensionem Domini à Beato Mamerto Archiepiscopo Viennensi propter crebra incendia institutæ sunt sub Clodoueo Gallorum Rege, qui per Regi-

nam

nam Christi fidem primus suscepit, & à sancto Remigio baptizatus, & inunctus est Rex Christianissimus circa annum Domini circiter quingentesimum: postea verò confirmatæ sunt in Concilio Moguntino sub Carolo Magno primo Imperatore Latino anno Domini circiter octingentesimo tertio decimo.

Marcus nomine, & re excelsus. Celebramus etiam festum beati Marci Euangelistæ. Cuius nomen celsitudinis ipsius prognosticũ fuit Marcus enim idem significat quod excelsus mandato: quia per viam mandatorum incedens, munusq; sibi mandatum, & iniunctum ab Spiritu sancto fideliter executus excelsus, & sublimis est coram Deo, & hominibus. Vnus fuit ex septuaginta duob. discipulis electis à Christo. Vnus ex quatuor Euangelistis, quorum doctrina velut quatuor fluminibus è paradiso egredientibus irrigatur ecclesia. Figura quadrata firmitatem, & stabilitatem significat. Qua ratione veteres, maximè apud Arcades Deorum simulacra super quadros lapides cõstituebant: vt illorum stabilitas significaretur, sicut fortunæ inconstantiam super rotundum globum exprimebant. Mundi stabilitatem super quatuor elementa, & super quatuor climata diuina sapientia constituit. Quadrata enim figura firmitati aptissima est, & perfectionis stabilitatisq; symbolum. Figura humana quatuor cubitorum proportione constat. Roma, quæ est caput mundi, nomen habet quadriliterum, quod marmori insculptũ à Roca sapientissimo multis retrò seculis tandem inuenit Romulus, & celeberrimæ vrbi illud nomen imposuit, Romamq; nuncupauit. Quæ vrbs primum in quadro (teste Ennio) fundata est. Ciuitatem quoque illam cœlestem vidit Ioannes in quadro positam, Apoc. 21. Similiter ecclesiastici ædificii fabricam in æternum mansuram super quatuor euangelistas, veluti firmissimos lapides fundari voluit diuina sapientia ineffabilecque nomen suum quadriliterum, siue tetragrammaton per hos quatuor Euangelistas hominibus explicari.

Figura quadrata firmitatẽ, & stabilitatẽ significat.

Hi sunt prima illa quadriga equorum rufforũ, quam vidit Zacharias, 6. rufi dicuntur equi propter incendiũ charitatis, & propter sanguinem martyrii, de his dicitur

Zachar. 6.

Abac.

Abac. 3. *qui ascendis super equos, & quadriga tua saluatio.* Est enim quadriga, quæ per medias vndas, & procellas mundi currum, & arcam ecclesiæ ducit, vt saluetur mundus. In hac enim quadriga euangelica, tota saluatio ecclesiæ consistit. Hi sunt quatuor illa animalia sancta, quæ vidit Ezech. 1. & Ioan. Apoc. 4. Ioannes quidem vidit illa *plena oculis, antè, & retrò, intus, & foris:* quia luce repleuerunt ecclesiam. & illuminauerunt ænigmata veteris legis: statumque legis gratiæ illustrarunt. Et sicut sol quarto die productus dispulit tenebras, & illuminauit omnia; sic quatuor Euãgelistæ verum solem iustitiæ Christum in ecclesiam inuexerunt. Ezechiel verò vidit, quòd *quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni:* quia notitia fidei, quæ per quatuor facies explicatur, eadem ipsa est in vno, quæ in altero, & quæ in omnibus quatuor. Id enim de fide sensit Marcus, quod Matthæus: & Lucas quod Ioannes: & visa vna facie videntur omnes quatuor. Quatuor verò pennæ altissimam contemplationem, cognitionemque diuinitatis Christi significant: ad quam omnes quatuor aduolarunt, & concorditer conscripserunt. *Et pedes eorum pedes recti,* id est, opera scripturæ conformia. *Et similitudo vultus eorum facies hominis,* quæ Matthæo tribuitur: quia ab humana Christi generatione incepit euangelium. *Facies leonis* tribuitur Marco, quia cœpit à clamore in deserto, & desiit in reprehensione incredulorũ. *Facies vituli* Lucæ tribuitur, quia à sacerdotio, & sacrificio Zachariæ exorsus est: sicut dicut Irenæus, & Eucherius: & quia sacerdotale genus Christi, vnctionem ipsius, vt summi sacerdotes per columbam in Baptismo descripsit: occisionemque vituli saginati in reditu filii prodigi, sacrificium (inquam) veri vituli Christi copiosius declarauit. Ioannes tandem per faciem aquilæ significatur; quia à verbi diuinitate incipiens cæteris altius euolauit. D. August. tamen faciem hominis tribuit Marco, qui humana gesta Christi narrauit: faciem vero leonis Matthæo, qui regiam originem Christi ex catulo leonis Iuda deduxit. Augustinum sequitur eius discipulus Primasius: de qua re legatur Rupertus lib. 3. in 4. cap. Apocalyp.

Abac. 3.
Quatuor euãgelistæ quadriga sunt, & quatuor animalia sancta.
Irenæus.
D. August.
Primasius.
Rupertus.

Cæterum,

Cæterum, cùm Marcus per Leonem, siue per hominem (secundum D. Augustinum) significetur, quid mysterii habet, quòd taurus B. Marco sit dicatus? Nam apud oppidum Hispaniæ vulgatiter cognominatum, Las Brocas; & aliis in locis ferocissimus taurus virga œconomi societatis D. Marci signatus, Marcique nomine vocatus, & inuitatus, vt ad festum D. Marci in ecclesiam ascendat: mansuetus velut agnus accedit, atque cum vesperis processioni, atque missæ maioris sacrificio prostratus, & mansuetus, seseque tangi permittens interfuerit: peracto missæ sacrificio statim discedit, & quanquam feritatem ostendens, neminem tamen tunc lædens. Cuius miraculi ea prior videtur esse congruentiæ ratio, quia per boues, & tauros in scriptura sancti Apostoli, & prædicatores designantur iuxta illud Pauli, 1. ad Corinh. 9. vbi explicans scripturæ locum, *non alligabis os boui trituranti*, explicuit subdens: *nunquid de bobus cura est Deo, an propter nos? Debet enim, qui arat in spe arare.* Apostoli viuentes boues fuerunt, qui iugo Christi suscepto, euangelico aratro terram proscindentes diuino semine totum orbem repleuerunt: quorum figura fuere duodecim boues qui mare fusile, & æneum sustinebant, 3. Reg. 7. id est, baptismum Spiritus sancti igne conflatum, & baptizatos omnes. In morte verò sancti Apostoli, & Euangelistæ tauri fuere pro fide occisi, de quibus explicat Hilarius verbum Christi Matthæi, cap. 22. *tauri mei, & altilia occisa sunt.*

Taurus in solennijs D. Marci mirabiliter mansuescit.

3. Reg. 7.

Hilarius. Matth. 22.

Fortè tamen ea sit specialis, quia sicut Persis mos erat bouem ex carnibus arreptum, vel funibus ligatum ad Sacrificium Soli dicatum educere: sic cum D. Marcus apud Alexandriam Ægypti in die sancto Paschæ missæ sacrificium celebraret, fune ad collum iniecto per ciuitatem tractus, veluti taurus ad locum sacrificii eductus est. Et quia in loco Bubulci nomine Petri Apostoli ecclesiam ædificauerat, qui illum trahebant, clamabant: *en Bubulum trahimus ad stabulum Bubulci* Sicque eo die, quo gloriosa caro Christi resurgentis refloruit, tanquam floridus taurus gloriosum martyrium consummauit.

Ego

Ego sum Vitis, & Vos palmites, Euangelium hoc pars est est sacri illius, dulcissimique sermonis, quo in nocte cœnæ Dominus Iesus de discessu suo discipulos cõsolari voluit: & contra tribulationes futuras præmunire, vt nulla ratione ab ipsius fide, & dilectione diuellerentur. Id quod effecit similitudine vitis inducta, in qua videmus, quod quamuis despecta in hyeme appareat foliis, & fructu spoliata: postea tamen primo vere virescit, fructumque copiosum profert. Palmites quoque quamdiu viti adhærent, fructu ornantur: si verò à vite abscindantur, nulli vsui apti sunt, nisi, vt igni dentur in escam. Hac igitur similitudine Christus vtrumque effecit, & necessitatem passionis suæ explicuit, firmitatem in ipsius fide suasit. Pater ille cœlestis sic dilexit vineam ecclesiæ, vt nõ sibi satisfecerit, cùm vineam ex Ægypto in terram promissionis transtulit: sed adhuc vitem veram diuini verbi ex suo pectore in dilectam vineam transplantauit; impletumque est Ezechielis oraculum, cap. 17. *sumam de medullà cedri sublimis, & de Vertice ramorum eius, tenerum eius distringam,* vel dispergam: vbi passio Christi insinuatur: *& plantabo super montem excelsum,* scilicet ecclesiæ, vel sacræ Virginis: *& in monte sublimi Israel,* scilicet Caluariæ *plantabo illud: & erumpet in germen,* iuxta illud Esaiæ, cap. 4. *Erit germen Domini* in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis. Ex Christi enim passione copiosus fructus nostræ redemptionis, Apostolicæque doctrinæ processit.

Pater æternus Verbũ pectoris sui in Vitẽ Vinea Ecclesia transplantauit.

Ezech. 17.

Esa. 4.

Sæpè in scripturà sacrà solent homines arboribus comparari; sicut & à Philosophis arbor inuersa homo dici solet: sic Psalm. 1. *erit tanquam lignum, quod plantatum est,* &c. & Matth. cap. 7. *bona arbor bonos fructus facit:* & subdit: *à fructibus eorum cognoscetis eos.* Sic nunc Christus Dominus vitem se dicit, quia secundùm humanam naturam eiusdem naturæ est cum hominibus, qui palmites sumus; & sicut vitis in hyeme despecta, & contemptibilis apparet, sic de Christo in passione dixit Esaias cap. 53. *Vidimus eum, & non erat ei aspectus:* in resurrectione vero frondosa vitis, florida, & cum magno fructu apparuit. Ipse est vitis, quam vidit Gen. c. 40. præposi-

Vitis dicitur Christus Dominus.

præpositus pincernarum Pharaonis cum triplici propagine: sicut explicant Diuus Augustinus, tractat. 80. in Ioan. & Rupert. super Cantic. 2. Beda super Gen. cap. 49. Christus enim triplicis substantiæ propaginem habet, scilicet animæ, corporis & diuinitatis. Ad hanc vitem alligauit ecclesiam. Ex hac vite processit vinum, quo lauit stolam Ecclesiæ: vinum lætitiæ, *Vinumque germinans Virgines*, Zachar. cap. 9. Vinum quod inebriat, ecstasim facit, obliuionemque terrenorum inducit: & in amorem cœlestium rapit. Hoc vino redundant torcularia ecclesiæ, Iohel. 2. & plena est cella vinaria Cant. 2. in quam inducuntur martyres, atq; ordinata in ipsis charitate confortantur, vt pro Christo alacriter mortem subeant: & veluti fortes elephanti viso sanguine, ad prælium accendantur, 1. Machab. 6.

D. Augu. *Christus Vitis est, triplicem habēs propaginem.*

Iohel. 2.

Sub vmbra huius vitis desideratæ sedet sponsa. Est enim *Vmbraculum diei ab æstu: in securitatem, & absconsionem à turbine, & à pluuia*, Esai. 4. id est, ab omni tentationis genere protectio. Hanc vmbram non rodit vermis, Ionæ cap. 4. nō solum autem huius vitis vmbra & protectione delectatur ecclesia: sed copiosum fructum, gutturique dulcissimum experitur. Tum quia fons est, & origo fructus, quem palmites ferūt: omnem enim virtutem suam in palmites, id est, Apostolos trāstulit Christus, cùm Ioan. 20. dixit illis: *sicut misit me pater, & ego mitto Vos*. Transfundit, & in omnes fideles, siquidem, *de plenitudine ipsius omnes accepimus*, Ioann. 1. Et tandem ab hac vite manat vinum illud suauissimū, quod beati bibunt in patria.

Esai. 4.

Christus Vera Vitis Vmbra protegit, & fructu reficit.

Dum verò Christus Dominus non palmites appellat conditionis humanæ sublimitatem explicat: siquidem dum verbum humanam naturam assumpsit, non solùm Deus homo fieri dignatus est: vt cum ipso in humana natura communicemus: sed voluit humanam naturam ad esse diuinum exaltare: vt verè dicamus; *ipsius, & genus sumus*: non solùm per imaginem creationis: sed per Christi carnem & gratiam: sicut, 2. Petr. 1. dixit Apostolus: *Vocauit nos propria gloria, & virtute per Iesum Christum, per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donauit: Vt per hæc efficiamur diuinæ consortes*

2. Petr. 1.

naturæ

naturæ.Id quod D. Augusti.sic explicat:*effecit Deus quantum potuit, vt nos sibi vniret* Est aűt triplex vnio: prima essentialis per naturam: hæc est æterna, & incōmunicabilis creaturis: cōmunicatur vero filio, & Spiritui S. Secunda vnio est personalis, quæ per incarnationem Verbi humanæ naturæ cōmunicata est. Adhuc tamen tertiam vnionem spiritualem diuina bonitas instituit per gratiā in via, & per visionē in patria: de qua Paulus 1. ad Corinth. cap. 6. *qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo.* Hæc est vnio palmitum cum vite: quæ à secunda vnione hypostatica procedit. Ad hanc efficiendam venit Christus. & passus est, & resurrexit: hic scopus fuit totius Euangelicæ doctrinę, institutionis sacramentorum, & missionis Spiritus sancti: qui, vt diuinus ignis, omnia sibi vniuit. Hoc petit Christus hodierno Euangelio:*manete in me*: & iterum:*si manseritis in me*, &c Pro hac vnione orauit ad patrem Ioan. cap. 17. *O ro pater, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.*

D. August. Triplex est diuina vnio.

Sed (proh dolor) impii enim, quamuis per fidem palmites sint Christo vniti, succum tamen charitatis non percipiunt: quare nec palmites vocandi sunt, sed sicut infructuosi, syluestres, & inutiles palmites vocantur serpentes, *sterpes*: qui ad nihil valēt, nisi vt igni dentur in escam, Ezech. cap. 13 & Christus Dominus ait; *omnem palmitem in me non ferentem fructum, colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Iusti verò palmites sunt, qui per fidem, charitatem, & gratiam Christo vniuntur, *in ipso radicati, & superædificati*, primæ Ioan. cap. 1. In ipso vitam habent, & pulchritudinem; & inter se inuicem annulis, & vinculis charitatis alligantur; *Charitas enim vinculum est perfectionis*, ad Coloss. cap. 3. id est, perfectissima vnio, quia amor virtus est vnitiua, quæ virtutes omnes, & dona ligat, & corda vnit, & vincit. Vnde Christus Dominus ait, *manete in me*: quasi dicat palmites, vt fructum ferant, in vite maneant oportet: ab illa enim pulchritudinem, & fructum participant, Oseæ 14. *ero quasi ros Israel germinauit vt lilium, & erumpet radix eius*: & Hierem. cap. 17. *Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et erit quasi lignum, quod transplantatur*

Impij non sunt perfecti palmites, sed potius serpentes.

Iusti verò palmites per charitatē adhærent Christo, & vniuntur inter se.

Coloss. 3.

super aquas, quod ad humorem mittit radices suas: & erit folium eius viride, nec aliquando desinet facere fructum.

Ezech. 15. Excisus verò palmes mittetur foras, & arescet, Ezech. cap.15 *fili hominis quid fiet de ligno vitis*, &c. *Ecce igni datum est in escam.*

Quare Christus Dominus ait discipulis: *manete in me. Sine me enim nihil potestis facere.* Nihil (inquam) quod ad vitam æternam sit vtile. Nemo enim sapiens sine sapientia esse potest: sicut nec iustus sine iustitia, nec verax sine veritate. Christus *factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio*, 1. ad Corinthios, cap.1. *Ipse est lux, via, veritas, & vita*, Ioann.14. *& omne bonum.* Quare sine ipso nil possumus. Ab ipso habemus generale auxilium: *in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Act.4. Ab ipso habemus omne auxilium speciale gratiæ præuenientis, & subsequentis, iuxta illud Psalm.38 *Misericordia eius præueniet me.* & Psalm. 22. *Misericordia eius subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Et Esaiæ 26 *omnia opera nostra operatus es nobis Domine Deus noster.* Et (vt Apostolus ait ad Romanos, cap.9.) *non est volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei.* Vnde Christus subdit; *si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint. quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Qui verba Christi seruat, in Christo manet, & succum vitis sugit. Vnde Paulus ad Ephesios cap.3 *in charitate radicati, & fundati.* Vnde sanctus Thom. ait: *spirituale ædificium, nisi in charitate fundatum subsistere non potest.* Ad Coloss. cap.2. *in Christo ambulate radicati, & superædificati.*

A Christo omne auxilium generale, & speciale participamus.

Ephes.3. S.Thom.

Concludit tandem Christus: *quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Sicut enim vitis nunquam denegat succum palmitibus in se manentibus, sic nec Christus vera vitis denegat succum auxilii gratiæ amicis. Potissimum vero percipiunt copiosum succum palmites, qui ferro tribulationis purgantur, vt fructus plus afferant. D. Cyprianus, *quoties ferro vitis abscinditur, erumpentibus gemmis melius vua vestitur.* Sic gloriosus Euangelista Marcus veræ viti Christo per fidem, vt palmes vnitus, per spem, & charitatem in ipso manens; verbaque illius in corde seruans, & opere complens:

Iusti per tribulationes purgati magnũ succũ gratia percipiunt.

D. Cypria.

plens:fuccum donorum Spiritus fancti, & vitam cœleſtem ſuxit: Euangelicum munus, & Spiritus ſancti plenitudinem accepit, rogatuſque à fratribus Romæ ſcripſit Euangelium, quod Petrus Princeps Apoſtolorum Eccleſiæ legendum propoſuit. Poſtea diuina reuelatione Lybiam, & Ægyptum euangelico ſemine repleuit. Vtque verus palmes in Chriſto manens: ipſique inſeparabiliter inſitus, & conformis, velut palmes de terra promiſſionis allatus, quo vberiorem botrum, maioremque fructum redderet, ferro paſſionis purgatus, per martyrii coronam in die ſancto Paſchæ floridus palmes, plenus floribus gratiæ, reſtitutus veræ viti Chriſto percepit pleniſſimum, & ſuauiſſimum botrum gloriæ.

De Euangelio ſecundum vſum Romanum ex Luc. 10. deſignauit Dominus, &c. Dicemus dante Domino in feſto B. Lucæ Euangeliſtæ: & in communi Euangeliſtarum.



IN FESTO B. PETRI MARTYRIS, Ord. Prædicatorum,

CONCIO VNICA.

THEMA.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me. Luc. 9.

GLORIOSI Petri martyris vti verè angelici, & cœlestis, festum hodie recolimus, qui si pro dignitate, & meritis laudandus esset, Angelica vtique lingua illius encomia persequi deberet. Inter cætera tamen excelsa, & præclara priuilegia illud vnum æterna memoria dignum est, quod dum vixit, almæ Virgini fuit deuotissimus, ipsique adeo gratus, vt visibiliter ei apparens dixerit, *ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Ipsam igitur almam Dei genitricem supplices deprecemur, vt deuoti sui laudibus differendis auxilium cœlestis gratiæ nobis mittere dignetur dicentes, Aue Maria.

Si nationes omnes suorum principum, & ducum trophæos, gloriososque triumphos merito celebrant, rationi consentaneum est: vt ecclesia non solum principis nostri Christi, sed & inuictissimorum ducum triumphos celebret. Inter quos veluti antesignanus, qui fidei vexillum defert, splendet Petrus martyr sanctissimæ Inquisitionis patronus, Dominicanæque familiæ splendidissimus alumnus. Ille siquidem Veronæ ex parentibus hæreticis ortus velut granum excussa palea in horreum ecclesiæ congregatus est: & sicut pulcherrimus flos, rosaque immarcescibilis ex spinis hæreticorũ exorta in hortum ecclesiæ, prædicatoriæque familiæ per manum beatissimi Dominici transplantata fuit.

Petr. martyr antesignanus est fidei, & ecclesia.

Murus

Murus fuit validus ecclesiæ, signifer fidei, strenuusque defensor: generalis inquisitor contra hæreticam prauitatem. Cui post Apostolos defensio fidei debetur: tum quia proprio sanguine fidem Catholicam rubricauit, & roborauit: tum quia sanctissimæ inquisitionis vendicatiuam potestatem, & vltricem gladium contra fidei hostes vehementer auxit, & confirmauit. Gladius est ex hæretica vagina ad hæreticorum vltionem eductus: cui conuenit oraculum Zachariæ cap. 9. *suscitabo filios tuos Sion super filios tuos Græcia: & ponam te quasi gladiũ fortium.* Apostoli enim filii fuere Sion per Christum Dominum ibi docti, & geniti: & per gratiam Spiritus sancti in linguis igneis apud montem Sion super ipsos descendentis: ea ratione filii Sion merito dicuntur, qui dum Gentilismum ad fidem vocarunt, super filios Græciæ suscitati dicuntur. Post quos ad fidei firmitatem videtur ipsi promissus secundo loco Petrus martyr, vt sit quasi gladius fortium. Hic est *gladius ille exacutus, & limatus, vt cadat victimas exacutus: & vt splendeat limatus*: de quo Ezechiel. 21. In Petro martyre videtur quoque impleta mirabilis illa visio, qua Ioann. Apostolos Apocal. cap 1. vidit in dextera filii Dei *septem stellas; & ex ore eius procedebat gladius acutus.* Septem stellæ septem Sancti sunt prædicatorii ordinis beatissimi Patriarchæ Dominici filii, qui signo stellæ in fronte præuisus est: & quia iuxta Danielis vaticinium, cap. 12. *qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas æternitates.* Inter has igitur septem stellas, ex ore Christi, & per ipsius imperium, cœlestemque ordinationem processit gloriosus Petrus, velut gladius acutus, per verbum Dei, *omni gladio ancipiti penetrabilior:* & per inquisitionis ministerium contra fidei hostes acutus, & limatus gladius.

Petrus gladius est cõtra hæreticos.

Zach. 9.

Ezech. 21.

Apoc. 1.

Aptissimè nostro Petro conuenit, quod de Dauid dicitur 2. Regum 23. *Dauid sedens in cathedra, sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.* Cathedra tribunal est sanctissimæ Inquisitionis, cœlesti sapientia plenum. Petrus martyr fortitudinem Dauid imitatus contra Leones, & vrsos infestissimos fidei hostes:

2. Reg. 23.

quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui ex ligno nascitur, & ipsum corrodit; sic Petrus ex parentibus hæreticis natus ipsos corrosit, & comminuit, ac deuastauit; octingentosque, id est, innumeram multitudinem interfecit impetu vno. Eadem siquidem diuini spiritus fortitudine, & impetu viuens, & moriens veluti alter Sampson interfecit; quosdam consumens vltricibus flammis, alios ad fidem conuertens, tam per se, quàm per plures sanctissimæ inquisitionis ministros, & gloriosos martyres prædicatorij ordinis, qui ipsi in Apostolico munere successere. Quorum sanguine irrigata ecclesia, & fides Christi magna suscepere incrementa. Dauid dictus est *vir secundum cor Dei*: atque adeo commodissimè latus illius, & cor pugione, siue gladio apertum est; sicut & latus Christi lancea est perforatum, vt in omnibus conformis fieret *imagini filij Dei*, ad Romanos 8.

Consecratio ecclesiæ sanguine Christi, Apostolorũ, & martyrum perfecta est.

Omnis consecratio in veteri lege per sanguinem fiebat, vt patet Exod 12 19. & 30. & Leuit. 4. Similiter consecratio ecclesię sanguine Christi, apostolorum, & martyrum perfecta est: indeque processit ingens illa fortitudo: quam Matth. 16. Christus Dominus prædixit Petro: *tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non praualebunt aduersus eam.* Et sicut Petro dicens Christus, *tu es Petrus*, & vocans eum petram, præstitit illi firmitatem, & fortitudinem vicario suo, & capiti ecclesiæ necessariam: sic Petro martyri cum nomine datum est, vt fuerit solida petra fidei, ipsiusque protector, & acerrimus defensor.

Iam verò operæpretium fuerit ad euangelii explicationem accedere. Cùm rogasset Dominus Apostolos, quem se dicerent esse homines; quid verò ipsi sentirēt, respondissetque Petrus, *tu es Christus filius Dei viui: præcepit eis, vt nemini id dicerent, quia oportebat eum multa pati in Hierusalem à senioribus, & scribis, & occidi*, atque adeo voluit esse *Deus absconditus*, iuxta Esaiæ vaticinium cap. 45. quia (vt Paulus ait 1 ad Corinth. 2.) *si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Quapropter cùm Dominus mortis suæ necessitatem pro redemptione humani generis assereret, Petrusque ipsi resiste-

resisteret dicens, *absit hoc à te Domine: increpauit illum dicens, Vade post me Sathana,* id est, aduersarie: *non sapis qua Dei sunt.* Tunc præostenso discipulis crucis itinere dixit: *si quis vult post me venire, abneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me.* Edictum est vniuersale principis nostri Christi, quod ore suo profert, vt ad suum vexillum conueniant omnes, quotquot voluerint sub ipsius vexillis militare: tres conditiones à militibus requirit. Prima est, vt voluntarii accedant, secunda, vt abnegent semetipsos. Tertia, vt fortes sint, & parati pro ipso vitam exponere: neque id timeant, *que perder es ganar. Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Arma verò militia nostra* (sicut Paulus ait 2. ad Corinth. 10.) *non carnalia sunt, sed potentia Dei: ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiā Dei.* Hæc sunt arma crucis, de quibus ait Christus, *tollat crucem suam, & sequatur me.* Neque milites frustrantur stipendio suo: *qui enim perdiderit animam suam propter me, in vitam aternam custodit eam.* Hæc est euangelii summa, quam in gloriosi Petri vita, & morte impletam videmus.

Ad vexillum crucis omnes vocat Christus.

Principi nostro Christo subscriptio illa meritò conuenit, quam vidit Ioannes in ipsius fœmore, Apoc. 19. *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Nullus inter terrenos principes est similis Domino, sicut dixit Iob. 36. *ecce Deus excelsus in fortudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus.* Primum enim terreni principes neque omnes in domum, & familiam suam admittunt: neq; ad munera Reipublicæ vocant: quia ipsorum potentia finita est, & limitata. At Christus Dominus omnes ad se vocat: quia *vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire,* 1. ad Timoth. 2. Et quia ipsius potentia infinita est, & illimitata: *diues est in omnes, qui inuocant illum,* Roman. 10. & Iacob. 1: *Qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* Secundò terreni principes vocant ad se nobiles, diuites, & potentes, eliguntque ad munera secundum leges carnis, & sanguinis: Christus autem non sic, sicut docet Paulus 1. ad Cor. 1. *Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes se-*

Nullus inter terrenos princepes similis Christo.

tes secundum carnem, non multi potentes non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi, eligit Deus, ut cõfundat sapientes: & infirma mundi eligit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia eligit Deus, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret: ut non glorietur omnis caro in conspectu eius. Et ad Colos. 3. *in Christo Iesu non est masculus, & fæmina: Gentilis, & Iudæus, circumcisio, & præputium: barbarus, & Scytha, seruus & liber: sed omnia in omnibus Christus.*

Deinde tertiò, terreni principes, sepissimè regia potestate abutentes ad tributa, ad militiam, & ad alia onera grauia subditos suos inuitos compellunt: vt patet Luc. 1. *cum exijt edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur uniuersus orbis:* omnes vrbes subditi compulsi sunt ire in ciuitatem suam, vt describi tributum, & obedientiam Cæsari præstarent. Cuius præcepto obediens sanctissima virgo ascendit in Bethlehem ciuitatem Dauid cum sponso Ioseph, *eo quod essent de Domo & familia Dauid,* ibique peperit saluatorem. Et quanquàm tunc ipse Dei filius edicto Cæsaris obediẽs describi dignatus est: vt cœlestis tamen princeps alia rationi Regni sui leges, & edicta proposuit: non coactè, sed spontaneè: iuxta illud Iacobi. 1. *Voluntariè genuit nos uerbo ueritatis, ut simus initium aliquod creaturæ eius.* Vnde & voluntarios milites desiderans dicit, *siquis uult post me uenire, &c.* Similiter habetur ecclesiastic. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata, & præcepta sua. Si uolueris mandata seruare, conseruabunt te. Apposuit tibi aquam, & ignem: ad quod uolueris porrige manum tuam. Ante hominem uita, & mors: bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Voluntarios milites eligit Christus.

Volũtarios milites uocat Christus

Primo propter celsitudinem bonorum, ad quæ nos vocat: vt enim ait Diuus Chrysost. *adeò sunt excelsa bona, quod irrogasset illis iniuriam Dominus, nisi spontaneos uocasset.* Digna sunt enim, quæ appetantur, & desiderentur. Et vt Apostolus ait ad Roman. 8. *non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Vnde ait Christus: *siquis uult, &c.*

D. Chryso.

Ad hæc

Ad hæc volũtarie vult Christus homines adducere, quia, vt dicitur Sapient. 8. *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*: id est, secundum cuiusque naturam. Quare cum ab initio Deus condiderit hominem liberum, Christus Dominus illius naturæ edictum vocationis coaptat: ipsiusq; ingenuitatem, quæ in libertate sua est, seruare vult. *Guarda al hombre su hidalguia.* Neque vult inferre vim: gratia enim non destruit naturam, sed perficit. Trahit, sed suauiter, veluti Angelus duxit Abacuch in locum Babylonis (vbi inter Leones clausus erat Daniel) *per capillum, & in vertice eius*, Daniel. 14. Inter Deum, & animam suaue contrahitur matrimonium, quare mutuus consensus requiritur. Ideo Christus libere vocat: *si quis vult* Recte. 1. Ioann. 5. dixit dilectus discipulus, *mandata eius grauia non sunt.* Et Christus Matth. 11. *iugum meum suaue est & onus meum leue.*

Suauiter, & secundũ cuiusq; naturam Dominus omnia disponit.

Daniel. 14.

Sed adhuc suauius redditur iugum Christi, non solum quia voluntarie nos ducit, sed quia ipse tanquam bonus pastor oues, & tanquam bonus dux milites præcedit: id enim significat dicens, *post me venire.* Vbi insinuatur libertas creaturæ, & consequenter dependens semper à creatore. Ille enim incipit, creatura vero sequitur: ille definit, homo vero ipsius decretum, quod ille præscit, & ordinat, exequitur. Nam rursus ideo Deus cognosceret hoc futurum, quia ego operaturus sum, hoc esset Deum me sequi: & efficere gratiam pedissequam mei arbitrii: Christus vero tanquam verus Deus in omnibus nos præcedit: & tanquam bonus dux crucis vexillium super humeros suos deferens præcedit vt ipsum sequamur: veluti fortissimus Gedeon, qui cum trecentis militibus mirabilem, gloriosamque victoriam obtinuit contra Madiam dicens militibus, *me sequimini, & quod me facere videritis, hoc facite. Qui confringentes Lagenas, sinistris tenentes lampades, & dextris turbas personantes clamauerunt per circuitum castrorum hostilium: gladius Domini, & Gedeonis*: & sic obtinuerunt victoriam, Iudicũ. 7. Similiter Iud. 9. *Abimelech audiens viros turris Sichimorũ pariter conglobatos ascendit in montem, Selmon cum omni populo suo: & arrepta securi præcidit ar-*

Deus semper præuenit creaturam: maximè per auxilium gratiæ.

Iudi. 7. & 9.

dit arboris ramum, impositumq; ferens humero dixit ad socios: quod me videritis facere, hoc facite: Igitur certatim ramos de arboribus pracidentes sequebantur ducem. Similiter 1. Machabæ. 26. describitur fortitudo gloriosi ducis Mathathiæ: qui videns *mala qua fiebant in populo Iuda, & Hierusalem*, pro instauratione diuinæ legis, & cultus, plenus zelo diuini honoris, *doluit, & cōtremuerunt renes eius:* & tanquam Leo rugiens *exclamauit in ciuitate voce magna: omnis, qui zelum habet legis, exeat post me: & filij eius multiq; quarentes iudicium, & iustitiam sequentes eum fugerunt in montes relinquentes qua habebant in ciuitate.* Et tandem in articulo mortis filios ad obseruantiam legis exhortatus Simonem dedit illis in patrem: Iudam verò in ducem, & principem militiæ. In his tribus ducibus principis nostri Christi typum videmus. Gedeon enim conterens interpretatur, Christus est, qui serpentis caput, & æreas portas inferni contriuit. Abimelech verò pater rex, ipsum est nomen Christi, qui *Rex regum* est, & pater futuri seculi. Mathathias verò secundum D. Hier. donū Dei interpretatur: Christus est nobis datus ab æterno patre: qui zelo diuini honoris, & dilectionis humani generis accensus, dolens propter peccata nostra: pro instauratione diuinæ legis, ruinæque nostri crucis patibulum subire non dubitās; exclamat, *si quis zelum habet legis, & vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.*

1. Mach. 2.

Gedeon Abimelech, & Mathathias precedētes milites typum gessere Christi.

D. Hier.

Hanc vocem Christi secuti sunt Apostoli, & gloriosi martyres crucem suam humeris deferentes. Inter quos secutus est gloriosus Petrus martyr superior omni laude: religionis norma, virginitatis splendor, morū regula, sapientiæ Thesaurus, prædicationis radius, charitatis feruor, totius virtutis speculum: fidei potissimus defensor, hæreticorum stupor, cœleste iubar, atque totius sanctitatis odor, & splendor. Hic velut alter Iudas fidei militiæ princeps protegebat castra gladio suo, tā diuini verbi, quàm gladio potestatis apostolicæ, similis leoni, qui ad nullius pauet occursum: rugitibus peccatores continebat, hæreticos terrebat, & ignorantes illuminabat. Et sicut de Iuda Machabæo dicitur, 1. Machab. 3.

cap. 3. quod *sicut catulus leonis rugiens in venatione* similis factus est: sic verè Petrus martyr rugiebat contra fidei hostes in venatione sua: per venationē enim munus apostolicum explicatur: sicut per Hierem. c. 16. de missione Apostolorum prædixit Dominus: *mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & cauernis petrarum*. Sicut enim canes venatici per olfactum insequuntur venationem, & capiunt prædam: sic Petrus martyr per verbum euangelicū plurimam prædam Domino obtulit, & per ministerium apostolicæ inquisitionis venatus est ingentem hæreticorum multitudinem, iuxta illud Cantic. 2. *capite nobis vulpeculas, quæ demoliuntur vineas*. Inquisitores nasus sunt ecclesiæ, de quo Cantic. 7. *sicut turris Libani nasus tuus, quæ respicit contra Damascum*. Illi enim hæreticorum versutias quantumcunque absconditas aperiunt, & deprehendunt: illorumque damna de longe præueniunt, & veluti canes ecclesiæ odorantur, indignationemque, & furorem contra Damascum, id est, impios hæreticos proferunt: imò si opus est, per nares ardentes flammas emittunt, illi sunt nares Christi, de quibus Esa. 2. dicitur, *quiescite ab homine, cuius spiritus est in naribus eius*.

Hiere. 16.

Cant. 2.

Cant 7.

Inquisitores nasus sunt ecclesiæ.

Esai. 2.

Cùm igitur princeps noster Christus ad tam excelsa præmia æternæ vitæ nos inuitet, tamq; liberè, & spontaneè vocet, atque illum tam gloriosi milites, ac duces, Apostoli nempe, & martyres adeo constanter secuti sint: quid est in causa, quod tam pauci illū sequantur, Diabolum verò, mundum, & carnem ferè omnes certatim comitentur, sicut de Absalone dicitur, 2. Reg. 15. *Vniuersus Israel toto corde sequitur Absalon*, & deserit David? Dolendum est vtique, siquidem impletur illud Esai. 17. *erit sicut congregans in messe, quod restiterit: & brachium eius spicas leget*, &c. & Michæ. 7. *Va mihi, quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos, non est botrus ad comedendum*: quasi dicat, vix reperio vnum, vel alterum, qui me sequatur. Ea sane videtur esse ratio: quia Diabolus, *Coluber est in via, & Cerastes in semita*, Genes 49. *qui mordet vngulam equi*, id est, sensus corporis, quibus terram tangimus, præstigiis vanitatis, & carnis

Esai. 17.

Micha. 7.

Gene. 49.

carnis veneficiis deludit, vimque operatiuam à vita virtutis, & Christi sequela lethifero morsu reuocat. Altera ratio est, quia Christus, quanquam libere vocat, cæterum per arduam & difficilem viam ducit: nempe per abnegationem sui & crucis amplexum. Oportet enim abnegare seipsum, sicut Christus in euangelio docet: & Luc 14. *si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem* &c. *adhuc & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Vbi animam vocat voluntatem, quia propter libertatem dicitur potissimum bonum animæ. Et quamuis abnegare se ipsum difficile sit, exemplo tamē suo facile reddit: propter nostram enim salutem negauit voluntatem suam: neq; *sibi placuit*, vt Paul. ait: siquidem Luc. 22. dixit pater, *non mea voluntas, sed tua fiat.* Sic Paulus propter Christum se ipsum abneganit, cum dixit ad Galat 2. *viuo ego, iam non ego.* Vnde ad Titum. 2. *Apparuit gratia saluatoris nostri Dei erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobrie, & iustè, & piè vitamus.* Huic abnegationi congruit locus Ecclesi. 15. qui illum explicat: *post concupiscentias tuas ne eas, & à voluntate tua auertere.*

Abnegatio sui difficilem reddit sequelam Christi.

Ecclesi. 15.

Secunda difficultas in sequela Christi est, vt *vnusquisq; tollat crucem suam.* Hæc vero maxime vincitur, tum quia Christus tulit crucem, non suam, sed omnium nostrum: quia *posuit super eum Dominus iniquitates omnium nostrum, & vere languores nostros ipse tulit* Esa. 53. Nullus status in hac vita sine cruce esse potest. Illius vero pōdus, & amaritudinem Christus tempetat exemplo suo: quia præcessit non solum crucem tollens, sed illi affixus: dumq; amoris sui meditatione, æternique præmii certitudine pondus crucis non solum leuē, sed suaue reddidit. In quo sensu explicat D. Hieron. difficilem locum Psalm 74. *calix in manu Domini, vino meri plenus mixto*: Christus enim calicem passionis plenum amaritudine pro nobis bibit; nobis autem miscuit dulcedine exempli, amorisq; sui & præmii Societate Christi dulcescunt labores; iugumq; suaue, & leue redditur.

Difficultas abnegationis sui, & crucis per Christi exemplum vincitur.

D. Hieron.
Psalm. 74.

Gloriosus igitur Petrus martyr dilectionis Christi dulcedine attractos, ipsiusq; sequendi desiderio parentes, patriam, & se ipsum abnegauit: suauisimumque Christi

Christi iugum super se ferens, crucemq; suam tollers fidem constanter vsque ad sanguinis effusionem professus, ab hæreticis duplice vulnere in capite, & in corde inflicto gloriosam martyrii palmā adeptus est. Et sicut Petri nomen fœliciter sortitus est, sic & firmitatem petræ habuit in re: vt ambos duas columnas templi Salomonis appellare possimus: nempe *Iachin*, id est formitas, quæ Apostolo Petro conuenit: & *Booz*, id est fortitudo, quæ Petro martyri adaptatur, siquidem pro fidei protectione inuincibilem fortitudinem pręstitit. Et sicut olim percussa petra Oreb fluxerunt aquę vt biberēt filij Israel: sic percussa capite, & corde Petri sanguis fluxit, quo tanquam attamento, & digito proprio, tanquam calamo vsus fidem, pro qua patiebatur in terra descripsit dicens, *credo in Deum*. Simulque cum sanguine diuini liquores confessiones fidei ardentissimæ charitas, & constantia patientiæ profluxerunt. Insuper humerali sacerdotis duo erant pretiosi lapilli: sic super humerale Christi duæ exornant petræ; Apostolus Petrus, in quo firmitas ecclesiæ à Christo stabilita est; & Petrus martyr, cui commissa est fidei protectio. In Arcadia lapillus nascitur ferrei coloris (teste Alberto Magno lib. 2. de mineral. cap. 1. & Plini. lib. 37. cap. 1.) nomine Abeston, adeo mirabilis, quod semel accensus nulla ratione extingui potest; stellæque fulgorem emittit, & teste Isidor. lib. 16. etymol. ab antiquis templo Veneris accensus; dicabatur, vt arderet pro lampade. Symbolum est Petri martyris, qui seri fortitudinem pro fide retinens, igneque diuinæ dilectionis accensus nulla vi extingui potuit; quinimo sicut cælestis Abeston, mirabilisque gemma in ecclesia Christi fulsit, & in æternum fulgebit, emittens nobis lucem charitatis, & gratiæ; & plenum splendorem in æternum emittens in templo gloriæ.

Petrus martyr columna est fortitudinis ecclesiæ

Alb. Mag.
Plinius.

Isidorus.

Petro martyri virtus Lapilli Abeston conuenit.

giæ prouinciæ vrbem crucifixus, & lapidatus. Vt tantorum principium laudibus dignum aliquid dicere valeamus, diuini numinis auxilium per almę virginis intercessionem imploremus dicentes, Aue Maria.

Regius vates Psal. 46. titulum inscripsit in finem pro filijs Core, id est calui: quasi dicat Psalmus dicatus Christo, & Apostolis ipsius filijs: Core enim caluus interpretatur, Apostoli, filij sunt Christi per sanguinem illius in mōte caluariæ effusum geniti: in ipsius schola lactati, nutriti, & educti. Vnde sublimis dignitas Apostolorum apparet: quos Christus filios vocat, & amicos Ioan. 15. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quacunq; audiui à patre meo nota feci vobis.* Et ideo pręclara nomina illis indidit vocans eos sal terræ, & lucem mundi. Principes ecclesiæ, & magistros, & limpidissimos oculos esse voluit: primitiasque spiritus de cœlo illis emisit. Duodecim illi principes, quos eligit Moses vt ducerēt, atq; docerent populum, illorum typum gessere. Duodecim quoque illi viri electi à Iosu. c. 4. qui de medio Iordanis alueo tulerūt duodecim lapides, super quos figebant tentoria, & castra Israel apostolorum fuere figura, qui de medio scripturæ sacræ abysso duodecim articulos fidei in symbolo professi sunt, super quos ędificium ecclesiæ stabilitum est. Hi sunt duodecim principes qui contulerunt dona ad ædificium tabernaculi Nume. 18. Duodecim lapilli laminæ aureæ sacerdotalis quibus insculpta erant nomina filiorum Israel Exo. 28. Duodecim portæ sunt, & duodecim margaritæ, ex quibus portæ ecclesiæ fabricatæ sunt, duodecimque fundamēta *ex omni lapide pretioso*: quæ vidit Ioannes Apoca. 21. per Apostolos enim veluti regias portas ecclesię habemus ingressum ad fidē: de qua re multa disserit D. Antonin. 3. par. tit. 18. cap. 1. Duodecim fontes sunt Elim, de quibus Num. 33. fontes (inquam) sunt Saluatoris, ex quibus haurimus aquas in gaudio Es. 12. Duodecim vituli se ipsos pro ecclesia impendentes, & pro Christo immolantes Exod. 24. Duodecim viri sunt à Salomone pręfecti super cibos domus suæ. 3. Reg. 4. Apostoli enim a Christo vero Salomone præfecti sunt super cibum doctrinæ, & sacramentorum ecclesiæ.

Duodecim Apostolorū plures figura praecesserunt.

Numer. 18.

Exod. 28.

D. Anton.

Eo igitur Psal. 46. sic ait Dauid: *Dexs sedet super sedem sanctam suam: principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam dij fortes terræ vehementer eleuati sunt.* Vbi principes populorum, & dij fortes terræ à Propheta Rege merito vocantur: per principes illos veteris legis figurati. Hi sunt enim *viri fortes* (vt D. Greg. ait) *qui terrena despiciunt, cælestia appetunt: carnem domant, spiritum roborant, virtutibus coruscant: moueri possunt, flecti nequeunt,* Dicuntur quoque dij participatione diuinæ gratiæ. Quibus debitores sumus totius venerationis propter doctrinam, & exemplū, quibus roboratur ecclesia, atq; propter intercessionē qua semper protegitur: & ab hostium insidiis communitur.

Apostoli principes sunt: & dij fortes per participationem diuina gratia D. Gregor.

Hic vero duos Apostulos vocare possumus duos illos cherubinos cœlesti sapientia plenos, mutuo se se respicientes; alas protectionis extendentes, & tegentes propitiatorium ecclesiæ Exod. 37. vel duas illas tubas argenteas ductiles, quibus conuocabatur multitudo, vt mouerentur castra Nume. 10. vel duas columnas æneas, quæ in porticu templi Salomonis erectæ sunt 3. Reg. 7. vel duo verba sponsæ. Cant. 4. quæ duobus hinnulis capreę assimilantur: de quibus Cant. 8. dicitur, *vbera mea quasi turris.* Apostoli enim sancti propter charitatem & pietatem, & teneritudinem habēt vberū: quę lac doctrinæ continent: in quibus impletum est diuinum promissum, & oraculū Esai. 66. *ad vbera portabimini,* in fidei vero firmitate, & fortitudine fuere quasi turris, *columna marmarea, quæ fundata sunt super bases argenteas,* virtutum, & donorum spiritus Sancti Cant. 5. firmissimaque fundamenta ecclesiæ. Hæc fortitudo à Christo Domino per spiritus Sancti missionem de cœlo illis communicata est; atque hodierno euangelio, quod pars est sermonis Dominici habiti in nocte cœnæ, illorum pauida corda maxime confortauit Dominus dicens, *non turbetur cor vestrum.*

Exod. 37.
Nume. 10.
Cantic. 8.
Esai. 66.

Tria siquidem illis prędixerat Christus, quibus ipsorum corda exulcerauit & conturbauit. Primo discessum suum per mortem crucis: corporalemque absentiā explicuerat dicens: *adhuc modicum vobiscum sum: expedit vobis, vt ego vadam.* Secundo proditoris crimen explicue-

Triplex causa turbationis discipulorum explicatur.

plicuerat dicens, *Vnus vestrum me traditurus est.* Tertio dixerat Petro, *non cantabit gallus, donec ter abneges nosse me.* Imo & his tribus quartum addiderat, quod in mundo pressuram essent habituri. Quibus quatuor ictibus apostoli mente consternati, vehementerque erant conturbati. Quam conturbationem Psal. 59. præuidens regius vates, titulum inscripsit in finem, id est, Christum qui finis legis est. Christum vero sic alloquitur: *Deus repulisti nos, & destruxisti nos iratus es, & misertus es nobis. Commouisti terram, & conturbasti eam: sana contritiones eius, quia commoda est.* Vbi acute adnotauit Genebrar. quod vox est populi petentis auxilium à Domino in tribulatione: congruitque apostolis in tribulatione constitutis. Sicut ergo prælatis ducibus in morte fuit eo tempore, quo jam jam conserendum est cum hostibus prælium, commilitones conuocare: & præclaris maiorum gestis in memoriam reuocatis, opulentæque prædæ spe proposita trepidantes amicos erigere, & ad pugnam excitare, sicut Iudas Machabæus à Nicanore obsessus. 2. Machab. vltimo hortatus est suos, *ne formidarent ad aduentum nationum: sed in mente haberent auxilia sibi de cælo facta, atque sperarent victoriam sibi ab omnipotente affuturam: & in singulos eorum armauit non clypei, & hasta munitione; sed sermonibus optimis, & exhortatione;* atque ad pugnam promptiores, adeoque fortes reddit, vt occiso Nicanore, prostratisque triginta quinque millibus gloriosam obtinuerit victoriam: sic vtiq; nunc cœlestis princeps noster Christus videns conturbatos, & pauidos discipulos armauit sermonibus optimis dicens *non turbetur cor vestrum.*

Psalm. 59.

Genebrar.

Contra triplicem turbationis causam triplici antidoto discipulorum corda confortat, illosque animæquiores reddit. Primo per fortissimum fidei clypeum dicens, *creditis in Deum, & in me credite.* Secundo per sublimem spem bonorum cœlestium: *in domo patris mei mansiones multæ sunt; si quo minus dixissem vobis quia vado parare vobis locum. Et si abiero, & praparauero vobis locum, iterum veniam ad vos: & accipiam vos ad me ipsum. Vt vbi sum ego, & vos sitis.* Tertio osten-

Triplici medio pauida corda discipulorũ confortauit Christus.

ostendit illis pulchritudinem, & suauitatem viæ, qua ad ęternas mansiones tendere debent: *quo vado, scitis, & viam scitis.* Dubitantique Thomæ, *Domine nescimus quo vadis: & quomodo possumus viam scire?* Respondit Dominus: *ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad patrem, nisi per me.* Tandemque Philippo petenti, *Domine ostende nobis patrem.* Respondet Philippe: *qui videt me, videt & patrem. Nescis, quia ego in patre, & pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite.* Operibus enim, & signis, atq; miraculis cœlestis doctrinę veritatem Dominus comprobauit: diuinam naturā astruxit, discipulorumq; timidos animos confirmauit. Merito Propheta Rex Psal. 147. ad diuinas laudes pro perceptis beneficijs ecclesiam inuitat: inter quæ primo loco huius beneficij meminit dicens: *lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion. Quoniam confortauit seras portarum tuarum.* Portę ecclesię sacramenta sunt: seræ sancti sunt Apostoli: quibus claues & potestas administrationis sacramentorum datæ sunt: & fidelis custodia. Conturbatis vero Apostolis seræ portarum turbatæ sunt: dumque discipulos Dominus corroborauit, confortauit seras portarum ecclesiæ militantis, & triumphantis.

Psal. 147.

Apostoli seræ sunt portarum ecclesiæ.

Non turbetur cor vestrum. Cor præcipua est humani corporis pars: vbi sedes est animę, vitęq; naturalis principium. Quare venenum illuc tendit: vt occidat: & antidotum theriacę, vt à veneno cor protegat. Quare per metaphoram cor accipitur pro animæ potentiis, in quibus vita spiritualis residet: hæ sunt intellectus, & volūtas in quibus vita spiritualis residet: hæ sunt intellectus, & voluntas: in quibus principium est & origo vitæ, animæ motuum & omnium actionum. Potissimum vero cor tribuitur voluntati: quę per amorem rapitur extra sed ad volitum: sicut canis venaticus vēto venationis accepto natiua quadam vi ventū insequatur: similiter rapitur voluntas: atque ad illius motūm rapiuntur omnes potentię interiores & exteriores: sicut ad motum primi mobilis mouentur inferiores orbes. Et sicut ex bona, vel mala dispositione cordis sequitur vita, vel mors hominis: sic vita, vel mors animæ à dispos-

Cor præcipua pars hominis, & sedes animæ.

Simile.

Ad motū voluntatis mouentur omnes potentiæ animæ.

à diſpoſitione voluntatis pendet. Ea ratione Dominus, qui cor noſtrum adeo diligit, illudq; à nobis inſtanter petit Prouerb. 23. *Filij prabe mihi cor tuum*: omnẽ formidinem, atque turbationem à corde noſtro procul eſſe deſiderat. Timorem quidem ſanctum non excludit: quia initium eſt ſapientiæ; ſeruilem tamen, & mundanum timorem excludit, quia *perfecta charitas foras mittit timorem*. 1. Ioan. 4. Timor enim mundanus ex amore ſui, & modica fide Dei oritur; indeque ratio à propria rectitudine abducitur, & mẽs cõturbatur. Quare, vt ad ſuam rectitudinẽ ratio reducatur, ſtabiliq; in Deum confidentia roboretur, ait Chriſtus; *nõ turbetur cor veſtrum* Sicut enim ſera penſilis non poteſt claue aperiri, quandiu turbata eſt; ſic nec cor noſtrum aperitur claue diuini ſpiritus, quamdiu conturbatum eſt. Ideo ait Dominus, *non turbetur cor veſtrum*. Simile. Simile.

Cor iuſti templum eſt Dei. 2. ad Corinth. 3. *an neſcitis, quia templum Dei eſtis vos, & Spiritus Sanctus habitat in vobis?* Imo deambulatorium eſt Dei, iuxta illud 2. ad Corinth. 6. *ambulabo inter illos*, ex Leuit. 26. Deambulatorium vero Dei, *quem cœlum, & cœli cœlorum capere nequeunt*. 2. Para. 22. dilatare oportet. Vnde Paul. 2. ad Cor. 6. *dilatamini & vos cor meum patet ad vos*. Tribulationes quidẽ præſentis vitæ anguſtiant ſecundũ carnẽ: ſecũdum ſpiritum vero iuſtorum cor dilatatur iuxta illud Pſal. 4. *in tribulatione dilataſti mihi*: & 2. ad Cor. 4. *in omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur*. Et cap. 25. *cum infirmor, fortior ſum, & potens*. Id quod ſignificatum eſt in feneſtris templi, quas vidit Ezechiel. 40. quæ exterius quidem anguſtæ erant, interius tamen latæ. Hanc cordis dilationem efficit *charitas*, quæ *diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum Sanctum*. quod autem diffunditur, dilatatur. Deinde charitas replet cor gaudio: *fructus enim ſpiritus charitas, pax, gaudium*, Galat. 5. ſicut vero per triſtitiam comprimitur cor, ſic per lætitiam dilatatur Prou. 15 *ſicut tinea veſtimento, & vermis ligno, ſic triſtitia viri nocet cordi*; & cap. 17. *animus gaudens ætatem floridam facit, ſpiritus triſtis exiccat oſſa*. Auic. lib. 3. aphor, per lætitiam nutritur cor, quia

Cor dilatare oportet, quia habitaculum, & deambulatorium Dei.

Ezech. 40.

Auicenna.

dilatatur: & per illam dilatationem attrahit ad se sanguinem. Similiter contingit in vita spirituali. Vnde Christus ait, *non turbetur cor vestrum, sed dilatetur.*

Per fidem roboratur cor. Id quod primo suadet Christus per fidem: *credite in Deum, & in me credite.* Sic ad Ephs. 6. ait Paulus, *in omnibus sumentes scutum fidei: in quo positis ignea tela inimici extinguere.* Cum vero Christus dicit, *in me credite*, cõtestatur, quod sit Deus. Creaturis enim credimus, sed non in Creaturas: in Deum autem credimus per motum fidei, & maxime per charitatem formatæ: sicut docet D. Aug. lib. de verbis Domini, & Angelicus Doctor 2. 2. q. 2. art. 2. & confirmatur ex illo verbo Christi Ioann. 6. *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem ille misit.*

D. August.
S. Thom.
Spes cœlestium confirmat cor.

Secundo confirmat discipulorum corda per spem cœlestium. *In domo patris mei mansiones multæ sunt, & vado parare vobis locum.* Quod si roges: quomodo mansiones multæ, siquidem omnibus operariis datus est vnus denarius Matth. 20. Respondetur cum sancto Thoma, quod ab vnitate obiecti merces est vna: Cæterum mansiones multæ; quia secundum charitatis, & meritorum capacitatem diuersa est mensura, & mansio D. Grego. 22. Moal. exemplum adhibet, quo sicut. Aquila radios solis melius intuetur, quam homo: & perspicacior visus perfectius intuetur imaginem, quam luscus, & hebes oculis: sic qui habet maius lumen gloriæ, & perfectius videt Deum: & sic de eodem fonte plus aquæ haurit maius vas, vt impleatur, quã paruum; sic quicũ maiori charitate decedit, magis capax est luminis gloriæ: melioremque mansionem accipit. Nullus tamen alteri inuidet, quia omnium desiderium impletur iuxta illud Psal. *desiderium eorum attulit eis*, & iterum, *satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Et nunc Philippus ait, *Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis.*

Matth. 20.
S. Thom.
D. Gregor.
Simile.
Simile.

Tertio illis confortat Christus, dum seipsum viam constituit. Principio enim, cum Dominus creauit hominem, per viam honoris, & sapientiæ voluit illum ducere. Cæterum, vt Paul. ait 1. ad Corinth. 1.) *quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum; placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.*

dentes. Stultitiam vocat viam Christi crucifixi: quam gentes stultitiam vocant. Hæc vero *Via est pulchra, & semita pacifica*: quæ corrigit viam, quam omnis caro corruperat; via suauis, quæ difficiles impiorum vias damnat; atque ad viam salutis reuocat: quæ per viam gratiæ splendida luce ducit ad vitam, & visionem gloriæ.

Stultitia prædicationis vocatur fides Christi crucifixi

IN FESTO INVENTIONIS SANctissimæ Crucis,

CONCIO PRIMA.

THEMA.

Sicut Moises exaltauit serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Ioan. 3.

REDEMPTOR noster merito se mundi lucem dixit Ioann. 8. *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris,* Et Ioan. 9. *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.* Id quod historia hodierni euangelii comprobatũ videmus: dum Nicodemum Iudæorum Principem, qui venit ad Iesum nocte: non tantũ in noctis naturalis, sed in densioribus ignorãtię tenebris, mẽtis caligine, & cęcitate, videm⁹ a Christo Domino fidei luce illustratũ. Erat quidẽ *Vir desideriorũ* Dan. 9. & optabat à diuino magistro erudiri de via salutis, & quomodo posset cõsequi regnũ Dei. *Desideriũ*

pauperis exaudivit Dominus Psalm 9. Et per lauacrum baptismi oculos illuminari docuit ad videndum regnum Dei. In baptismo enim lux diuina communicatur à Christo in cruce pendenti, quia ille est vera lux super candelabrum, *qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: atque adeo tanquam lucernam accensam oportuit non abscondi: sed super candelabrum crucis exaltari: sicut per Mosen exaltatus est serpens, *vt omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ab illo deriuatur in nos omnis vita, & lux: vt igitur vita nobis communicetur lucem gratię per virginis auxilium petamus dicentes: Aue.

Cãtica pro insignibus beneficijs inuenta. Antiquus mos fuit Hebræis, cum insingne aliquod beneficium à Domino essent consecuti, erumpere in cantica laudis, & exultationis, sicut *in exitu Israel de Ægypto*, dum mare Rubrum sicco pede transierunt filij Israel, & viderunt Æygptios in submersos cecinit

Exod. 15. Moses canticum illud: *Cantemus Domino: Gloriose enim honorificatus est, &c.*

Esaias quoque euangelicus Propheta Iudæorum libertatem à Babylonica captiuitate procul intuens, & in illa quasi in vmbra, & imagine cernens liberationem ecclesiæ à peccato per Christum, & per crucis, mysterium canticum illud gaudio, & exultatione ple-

Esai. 12. num nomine ecclesiæ cecinit dicens: *confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi,* &c. *Confitemini Domino, & inducate nomen eius: notas facite in populis adinuentiones eius:* Dauid quoque in adinuentionibus Domini exercebatur. Et hæc est hodierna die intentio ecclesiæ, *notas facere adinuentiones Domini*, vt in illis exerceamur. Dum enim celebramus inuentionem pretiosissimi thesauri sanctissimæ Crucis, diuinum artificium, & inuentionem diuino ingenio dignam in opere redemptionis nostræ per lignum crucis recolimus: de quo ait in euangelio: *oportet exaltari filium hominis.* In crucem enim Dominus quasi vir, & dux pugnator ascendit aereas potestates debellaturus: & quasi *bonus pastor saliēs in montib.* ascendit caluariæ montem, & crucem, vt inde amoris sibilis ouem perditam vocaret, & super humeros deferret.

Pretio-

Pretiosum crucis thesaurum Adrianus Imperator Roman. idolorum cultor, Christiani nominis persecutor, anno Domini centesimo quadragesimo in vilissimo loco ruderibus pleno iussit abscondi, crucibus latronum commisceri, atque desuper iussit Veneris simulacrum erigi, vt versutiæ diaboli gladius, quo peremptus est, occultaretur. Super sepulchrum quoque Domini Iesu iussit erigi Iouis simulachrum: nec non in Bethlehemitico præsepio Adonidis effigiem, cuius mortem perfidas Hebræas plangentes vidit Propheta Ezechiel: cæterum vti Prouerb 21. scriptum est; *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum:* anno enim salutis nostræ 318. imperante Constantino magno crucis gloria manifestari cœpit: cùm enim idem Imperator adhuc paganus cum Maxentio tyranno militaribus copiis instructissimo congressurus esset, atq; de belli exitu trepidaret, circa meridiem sole declinante vidit crucis signum in cœlo coruscans his literis inscriptum: *in hoc signo vinces.* Et proxima nocte Christus illi apparens, idem signum ostendens, iussit omnia militaria vexilla eo signo insignire, quod vt effecit, victoriam de hostibus reportauit, crucis mysterium intellexit, credidit, & honorauit, atque Romanam ecclesiam multis muneribus dotauit, & exornauit. Postmodum Helena Constantini mater anno Domini circiter 326. nocturno visu admonita, Hierosolymam petiit, vt Dominicam crucem inquireret. Et multis coruscantibus miraculis inuenit. Ibidem partem crucis thecis argenteis inclusam in templo sanctæ crucis à se constructo reliquit, virginum quoque sacrum monasterium ibi instituit, quibus regina propriis manibus fercula ministrauit, & aquam manibus infudit, teste Rufino, sicque mulier caput Draconis contriuit.

Paulinus epist 11. ad Seuerũ, & ipse Seuer. Sulpit lib. 2. Dionys. Euseb. & Epiph. idẽ affirmãt.

Ezech 8.

Anno salutis 318. Crucis gloria manifestari cœpit.

Crux per Helenam inuenta anno 326. Genebr. libro 9. Chronol.

Genes 3.

Sub hoc tamen nomine inuentionis sanctæ crucis nõ tantum celebramus vnicam crucis materialem inuentionem, qua Helena crucem inuenit, sed diuinam inuentionem, & *altitudinem diuini consilij,* (quam nunquam satis mirabatur Augustinus) *super salutem humani generis*: fuit enim altissimum Dei consilium, quod

Duplex inuẽtio crucis.

per crucem redimeremur, quodque crux vexillum esset ecclesiæ, & signum Christianæ gentis. Militibus siquidem necessarium signum, quo ab hostibus discernantur, & ad quod confugiant, & sub quo congregentur. Hispani purpurea cruce vtuntur, Galli alba, Germani nigra, Christiani tamen omnes cùm in baptismo militiæ Christi adscribimur, triplici cruce signamur in capite, in pectore, & scapulis: vt diabolo firma fide resistamus, mundũ constanti pectore superemus, & carnẽ scapularũ signo mortificantes vincamus. Solet magnũ consiliũ adhiberi ad eligenda insignia vexilli militaris: in electione vexilli sanctissimæ crucis, *quis adiuuit spiritũ Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Crucis enim patibulũ nõ videtur humano cõsilio inuentum, sed diuino: inuenimus siquidẽ plurimorum suppliciorũ inuentores: nam Macedones saxis obruebant, Persæ flagellis ex setis suillis nudos cædebãt; Germani rotis ferreis acutissimis discerpebant: Græci, Romaniq; plurima supplicia inuenere: quosdã enim viuos cadaueribus alligabant, alios parietibus includebant, alios alligato ad collũ pondere in mare iactabant, laminis ardentibus, alios perimebant, alios flammis tradebant, & igni; alios equuleis vngulis, pectinibus ferreis laniabant, alios tunica ignea ex tæda, & aliis ignis alimentis, vt pice, resina illita induebant, & amburebant, alios viuos assabant, alios ab equis stimulatis distractos discecabant, alios arborum ramis depressis alligabant, & solutis ramis discerpebant. De crucis verò patibulo memoria quidem habetur à tempore Ioseph apud Ægyptios mille septingentis annis ante Christum, vt habetur Genes. 40. Eiusdemque patibuli habetur memoria Iosu. 5. 2 Reg 21. & Esther 8. & Diod. Sicul. lib. 3. de antiqu. gest. refert Ninum Regem Assyriorum cruci affixisse Pharnum Medorum Regem a se victum cum vxore, & filiis. Quis tamen fuerit huius patibuli author nõ constat: atque adeò diuino consilio inuentum merito iudicare possimus: vt Deus per crucis patibulum nos redimeret: conuenientissimum siquidem fuit, vt *Verbum caro factum* in ligno crucis pateretur, idemque esset, patibuli & redemptionis auctor.

Esai 40.
Crucis patibulũ diuino consilio inuentũ, vt esset vexillum ecclesiæ.

Genes. 40.
Iosu. 5.
Diod. Sic.

Primo

Primo quidem, quia (vt ecclesia canit) *hoc opus nostræ salutis ordo depoposcerat, multiformis proditoris ars, vt artem falleret, & medelam ferret inde: hostes, vnde læserat:* in ligno serpens tortuosus principatus mundi possessionem apprehendit, in ligno expediens fuit iudicari, & è principatu foras eiici, *vt qui per lignum vincebat, per lignum quoque vinceretur:* Sicut Christus Ioann. 12. prædixerat: *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras:* ex ligno vetito sumpto pomo virulentus serpens protoparentes, & vniuersum genus humanum peremit, Christus in ligno crucis pendens virus expulit, & nos redemit. Id quod in Euangelio explicuit, dicens, *sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis* secundo multis figuris congruentissimum fuit. Primo quidem lignum vitæ in medio paradisi sanctissimæ Crucis prototypus fuit; sicut Ioannes vidit Apocalyp. 22. lignum vitæ afferens fructus duodecim per menses singulos, &c. & quia Christus cruci affixus crucis maledictum abstulit, subdit Ioannes, *Et omne maledictum non erit amplius.* Et Sapient. 14. *Benedictum lignum per quod fit iustitia* Lignum quoque est *scientia, boni, & mali:* Arca est Noe lignea, per quam genus humanum à culpæ naufragio ereptum est. In lignis Isaac, quæ super humeros detulit, crucis manifesta figura præcessit: in eodem enim monte Christus crucifixus est: Et Esaiæ concinit vaticinium: *factus est principatus super humerum eius:* Et capit. 53. *posuit super eum iniquitates omnium nostrum*, baculus est, quo Iacob transiuit aquas Iordanis, de quo in Psalm. 22. *Virga tua, & baculus tuus.* Hæc virga est Moysi, in qua signa fecit, quæ Magorum virgas deuorauit, quæ Pharaonem, & Ægyptios in mari Rubro subuertit, & quæ eduxit aquam de petra, iuxta virgam manibus Moysi in cœlum porrectis populus Israeliticus deuicit Amalech; signũ est, quod à Domino Moysi ostensum in aquas Marath immissum, amaritudinem abstulit, & in dulcedinem conuertit: lignum siquidem crucis aquas tribulationum dulcedine replet. Rupertus: *quam dulce sit lignum crucis, qui experiri meruerit, nouit, sub illius vmbra sedet sponsa: & fructum dulcem*

Genes. 2.
Apoc. 22.
Genes. 2.
Genes. 8.
Gen. 22.
Esai. 9.
Rupertus.

dulcem gutturi reperit. Sub hac vmbra dulcescunt labores, & tribulationes. Beatissimo Andreæ dulcissima fuit crux. Paulus in cruce gloriatur, & in tribulationibus: imò eximia dulcedine fructus degustata, tantum robur, & animi alacritatem ad vincendos labores resumpsit sponsa, vt iam non sese contineat, vt sedeat tantum sub vmbra, sed crucis dulcissimis fructibus plenè saturari cupiens dicat Cantic. 7. *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius*: crux vtique palma est victoriæ, qua Christus mundum vicit, & de hoste humani generis gloriose triumphauit, ideoque cum ad crucem properaret, cum palmis excipi voluit: ab illa omnes victoriæ nostræ procedunt; Et victrices illæ palmæ, quas sancti amicti stolis albis thronum agni comitantes manibus gestant.

Cant. 7. *Crux Christi palma est.* *Apoc. 70.*

Cyrill. *4. Reg. 6.* Tertull. & post illum Cyrillus dicunt, esse lignum, quod ab Elisæo in aquam missum ferrum ex aquis enatare fecit; sic crux sancta animo baratri nos subuexit ad astra. Lignum est, quod Aman ad suspendium Mardochei parauerat, in quo miser suspensus est. Esth. 7. sic in cruce Christi diabolus victus est, & *absorpta est mors in victoriam.* Lignum est, de quo Hier. 11. Scriptum est: *mittamus lignum in panem eius.* Area lignea testamenti, quæ legem Dei, manna, & virgam continebat, & populum Dei deducebat. Potissima tamen crucis figura fuit lignum, in quo Moses in deserto serpentē æneum exaltauit, vt percussi à serpentibus sanarentur: sicut hodierno euangelio dixit Christus: vt enim Ægyptii, quia per aquā voluerunt delere Hebræos in mari Rubro submersi sunt; ita detractores contra Moysen & Aaron, qui in occulto mordentes detrahebant, occultis morsibus serpentum puniti sunt, vt *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Ad aspectum tamen exaltati serpentis sanabantur, non quòd ex se haberet virtutem sanandi, sed quia typus erat Christi in cruce exaltandi: vt docet Augustinus tom. 3. de mirab. sacr. scripturæ. ille enim verus est serpens, quia serpens prudentiæ, & sapientiæ typus est, sicut per Matth. ait Christus: *Estote prudentes, sicut serpentes*, serpēs ille venenosus apparebat, nullum tamen venenum habebat, imò venenum ab

Num. 21. *Sap. 11. c.* *D. Augu.* *Matth. 10*

num ab aspicientibus depellebat, sicut & de redemptore ait Paulus ad Rom. 8. *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum:* quod S. Tho. explicat, de peccato, id est, per mortem suam, quæ dicitur peccatum, propter similitudinem peccati, quia moriendo apparuit peccator, quia mors introiuit per peccatum. Tum. 2. quia *cum sceleratis reputatus est.* Tum. 3. quia Christus crucifixus fuit hostia pro peccato, & sic *damnauit peccatum.* Aspicientes serpentem sanabantur: sic ait Paulus Hebræor. 11. *Aspicientes in authorem fidei*, &c. vnde Christus in Euangelio ait: *Sicut Moses exaltauit, &c.*

Rom. 8. *S. Thom.* *Rom. 5.* *Esa. 53.*

Serpens ille per multos annos circiter 800. in magna veneratione est habitus: vsque adeo, quod quia filii Israel adolebant ei incensum, Ezechias Rex cum magna pietatis laude contriuit, vt habetur 4 Reg. 18. & August. adnotauit 10. de ciu. c. 8. Crucem verò Domini absque idololatriæ periculo adoramus adoratione latriæ, vt docet S. Thom 3. part. quæst. 25. articul. 4. quia repræsentat nobis, vt imago ipsum Christum in cruce passum: crucem verò ipsam & lignum, in quo Saluator passus est, nõ tantum adoramus ratione imaginis, sed ratione contactus. Quare crucem Domini dulcissimis verbis alloquimur, vt B. Andreas Apostolus exemplo suo nos docuit, & in cruce spem reponit ecclesia dicens: *ô crux aue spes vnica.* Cõstantinus Imperator postquã in signo crucis sibi cœlitus ostenso contra Maxentium mirabilem, atq; gloriosam victoriam obtinuit, crucem summopere exaltauit, vt enim referunt Zona. Niceph. & Sozom. nummos omnes imperii præcepit cudi signo crucis: feriam sextam seruari, & milites omnes super arma cruce signari, & vexilla similiter. Iustinianus Cæsar in reg. ord. rib. 1. lit. 1 l. 4. sub capitis pœna prohibuit, ne quis crucẽ pingeret, vel sculperet, vbi pedibus calcari posset: idem præcepit Ferdinandus Hispaniæ Rex. Reges quoque Siciliæ, Hierosolymæ in stemmatibus crucem gestant. Et Transsiluanus princeps crucifixum.

Serpens æneus in veneratione habitus, & per Ezechiam contritus. *D. Augu.* *cruci debetur adoratio latria.* *S. Thom.* *Zona. to. 3.* *Niceph. li. 7. c. 40.* *Sozo. tripart. lib. 1. cap. 9.*

Explicuimus, diuinum fuisse consilium, vt Christus in ligno pateretur, idque multis figuris congruentissimum?

mum: operæpretiũ tamẽ erit inquirere, cur potius crucis figura à Domino electa sit, quàm alia. Ad quod supposita diuina voluntate, & ordinatione respondetur, quod fuit vtiq; operi redemptionis nostræ omniũ conuenientissima figura. Primo quia figura crucis quatuor orbis climata respiciens, totius mundi creatorem, gubernatorem, atq; vniuersalem redemptorem merito significat, si qua alia susceptura fuit: & sicut tota mundi machina naturalis super crucis figurã stabilita est; dissecatur enim terra punctis quatuor, à quibus ductæ lineæ crucem efficiunt: ab Oriente in Occidentem, & à Septentrione in Meridiem, sic spiritualis mũdi instauratio merito super crucem fieri debuit, vt in cruce pendens totius mundi se Dominum comprobaret, & illius possessionem apprehenderet, vt Athanas. cõsiderat lib. de incarnat. Verbi; vt iam nunc ostenderet magnũ populum sub alas suas esse venturum. *Volucres* (vt Hieron. adnotauit) *expansis alis in crucis figura volant; pisces suis pennulis crucem effingunt, atq; homo tandem extensis brachijs crucem format.* Imò & nauigia super cruce fabricantur, remis super aquam in crucis modum expansis æquora sulcant, velisq; appensis super antennam, quæ cum malo crucem efficit, *aerem scindũt,* vt in omnibus cœlestẽ crucis geometriam præ oculis habeamus, *vtq; possimus comprehendere cum omnibus Sanctis* (vt Pau ait) *quæ sit longitudo, & latitudo, sublimitas, & profundum.* Ansel. super illud ad Eph 3. profunditatem diuinorum arcanorum meditabatur. August. *non satiabatur cõsiderare altitudinem consilij diuini super salutem humani generis.* Angelicus D. opusc. 60. art. 23. magnitudinẽ, & latitudinem beneficiorum Dei meditabatur. Bernard. Ser. 2. de resur. in quatuor angulis crucis, quatuor gemmas pretiosissimas considerat, charitatis, obedientiæ, patientiæ, & humilitatis: corroboratur hæc consideratio ex doctrina Isidori, lib 15. etymol. c. 14. quod decumanus, qui habet figũram X, siue crucis, qui Orientem ab Occidente diuidit, æquiualet numero denario, quo decem præcepta significantur, quæ cruci conformia sunt: illa enim regula Christianæ vitæ; vt ad Gal 6. ait Paulus: *quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos,*

Crucis figura vniuersi Dominum ac redemptorem significat.

Athanas.

Hieron.

Ephes. 3.

Anselm.

S. Thom.

D. Bernar.

Isidorus.

Ad Gal. 6.

rkos, &c. Iapones quoque ad fidem conuersi, cùm primùm viderunt crucem, vocauerunt iumogi, id est, decem, qui numerus apud illos scribitur per X, sicut apud Hispanos; crux enim perfectio est vitæ Christianæ.

Angelicus D. 3 p. q. 46. art. 4. & August. alteram conuenientiam assignant, scilicet ad exemplum virtutis, vt fideles nullú genus mortis expauescant, sed omnia supplicia æquè contemnant: Nullum enim mortis genus olim erat execrabilius, aut formidabilius, atque crucis patibulum: sic enim scriptum erat, *maledictus homo à Deo, qui pendet in ligno*. At *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*: vt Paulus docet, eamdem enim maledictionem suxit, & in benedictionem commutauit, sicut ex vipera fit antidotum theriacinum, & sicut apis ex amaris floribus mel educit: Sampson ex comedente leone cibum dulcissimum extraxit, sic Christus Dominus ex morte, & cruce vitam, & benedictionem nobis inuenit: Nam sicut Dauid Goliat suo gladio iugulauit, & Iudith Holophernem, ita Christus Dominus diabolum in sua cruce peremit, atque contriuit. Leo Papa serm. 10. de Pasch Domini: *Fefellit illum malignitas sua, intulit supplicium filio Dei, quòd cunctis filijs hominum in remedium verteretur, atque exemplo suo omnem timorem, horrorem, infamiam, et ubescentiam persecutionum, & crucis depulit: Vt crucis humilitas nulli sit aspernenda diuitam* (vt eleganter Leo Papa serm. 2. de resur.) *nulli sit erubescenda nobilium, neque enim tantum prouehi potest fœlicitatis humanæ fastigium, vt æstimet sibi pudendum, quod manens Deus in forma hominis, non est arbitratus indignum.* Id quod Petrus Apostolus nos docuit, dicens: *Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Quòd si vestigia sequamur, bonum habemus ducem, qui absque inuidia vult, vt vbi ipse est, & nos simus, neque deficiet nobis ductus spiritus ipsius boni, qui *deducet nos in terram rectam*, aspirando flatibus gratiæ, vt consequamur portum gloriæ.

S. Thom.
D. August.
Deut. 21.
Ad Gal 3.
Iud. 14.
1. Pet. 2.

✠

IN

IN EADEM SOLENNITATE,

CONCIO SECVNDA.

THEMA.

Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Ioan.3.

CVm hisce verbis explicuisset Saluator Nicodemo necessitatem mortis suæ per crucem: huius necessitatis radicem docuit, & finem statim subiungens, *sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Ephes.3. Huius rei gratia Paulus Apost. flectit *genua ad patrem Domini nostri Iesu Christi, vt det nobis virtutē, vt possimus comprehendere cum omnibus sanctis, immensam charitatem Dei Patris, & supereminentem scientiæ charitatem Christi Iesu:* vt igitur vel paruam stillam sermonum eius dignè explicemus, & audiamus, flectamus & nos genua ad virginem sacram, vt per ipsam auxilium gratiæ consequamur, dicentes, Aue Maria.

Euangelicus Propheta redemptionis nostræ mysteria procul intuens cap.25. diuinam exaltat clementiam

Esaiæ 25. dicens: *Domine Deus meus es tu, & exaltabo te, & confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen.* Et statim subdit duas, vel tres fideles Dei nostri cogitationes, & insignia beneficia exhibita populo Christiano: videlicet beneficium regalis conuiuii, cùm in cœnaculo Montis Sion sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum instituit: hoc enim est *conuiuium pinguium, medullatorum, & vindemia defæcata,* quod in illo monte *fecit Dominus cunctis populis.* In

eodem

eodem quoque Monte Sion fecit Dominus cōuiuium pinguium & defæcatissimū, cùm *de Sion exiuit lex, & Verbum Domini de Hierusalem*, cùm per aduentum Spiritus sancti conuiuiū pinguissimū; & omni fæce errorum, & veteris legis vmbris purgatum, præparatū est, quo fideles animæ reficiantur. Alterum beneficiū fuit crucis sanctissimę, cui affixus Dominus in mōte Caluariæ destruxit peccatum, destruxit & mortem, *illam deglutiens, & absorbens*, 1. Petr. 3. Sed quod elegāti verborum tropo explicuit Propheta dicens: *Præcipitabit Dominus in monte hoc, faciem vinculi colligati*, id est, peccatū destruet, quo peccatores, quasi vinculis colligantur, vel consummabit vinculū legis Mosaicæ. *Præcipitabit mortem in sempiternum.* Quod verbum præcipitationis doctissimus Foreirus, & linguæ Hebraicæ peritissimus ait explicare quandam præcipitantiam, & cōsumptionem, præsertim in cibis, quæ fit absorptionibus & deuorationibus: id quod Paulus Apost. 1. ad Corinth. 15. dixit: *Absorpta est mors*, & quod Propheta dixit *in perpetuum*, Paulus vertit *in victoriam*, id est, in finem, & perfectionem, atq; cōsummationem operis, gloriosumq; triumphum: statimq; subdit, atque explicat crucis mysterium: *Ecce Deus noster iste, expectauimus eum, & saluabit nos. Quia requiescet manus Domini in monte isto:* quo tropo significatur apud Hebræos gratia, fauor, vel auxiliū Domini: cæterū modus quoq; quo diuina gratia cōmunicanda erat Christiano populo explicatur, nempe per affixionem manuū Domini in cruce: sicut statim subdit Propheta: *Extendet manus suas, sicut extendit natans ad natandū, & humiliabit gloriā eius*, scilicet, Moab, id est, mundi, & illius principis diaboli, *cum allisione manuū eius*; quod verbū Foreirus iuxta proprietatē vocis Hebraicæ transfert, *cum perforationibus manuū eius*. Ecce sacer Propheta prædixit per crucis mysteriū destruendi peccatū, absorbendam mortē, & reddendam nobis vitā; sicut Christus Dominus hodierno Euangelio ait: *sicut Moyses exaltauit*, &c. *Vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Foreirus. 1. Cor. 15.

De Christi quoque Domini morte, & resurrectione prædixit Ose. c. 6. *Viuificabit nos post duos dies, in die tertia* Ose. 6.

suscitabit nos. Ex eo enim loco Patres omnes Christum Dominum tertia die resurrexisse confirmant, Hieron. Augustin. Dorothæ. Gregor. Nissen. Anselm. Cyprian. Bernar. Gregor. tamen hom. 20, in Ezech. & Cyrill. lib. 2 in Ioan. cap. 26. docent ex eo loco non tantum Christi Domini resurrectionem probari, sed nostram; Christi enim resurrectio est causa efficiens, & exemplaris resurrectionis & vitæ nostræ, iuxta illud Pauli, *qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ,* quod eleganter docet S. Thom 3. part. q. 56. artic. 1. Propterea tribuimus passioni Christi destructionem peccati, & resurrectioni resurrectionem nostram, iuxta illud Pauli: *hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati.* Et ad Ephes. 2. *Cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia estis saluati, & conresuscitabit, &c.* Quo loco S. Thom. Anselm. & Primas. docent; viuificare dici propter iustificationem, resuscitare autem propter resurrectionem corporum. Et S. Thom. citat hæc verba Oseæ, *Die tertia suscitabit nos,* quia die tertia cum CHRISTO resurgente suscitati sumus, vt Paulus de præterito dixit, *conresuscitauit,* propter certitudinem fidei, & spei nostræ. Et quanquam resurgens à mortuis cõmunicauit ecclesiæ vitam suam: per crucem tamen cœpit illam communicare: crux enim & mors Christi fuit radix vitæ nostræ; vt Christus in Euangelio nos docet, in verbis Thematis: atque hanc vitam cœpit communicare ecclesiæ, cùm moriens in cruce *inclinato capite tradidit spiritum,* vt viuamus per ipsum: quia *spiritus oris nostri Christus Dominus.* Nulla figura inter omnes geometricas susceptioni spirituum vitæ aptior, quàm figura crucis, secundum Astrologos, tam Arabes, quàm Ægyptios: inter omnes characteres summam potestatem dicunt tenere crucem, & spiritus suscipere Planetarum, ita vt crucis figura omnibus rebus intimè existens, quasi vitæ naturalis sit principium, sic & vitam supernaturalem per crucem nobis communicari oportuit; sicut Christus dixit, *vt omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam:* est enim signum, quod *ab omni*

D. Hieron. D. August. D. Greg. Cyrill. Philip. 3. S. Thom. Rom. 6. Ephes. 2. S. Thom. Anselm. Primas. Thren. 4. *Crucis figura susceptioni spiritus & vita aptissima.*

omni malo, & à morte liberat, & vitam præstat.

Quare cùm Genes.4. dicitur, quod *posuit Dominus signum in Cain, ne quis eum occideret*; quanquam aliqui ex Hebræis, & nostris dicunt fuisse tremorem totius corporis, & maximè capitis: & fauet translatio 70. Interpretum, nam pro eo, quod nos legimus; *Ero vagus & profugus*, illorum translatio habet: *Ero gemens, & tremens.* Non tamen desunt, qui dicant signum illud, fuisse crucis illi impressæ. Et similiter sanguine agni signatos fuisse postes, & superliminaris filiorum Israel signò crucis sanguine facto, sicut cùm *vir indutus lineis signauit Thau frontes virorum gementium*, Ezech.9. & Apocalyp.7. satis congruè intelligitur locus de signo exteriori crucis imprimendo per Angelum in frontibus seruorum Dei. Hieronymus super Ezech.9. notat, quòd inter literas Hebræorum, & Samaritanorum Thau est vltima T. Et idem Hieronym. tom.3.epistol.ad Fab. de veste sacerdot dixit laminam auream in fronte sacerdotis figuram esse crucis Græci quoque simili charactere vtuntur, sicut in dialogo Luciani habetur, quod, vt satisfieret querelæ vocalium contra literam Thau, damnatur Thau, vt ponatur in cruce, iuxta figuram suam; litera, T. antiquis erat nota absolutionis, & cùm quis à delicto absoluebatur, ea litera suffragia absolutionis signabantur. Quare secundum Isidorum libro etymol. cap.3. & Gabr. super canon. cap.10. litera, Thau, figura sua, & effectu mysterium crucis indicat. Ideo ab hac litera incipit cànon missæ: Te igitur, &c. vt ipsa litera crucem: & passionem Christi oculis repræsentet, & Saluator ipse Ioannis 12. explicans virtutem crucis, dixit, *Ego si exaltatus fuero, &c. omnia traham*, quasi crucem efficiens instrumentum, & veluti hamum tractionis. Et notauit Chrysostomus tomo 2. homil. 14 in cap.3. Marci, quod arca Noe, per quam ab vniuersali diluuio mundus ereptus est, habebat trecentos cubitos altitudinis: vbi initiũ numeri crucis mysteriũ signabat. Idem quoq; adnotarunt Amb li.1. de Abrahã, c.3. & Beda ex Isid. de victoria Abrahæ in trecẽtis vernaculis. Illud etiã non est prætereundũ, quod fructus ille

Genes.4.

Ezech.9.

Thau figura crucis.

Apoc.7.

Hieron.

Thau nota absolutionis apud antiquos.

Isidorus.

Gabriel.

Bonauent.

in canon. miss.

Chrysost.

D. Ambr.

super omnes dulcissimus, qui nascitur Baruthi, portu Mediterraneo iuxta terram promissionis, quem producit arbor vulgo dicta, ficus paradisi, fructus verò vocatur Musa, qui inter alia mirabilia illud habet singulare, quod fructus introcisos diuisus in singulis particulis apparet T, in modum crucis: & à multis creditur arbor vetita paradisi fuisse ficus, teste Niceph lib. 1. cap. 27. vbi videtur clementissimus Dominus intra venenū ipsum lethiferum abscondisse antidotum crucis: & intra mortem vita, sicut in hymno canit ecclesia. *Quando pomi noxialis*, &c. *ipse lignum tunc notauit, damna ligni Vt solueret.*

Fructus fici paradisi intus crucem continere dicitur.

Alia ligna rigantur aqua, vt viuant, & fructificent, at lignum crucis aquam sanat melius, quàm lignum Mosi, imò vim viuificatiuam aquæ communicat. Et quanquam multis nationibus crux fuit exosa; apud Ægyptios tamen inter alia Hieroglyphica per crucis figuram significabant vitam futuram: atque ea figurâ pectus Serapidis summi Dei apud ipsos (secundum Augustin. lib. 8. de ciuit. cap. 5. exornabant: Græci quoque ab Ægyptiis idem videntur accepisse; nam in multis templis, & abditis sacellis idoli Serapidis similes figuræ crucis inuentæ sunt. In quo videtur impletum illud Iob. *Qui comprehendit sapientes in astutia sua:* ne postea videntes crucem, possent stultitiam iudicare, aut odio habere crucem, quam per tot secula honotificauerunt. Apud Mexicanos quoque Indos in regione Acuzamil inuentum est idolum in crucis figura formatum. Nicephor. refert Cosdroam Persarum Regem gratitudinis gratia misisse ad Imperatorē Mauritium, Turcas quosdam cruce in frontibus signatos, quod Cæsar admirās, & rogans Turcas, quomodo crucem infideles in fronte deferrent, respōdisse feruntur, quòd peste multis retrò seculis grassante, cùm nullum naturale remedium inuenirent, quorundam hominum consilio cruce in frontibus signari cœperunt, & ex tunc cessauit plaga, atque adeo crux illis erat signum, & vnicum remedium vitæ, & salutis: Iapones quoque Indi Orientales venerabātur crucem, & in domibus, & agris hoc signum salutis contra insidias diaboli exaltabant. Tandem antiqui

Crux apud Ægyptios Vita futura signum. August.

Iob. 5.

Niceph.

tiqui signum crucis pollice super indicem faciebant, vt veniam, & clementiam deprecarentur. Cæterùm hi omnes Gentiles, idolatræ, & sine lumine fidei crucem ignotã venerabantur, quibus dicere possumus id, quod Paulus Athenienfibus, qui inter cæteras superstitiones habebant aram dicatam *ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc vobis annunciamus*, scilicet mysteriũ crucis: quod docet, & veneratur fides Catholica, quod Patri æterno ostendimus, dicentes: *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui*: & videns illum pro nobis crucifixum, misereatur nostri, & benedicat nobis; crux enim arcus est cœli; signum fœderis diuinæ clementiæ, & pacis nostræ. *Act. 17.* *Psal. 83.*

Hoc est signũ vitæ, quod nobis vitam cõfert: quanquam enim diaboli, & ipsius ministri contra Christum cruce vsi sunt, vt instrumento mortis; *fefellit tamen ipsum malitia sua* (vt ait Leo Papa) *intulit supplciũ cum filio Dei, quod cunctis filijs hominum in remedium verteretur*: Et impletum est illud Ezechiæ 17. *Ego Dominus exaltaui lignum humile, & frondere feci lignum aridum.* Illius siccitas in virorem versa est, vt merito dicat sponsa: *manus illius tornatiles*, &c. Hoc est signum viuificũ, quod melius, quàm Thau signatos à gladio protegit, à morte, & ab omni periculo liberat, & vitam nobis præstat, Antidotum efficacissimum, quod contra omne venenum, & contra omne mortis periculum præsentissimũ præstat remedium, multò efficacius quàm theriacum, & quæcunque alia, tam naturalia, quàm arte inuenta remedia, vt plurimis Sanctorum exemplis cõprobatum est: vnde canit ecclesia: *hoc contra signum nullum stet periculum.* Et quid mirum; nam si myrrha, & balsamum corpora seruant incorrupta, si tactu ossium Elisæi reuixit homo: & aspectu serpentis ænei sanabantur à serpentibus vulnerati: si prophetante Ezechiele super ossa arida venit spiritus à quatuor ventis, & insufflauit, & viuificauit ossa; quanto potius per sanguinem, & crucem Christi ab omni periculo, & morte liberabimur, & per resurrectionem ipsius viuificabimur & nos? Iuxta illud Pauli: *qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora nostra propter in-* *Leo Papa.* *Cant. 5.* *4. Reg. 13.* *Num. 21.* *Ezech. 37.* *Rom. 8.*

1. Cor. 4. Coloss. 3. *habitantem spiritum eius in vobis.* & 2. Corinth. 4. *Qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit:* & ad Coloss. cap. 3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: cùm autem Christus apparuerit, vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Sanguis siquidem Christi potentissimum, atque efficacissimum antidotum est, & cœleste medicamentum, quod mortem pellit, & vitam confert: crux Christi præsentaneum est remedium, morbosq; pellit, corporis, & animæ: verum lignum vitæ est, quod multo certius, atq; perfectius, quàm illud antiquum vitam præstat. Merito illi concinit ecclesia; *Salue crux sancta, salue mundi gloria, signum salutis, salus in periculis, vitale lignum, vitam ferens omnium.* Id quod eleganter explicuit Petrus Apostolus dicens: *deglutiens mortem, vt vita æterna hæredes efficeremur, &c.* vbi verbum *deglutiens*, denotat integram, & exactam mortis consummationem: quod enim deglutimus, & deuoramus, integrum in ventrem traiicimus. Explicatur quoque verbo *deglutiens* gustus, quo Christus Dominus mortem, veluti cibum dulcissimum ex charitate, & dilectione hominum deuorauit: id quod ad Ephes. 5. dixit Apostolus: *Christus dilexit ecclesiam, &c.* Et Patris æterni dilectionem filius explicuit dicens Ioannis 3. *sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Et D. Gregorius eleganter exaggerat: *ô inæstimabilis dilectio charitatis, vt seruum redimeres, filium tradidisti.* Merito igitur lignum crucis veneramur, cuius esus vincenti promittitur. Et quod multiplicem fructum vitæ affert.

Christus mortē deglutiuit. 1. Pet 3.

Gregor.

Hoc est signum præcipuum Christianæ gentis, *hoc est signum filij hominis*, quod *apparebit in cœlo, cùm Dominus ad iudicandum venerit.* Tunc implebitur illud Esaiæ 11. *Leuabit signum in nationibus, & congregabit profugos Israel:* Et cap. 18. *omnes habitatores orbis, qui moramini in terra, cùm leuatum fuerit signum, in montibus videbitis, & clangorem tubæ audietis.* Origen. Quod sicut moriente Domino tenebræ factæ sunt deficiente sole, sic in iudicio apparente cruce, præ splendore illius deficient lumina, vt videant, quem compunxerunt, vt habetur Ioan. 19. & Zachar. c. 12. Apparebit autem ipsamet

Esai. 11. Esai. 18. Orig.

crux

crux, in qua Christus passus est, secundum sententiam Chrysostomi, tom. 3. hom. de cruce, & latrone: illam enim congregabunt angeli, & deferent: & de splendore crucis intelligit coruscationem fulgoris ab Oriente in Occidentem, Matth 24. Sicut gladius Goliat seruatus est in tabernaculo, sic seruatur sanctissima Crux. Causam assignat Chrysostomus: primo, in signum maiestatis Regiæ, & potestatis iudicialis, & Pontificalis, sicut ante Imperatores vexillum; & ante Pōtifices, & Inquisitores crux: secundo ad gloriam Christi, & iustorum: tertio ad confusionem impiorum, qui clementissimo signo abutentes non sunt conuersi, neque illius virtutem cognouerunt, atque glorificauerunt. Hoc signo petit sponsus, vt signemus corda, & opera, Cantic. 8. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum*: est enim signum amoris, atque adeo forte signum contra omnes hostes, quia *fortis est, vt mors dilectio*: imò morte fortior, siquidem de morte triumphauit: crux signum est amoris, triumphi, & vitæ, hoc signo optat, vt intus, & extra signemur: vt eum in vltimo, & tremendo die apparuerit Rex ille Magnus Assuerus in Maiestate sua, & protendat sceptrum, & virgam auream in signum clementiæ. Idemque *princeps pastorum* dignoscat oues suas sacro signo crucis in fronte, in corde, & brachio insignitas: illud enim est verum signum vitæ, quo signamur Spiritu promissionis sancto, qui confert vitam gratiæ, & in futuro promittit vocationem ad dexteram, ad benedictionem, & vitam æternam gloriæ.

Crux, in qua Christus passus est apparebit in iudicio.

Chrysost.

1. Reg. 21.

Cant. 8.

Esther. 8.

Ephes. 1.



IN FESTO B. CATHARINÆ VIRginis, Senensis Ordinis Prædicatorum,

CONCIO VNICA.

THEMA.

Breuis est in volatilibus apis: & initium dulcoris habet fructus illius. Ecclesiast. 11.

HODIERNO die gloriosæ virginis Catharinæ sanctitatis celsitudinem, egregias virtutes, eximiaque priuilegia, quæ dum ipsa vixit, humili solicitudine abscondere curauit, magna celebritate in lucem prodit, recolitq; prædicatoria familia. Nam si *memoria iusti cum laudibus*, Prouerb, 10. & Ecclesiast 44. merito laudantur *viri gloriosi in generatione sua*: & cap. 49 de Iosia dicitur, *memo-* *losia, in compositione odoris facta opus pigmentarij, que ¡ pastilla, ni petete, cuyo olor transcienda tanto, como semoria de los sanctos*, & subditur, *in omni ore quasi mel dulcabitur eius memoria, & vt musica in conuiuio vini*: meritò eximiæ virginis Catharinæ memoria cum laudibus recolitur, cuius virginitatis odor supra omne opus pigmentarii replet ecclesiam: & præclara illius gesta velut suauis musica, & cœleste melos aures demulcent: oraque dicentium mellis dulcedine replét. Quare assumpta verba congruentissimè ipsi adaptantur, & in officio diuino illi tribuuntur: atque adeo de ipsius virginitatis, charitatis eximiæ: misericordiæ, patientiæ, aliarumque virtutum, & singularium priuilegiorum, prodigiosæque vitæ laudibus dicturus prædicta verba consulto elegi. Inter cætera verò virtutum insignia sanctissimæ virgini Dei genitrici ab infantia fuit deuotis-

deuotissima, ipsique adhuc sub teneris annis virginitatem vouit: & sicut spirituali lacte, deuotione salutationis angelicæ sic nutriebatur, vt quinquennis per singulos gradus paternæ domus flexo geniculo almam virginem salutaret. De ipsius igitur encomiis dicturi sanctissimam virginem flexis genibus salutemus dicentes, Aue Maria.

Iesus filius Syrach lib. Ecclesiast. id est, collectoris (quem tempore Ptolomæi Euergetis collegit ex libris relictis à maioribus apud Ægyptum, *) qui secundum legem Domini proponunt vitam agere.* Continet verò lib. 51. cap. Principio igitur in fide instruit, & cognitione diuinæ sapientiæ. Secundo timorem Domini docet: Tertio humilitatem. Quarto charitatem, & dilectionem. Quinto inducit exempla laudans viros gloriosos à cap. 44. vsque in finem. Eas vero omnes virtutes fidei, timoris, humilitatis, & charitatis sub vna similitudine apis complectitur, dum illius breuitatem, fructusque dulcedinem prædicat. Volatus enim apis fidei symbolum est; lapillus, quem cruribus gestat, ne à vẽto deiiciatur, timoris typus est, breuitas corporis humilitatis est symbolum; mel vero, quod nobis mellificat, & communicat, charitatem præsignat. Easdemque quatuor insignes virtutes in similitudine grani sinapis Christus Dominus in euangelio complexus est. Fidem in paruitate, & efficacia grani sinapis: quia doctrina euangelica humilis est, sed efficax, sicut explicant D. Ambr. ser. 5. & D. Aug. serm. 11. de sanctis in illud verbum Christi, *si habueritis fidem, sicut granum sinapis.* Timor significatur in soliditate, & stabilitate grani: humilitas, quia minimum est; charitas, quia calidum, efficax & vtile.

Apis plurimarũ virtutũ symbolum gerit.

D. Ambro.
D. August.

Primo igitur spiritus Sanctus per authorem illius libri in fide nos confirmat capit. 1. docens originem & æternitatem diuinæ sapientiæ. *Omnis sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante æuum.* Secundo disponit ad diuinam sapientiam per timorem Domini: quia *initium sapientiæ timor Domini* Psal. 110. Et Ecclesiast. 1. *timor Domini delectabit cor: plenitudo sapientiæ timere Deum:* & cap. 2. *Filij accedens ad ser-*

uitutem Dei sta in iustitia, & in timore. Tertio ex timore oritur humilitas: hanc docet c. 2. *deprime cor tuum, & sustine: & in humilitate tua patientiam habe.* Et cap. 3 *quanto magnus es humilia te in omnibus.* Nobiles enim superbi, & insolentes ab omnibus odio habentur: *superbis enim Deus resistit, humilibus autem dat gratiam* Iacob. 4. Vnde Ecclesiast. 3. subditur: *sedes ducum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis. Radices gentium superbarum arefecit Deus.* id est, diuitias, & potentiam, *& plantauit humiles ex ipsis gentibus.* Sicut exemplis constat. Nam initio conditi orbis superbi Gigantes linguarum confusione puniti per orbem dispersi sunt. Superbus Pharao in mari Rubro cum exercitu submersus est, Goliath per pastorem humilem Dauid in terra prostratus est. Assyriorum superbia per manum Iudith (proprio gladio interfecto Holopherne) deiecta est. Superbi Saulis sedem humilis Dauid obtinuit. Nabuchodonosor propter superbiã cũ feris abiectus: Rex Balthasar iugulatus Dani. 5. ipsiusque Regnum Dario Medo delatum est. Vnde subditur, *multi tyranni sederũt in Throno, & insuspicabilis portauit Diadema; quienmenos se pensolleuo la corona. Multi potentes oppressi sunt valide; & gloriosi traditi sunt in manum alterorum.*

Deus superbis resistit, & humilibus dat gratiam.

Tandem quanquam initium dilectionis, & charitatis timori Domini tribuit c. 25. dum dicit, *timor Domini initium dilectionis eius:* fide autem initium agglutinandum est ei: humilitatis vero encomia potissimum prosequitur c. 11. dicens: *ne laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo:* sicut 1. Reg. 16. dixit Dominus ad Samuelem de Dauide: *ne respicias vultum eius nec altitudinem staturæ eius. Homo enim videt ea, quæ patent; Dominus autem intuetur cor.* In propositæ igitur conclusionis confirmationem, humilitatisq; laudem simile inducit de breuitate apis: *breuis est in volatilibus apis,* & cæt. Paruum quidem habet corpus sed fructum dulcissimum. Ecclesiast. 1. *Vnus est altissimus creator omnium, omnipotens, & Rex potens, & metuendus nimis. Ipse creauit sapientiam in spiritu Sancto, & effudit illam super omnia opera sua.* Neque minus splendet in paruis animalibus, quam in magnis. Sicut enim docet

Vgo

Vgo de Sancto Vict. multis rationibus, & modis res sunt admirabiles: quædam quia magnę, aliæ quia paruæ. Miramur Gigant, Elephantos, Leones, & Equos, atque Rhinocerota, quia magna, sed non minus miramur culices, muscas, vermes, formicam, & apes: tam in naturali compositione, quam in ipsorum operatione D. Hiero. in epitaphio Nepotia. *non solum admiramur creatorem in fabrica cæli, & terra, maris & Oceani, ceti, Elephanti, Leonis, Cameli, & Equi: sed & in compositione minorum animalium.* Et D. August. magis miratur compositionem formicæ, quam Elephanti. Imo Arist. lib. 1. de part. anim. quod nullum animal est adeo paruum, & vile, in quo non splendeat aliquid diuinum, & admiratione dignum Bombycæ vermis, qui magno artificio sericum conficit: quo aulicorũ vanitati principum maiestati, atque templorum, diuinique cultus ornatui satis facit, inter opera naturæ mirabilis est.

Vgo de S. Vict. *Diuina sapientia nõ minus splẽdet in paruis animalibus, quã in magnis.* *D. August.* *Aristot.*

Quid vero de apibus dicemus, quæ cum adeo paruę sint, ceram conficiunt, quæ pro mensis principum, & diuini cultus altaribus luminis alimentum subministrant: suauissimumq; mellis liquorum intra fauos includũt ad ciborum dulcedinem, atq; medicamentorũ compositionem: deliciisque & saluti hominum opportune prouident? Quis vero explicet, qua arte tam debilibus instrumentis pedum fragilium, fragiliorisq; aculei ex eadem materia florum, ceram & mel compingãt: vel ceram ex succo arborũ, salicis, vlmi, & aliarũ arborũ: mel vero ex florib⁹ thymi rosę, violę, lilij, & fabę, miro artificio, metamorphosi, mirabilisq; trãsformatione ex floribus in adeo suauem liquorem efficiunt vt nullũ humanum ingenium apis artificiũ imitari valeat? Quis tã mirabile apis opificiũ, opusq; naturę, & intelligẽtię non admiretur? Nos igitur, qui fructũ gustamus, creatorẽ laudemus: apisq; breuitatẽ, & vtilitatẽ meditemur.

Mirum artificium apũ in compositione fauorum.

D. Bern. ser 2. in aduentu Domini per apem dicit significari Christum Dominum, quia secundum humanitatem breuis fuit, & paruus: *paruulus enim natus est nobis* Esai. 9. *& exinaniuit semetipsum* Philip. 2. Impletũq; est oraculũ Esai. 10. *consummatio abbreuiata inundabit iustitiam:* quia *Verbũ abbreuiatum* impleuit omnem iustitiam.

D. Bernar. Apis typus est Christi. *Esai. 10.*

iustitiam. Apis est ad flores aduolans: & cum ipse sit flos inter flores delectatur. Quare sponsa, vt sodalium interrogationi, quò adierit dilectus suus, satisfaciat, respondet: *dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum: vt pascatur in hortis, & lilia colligat.* Ea ratione videtur elegisse Nazaret (quæ flos interpretatur) vt ad suaueolentem florem virginalis vteri de cœlo descenderet, & aduolaret: ibique humana carne indueretur. Apis est, quæ mel habet misericordiæ: ideò

Esai. 7. iuxta Esai. vaticinium. cap 7. *Butyrum, & mel comedit.* Habet quoque aculeum iustitiæ: sed Rex apum (teste

D. Ambro. Ambros.) non exerit aculeum, nisi lacessitus. Nunc Christus non exerit aculeum, quin imò mel misericordiæ omnibus profert, qui *non vult mortem peccatoris; imò vult omnes homines saluos fieri* 2. ad Timo. 2.

Quod si quæras de fructu huius apis, *initium habet, primasque totius dulcedinis*: Psal. 33. *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* Psal. 118. *quam dulcia faucibus meis eloquia tua: dulciora super mel, & fauum:* & sponsa Cant. 2. *sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo*: Antiqua ecclesia sub vmbra arboris crucis Christi per fidem sedebat: & adhuc dulcedinem fructus Eucharistiæ, dum comedit

Sapien. 16. manna sub vmbra degustauit iuxta illud Sap. 16. *paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem* &c & Psal. 67. *parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* Apes ex rore cœlesti, & floribus fauū compingunt; Christus Dominus ex rore spiritus Sancti, & flore virginali conceptus est: fauusque est ceram habens humanæ naturæ, & mel diuinæ; sicut docet D. Greg. 15. mor. cap. 9 & ho. 24. Deinde in nocte cœnæ prolatis verbis super panem, & vinum transubstantiauit in verum corpus suum, & sanguinem: veluti apis quasi per naturæ miraculum flores, & rorem cœli transmutat in fauum, ceram, & mel continentem. Vnde Cāt. 5. de hoc diuino sacramento intelliguntur verba sponsi, *comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* Vere fauus dicitur, quia intellectū illuminat, & voluntatem dulcedine replet, nutrit & confortat.

Christus velut apis ex rore spiritus Sancti, floreq; virginali fauum incarnationis comedit.

D. Gregor.

Cant. 5.

Mirabilem

Mirabilem hanc dulcedinem fructus Christi, cœlestis apis suauissimique faui Eucharistiæ virgo Catharina Senensis apis experta est, quę tanto ieiunio, & abstinentia corpus macerauit, vt omnis cibus præter Eucharistiam adeo esset illi molestus, vt nullo pacto retinere posset: & aliquando à die cinerum vsque ad pentecostem nullum alium cibum præter Eucharistiam sumpserit. Cumque propter corporis imbecillitatem aliquando non posset ad altare accedere, feruentissimoque desiderio teneretur diuini sacramenti suscipienti, per manus summi sacerdotis Christi particulam hostiæ delatam suscepit: cumque Raimundus confessarius ipsius sacram communionem perfecisset, deque particula hostiæ sibi sublata totus esset conturbatus, à sacra virgine Catharina sub sigillo confessionis cognouit: quod posit ipsius obitum ad Dei gloriam reuelauit.

Catharina Virgo per manum Christi eucharistiam suscepit.

Non solum autem Christus Dominus apis dicitur: sed & iustis omnibus, qui ex virtutum floribus, roreq; diuini spiritus fauos conficiunt, qui intellectum illuminant, & voluntatem dulcedine replent, nomen apis meritò tribuitur: potissimum vero sacris virginibus id nomen congruit, quæ velut argumentosæ apes cœlestes fauos intra cordis cellulas conficiunt: & his maxime conuenit, quæ religionis obedientiam profitentur. Apes enim multa habent mirabilia, & qua si naturæ miracula meditatione dignissima, quæ Aristomachus: & plerique alii grauissimi philosophi per plures annos huic meditationi attente studentes diligenter obseruarunt, & conscripserunt: quæ religiosi status imaginem videntur præseferre. Primum enim sub obedientia vnius Regis viuunt: illum comitantur, sequuntur, iuuant, eleuant: noctu bombi quodam sonitu signum fit ad silentium, & matutino tempore, vt surgant ad laborandum. D. Amb. duo in illis maxime adnotauit, scilicet obedientiam, quam Regi præstant: & vniformitatem in labore, & quiete: atque in sequela communitatis. Omnes muneribus sibi distributis, siue afferendi aquam, siue rorem, siue flores, incumbunt Nullum otium patiuntur, adeo quod desides apes (quæ

Aristom.

Apes religionis imaginem præferunt.

D. Ambr.

vulgo

vulgo vocantur Zanganos) quæ laborem non sequuntur, & mel comedunt, occidunt; Ad hæc castitatem seruant: gignuntur enim absque semine, vel coitu. Cum ex alueario proficiscuntur, vt tutius eleuentur in aera, neque ventorum flatibus iactentur, & præcipitentur, lapillos pedibus deferunt: *como vel lastre assegura el nauia.* Quo, religionem profitentur, conuersationemque in cœlis habent per sublimem orationem, & meditationem, edocentur *timore Domini confirmare cor.* Hoc est illud Ecclesiast. 2. *fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & in timore.* Vnde Paulus ad Hebræ. capit. 13. *optimum est gratia stabilire cor*: nempe fide, spe, timore Domini, charitate, & humilitate. His enim auxiliis stabilitum cor inter tribulationes, persecutiones, & lachrymas, dulcissimos fauos orationis, & meditationis construit, iuxta illud Psalm. 30. *quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* Faui sunt ineffabilis dulcedinis, velut thesauri pretiosi intra cor abscondendi: id quod vel apes ipsę nos docent, quæ mel non conficiunt in primis cellulis, sed in interioribus iuxta illud Psalm. 44. *omnis gloria eius ab intus.*

Ecclesia. 2.

Hæc omnia gloriosæ Cathatinæ virgini aptissimè conueniunt: quæ ab infantia in sponsam Christi electa septennis votum virginitatis emisit, quod postea sub obedientia tertiæ regulæ B. Dominici professa est: cuius status perfectionem sic obseruauit, vt patrem suum Dominicum imitata cilicio, & cathena ferrea corpus macerauerit, assiduisque flagellis verberauerit, super nudam tabulam per breue tempus somnum capiebat, nempe per duas horas: cibus illius parcissimus: ad summum panis, & aqua, vel herbarum succus. Per octo fere annos potissimus cibus illius fuit herbarum succus, & sanctissima eucharistia. Quare velut apis argumentosa dulcissimos suos fauos ex rore diuini spiritus, & floribus charitatis, humilitatis, & timoris Domini conficiebat. Fuit enim humillima, nil de se confidens: imo se miserrimam peccatricem agnoscens: in persecutionibus patiens; in ora-

Mirabilis fuit austeritas & pœnitentia Catharinæ.

in orationibus assidua: in charitate & misericordia in ægros, afflictos eximia, & mirabilis. Vnde magnis priuilegiis sapientiæ, & prophetiæ à Christo Domino decorata est: ipsiusque colloquio, & suauissimo aspectu sæpe fruebatur. Illudque non est silentio prætereundum, quod ipsi principi gloriæ Christo non solum per votum castitatis spiritualiter desponsata fuit: sed visibiliter per manum sanctissimæ virginis astantibus dignis testibus, videlicet Ioanne Euangelisto, Paulo, & beato Dominico: Dauideque cum cithara dulcissime concinente: & Christus Dominus tãquam cœlestis sponsus digito Catharinæ annulum inseruit: veste cœlesti induit, pretiosaque monilia illi largitus est: nimium stigmata sua manibus, ac pedibus impressa: inter quæ excellentissimum monile cordis sui cum corde Catharinæ dulcissime commutauit: vt vero illi dixerit: *Vulnerasti cor meum soror mea, sponsa* Catharina: *Vulnerasti cor meum*: siue (vt alia lectio habet) *excordasti me*. Ioann. Euangelistæ concessit super pectus, & cor recumbere: Catharinæ vero dedit ipsum cor: vt vere dicat, *dilectus meus mihi, & ego illi*. Tandem ipse Christus sponsus duas coronas illi obtulit, vnam spineam, alteram auream; vt eligeret, quæ magis placeret. Illa vero prudens spineam elegit, quæ præsenti vitæ magis congruit cum gratia: & in beatitudine percepit auream coronam gloriæ.

Catharina Christo Domino visibiliter desponsata fuit.



IN

IN FESTO DOMINICÆ CORONÆ,

CONCIO VNICA.

THEMA.

Exiuit Iesus portans spineam coronam, & purpureum vestimentum. Ioann. 19.



VLTIMA verba sunt hodierni euangelii: quibus præsentis festiuitatis explicatur origo: quæ in capite Christi Domini dolore, afflictioneque plenum habuit principium, in nobis vero fœlicissimum habuit finem, conuersus enim est planctus in gaudium nobis: coronaque spinea doloris & ludibrii, in coronam decoris & gloriæ. Cum Dominus apparuit Mosi in flamma ignis, in medioque rubi ardentis, & in combusti, huius mysterii typum, & imaginem ostendere voluit Exod. 3. Ad cognitionem tamen mirabilis visionis propius accedere non permisit, nisi calceamenta pedum prius solueret: vt & nos erudiamur: si tãti mysterii magnitudinem fidei intuitu consequi volumus, proprii sensus salutis calceamentis naturalis rationis, affectusque terreni, diuini spiritus flammam, ardentemq; lucem, quę rubum, spineamque coronam circundat, de cœlo petamus. Sacratissima virgo doloris, & gaudii, tristitiæ, & solatii: opprobrii. & gloriæ dilectissimi filii pars magna fuit, iuxta illud Psal. 93 *secũdum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Vt igitur sacræ coronæ mysterii spiritum assequamur, ipsiusq; fructum percipere mereamur, almam virginem salutemus dicentes, Aue Maria.

Exod. 3.

Merito quidem sacrosancta mater ecclesia festum coronæ

coronæ Dominicæ magna veneratione celebrandum instituit. Nam si sanctorum reliquias, quæ ipsos tetigerunt, æqua ratione veneramur: vt mucronem, quo Paulus decollatus est: gladium, quo Barrholomęus excoriatus: lapides, quibus Stephanus lapidatus: quanto potius spineam coronam Domini Iesu adorabimus, quę non solùm instrumentum fuit Dominicæ passionis: per quā nostra redemptio peracta est: sed Dominici corporis caput coronauit, atq; nostræ salutis, & coronæ initium fuit? Quare ratione huius diuini contactus adoratio latriæ coronę debetur, sicut & cruci. Cæterùm quamuis crux benedicta duplici ratione veneranda sit, in qua Dominus pependit: nempe ratione contactus, & ratione imaginis; corona tamen hoc nomine crucem, clauos, & reliqua omnia Dominicæ passionis instrumenta excedit, quo præcipuum, & supremum Christi membrum tetigit, scilicet caput: in quo speciali quadam ratione residebat diuina maiestas: ibiq; erant *reconditi omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.* D. Bern. *o fælix corona, quæ guttis sanguineis Christi splendida magis es, quam imperiales coronæ gemmis rubeis splendere solent. Tu caput Christi aperis, & morbos nostros pellis: tu Christo mortem inducis, & nobis vitam; aculeis sacrū Christi caput frāgis, sed magis regis tartarei vires frangis, regniq; cælestis seras pandis: & tandem deperditas coronas hominibus restituis.* Huius coronæ gloriam multis miraculis semper Deus illustrauit. Nam Rhodi spina Dominicæ coronæ diu seruata singulis annis in die Parasceues videntē populo florere solebat. Pluribusq; aliisin locis, vbi sacrę spinę seruantur plurimis infirmis ipsarum suffragio sanitas collata est. Hæc est spina illa, de qua Baruc. 6. dicitur, *in horto spina alba, supra quam omnis auis sedet.* Sedeamus igitur & nos pennas fidei, & charitatis assumentes, vt sacrę coronę mysterium meditemur, veneremur, ipsiusq; fructum iugiter percipiamus.

Corona maiori veneratione digna ex contactu capitis Domini.

D. Bernar.

Multis miraculis corona Domini illustrata est.

Euangelium hodiernum pars est Dominicæ passionis; in qua sacer Euangelista Ioannes enarrat, quod postquam Christus Dominus à Pilato voluntati Iudęorum traditus, flagellatus est, multisq; ludibriis & opprobriis afflictus, milites Tartarei videntes, quod Christus non

stus non negabat se regem esse, per ludibriũ, & cõtemptum regalia insignia illi applicuerunt. Quare plectentes coronã de spinis posuerũt super caput eius: propriaq; veste illũ exuentes veste purpurea circũdederũt eum: irridentesq; salutabant, *Aue rex Iudæorum: & dabant ei alapas* Pilatus vero, vt furorem Iudæorum miserando spectaculo temperaret, protestatus, quod nullũ inueniret in eo causam iussit adduci illum foras. *Tunc exiuit Iesus portans spineam coronam, & purpureum vestimentũ.*

O nouum spectaculum, à seculo nũquam auditum, nec visum. Fuit vtiq; maximus dolor super omnes dolores spineæ coronę transfixio: tũ quia præcipua, & delicatissima pars corporis caput est: tum quia spinarum aculeos peccatorum nostrorum acies acuebat iuxta illud Esa. 53. *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Elias fecit ignem de cœlo descendetẽ super duos principes quinquagenarios 4. Rex 1. Eliseus vrsos misit in pueros ipsi illudentes, qui illos occiderũt 4. Reg. 2. Apostoli contra Samaritanos dixerunt Domino *Vis vt ignis descendat de cœlo?* Luc. 9. & tu Domine hęc omnia ludibria, & dolores patienter sustines, & siles. O miram patientiam, O ineffabilem tolerantiam, & modestiam, verè non in commotione, neq; in igne Dominus: sed in sibilo auræ tenuis. 3. Reg. 19. sicut adnotauit Tertul. Impleturq; illud Esa. 42. *ecce seruus meus, suscipiã eum: calamũ quassatum non conteret, & lignum fumigans nõ extinguet.* Voluit vtiq; Dominus Iesus nõ tantũ animas nostras sanctificare per suum sanguinẽ: sed sensus omnes nostros, & membra mortificare, atq; purificare: ideoq; voluit in omnibus sensibus dolores, & tormẽta pati in tactu per flagella, & clauos: in gustu felle, & aceto potatus: in olfactu dũ in loco fœtido cadauerũ Crucifixus est in loco Caluarię, siuè Golgata: in auditu per voces blasphemia, & contumelia plenas: in visu, dum vidit dilectissimam matrem, & discipulum flentes. Similiter in omnibus membris corporis passus est iuxta illud Esai. 1. *à planta pedis vsq; ad verticem capitis, non est in eo sanitas.* Voluit ergo in omnibus membris pati Dominus Iesus, vt & nos mortificemus membra nostra, sicut hortatur Apostolus ad Colos. 3.

Mira Christi Domini patientia.
Esai. 42.

Maximus

Maximus vero fuit dolor, quem Christus passus est, dum sacrũ caput spinis coronę trãsfixũ fuit. Is sane fructus fuit maledictę terrę Gene. 3. *maledicta terra in opere tuo spinas, & tribulos germinabit tibi.* Cõtra primum hominẽ Adamũ terrenum, plata fuit sententia: Cæterũ in secũdo Adamo cœlesti impleta est. Tertullianus lib. de corona militis quęrit: *Christus Iesus quare, (oro te) sertũ subijt ex spinis & tribulis? Opinor in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis, abstulit autem virtus crucis omnes aculeos mortis in Domini tolerantia obtundens.* Tertull.

Si tamen quæras, qua ratione de doloribus Christi sponsi exultet ecclesia, atq; instrumentis afflictionis, & mortis ipsius festos dies consecret, & potissimũ cruci & coronę: multiplex quidem se se offert ratio. Primaq; ea est: quia tũc fuit dies verę lętitię cordis ipsius: sicut dicitur Cant. 3. tunc enim impletum est æternum illud desiderium salutis nostræ: de quo Luc. 12. *baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, vsque dum perficiatur:* & cap. 22. *desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum.* Hoc desiderium satis comprobauit, dum in itinere, quo ad crucem pergebat in Hierusalem, *ipse præcedebat eos, & discipuli stupebant,* sicut adnotauit Marcus cap. 10. & dum in die palmarum cum ramis, & lætitiæ canticis a turbis excipi voluit. Idemq; desiderium manifeste confirmauit, dum transfiguratus in mõte Thabor plenus maiestate, & gloria, cũ Mose, & Elia colloquium habuit de hoc excessu, quem cõpleturus erat in Hierusalẽ Lu. 9. Quasi nihil illi ad cõplementũ suę glorię esset iocundius, quã de excessu amoris sui colloqui. Quanquam enim secũdum portionem inferiorem patiebatur: secũdum superiorẽ vero exultabat, quia videbat patris voluntatem impleri: genus humanũ redimi: cœlũ aperiri: sedes vacuas instaurari: infernũq; spoliari. *Dies crucis & mortis Christi dies fuit lætitiæ cordis ipsius.*

Secundo exultat ecclesia, quia corona sacerdotalis regiæque dignitatis, totiusque perfectionis symbolum est. Qua ratione ecclesiastici, religiosi, & reges coronæ insignia deferunt. Et quia Christus Dominus Rex est, & sacerdos, corona illi imposita vtrumq; significabat: sic enim Apoc. 19. Vidit Ioannes cœlum apertum, & filium hominis equo albo insidentem, & *in capite ipsius dia-*

demata multa: nempe ratione Diuinæ, & humanæ naturæ: & quia ipse distribuit diademata sanctorum omnium. Et cap. 6. Apocal. vidit, quod *data est illi corona, & exiuit vincens, vt vinceret.* Corona ergo capitis Christi regni ipsius symbolum est, sicut Angelus Luc. 1. prædixit virgini: *dabit ei Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in Domo Iacob in æternum: & regni eius nō erit finis.* Atq; in testimonium firmitatis, & perpetuitatis regni spinea corona caput ipsius transfixit. Sicut enim eleganter dixit D. Athanasius, *quanquam tartarei ministri per contumeliam ista faciebant: tamen ignorabant, quod etiam nolentes spoliabantur ab eo.* Ex veneno enim, & contumelia, medelam, & gloriam eduxit. sicut concinit ecclesia: *hoc opus nostræ salutis ordo depoposcerat, multiformis proditoris ars vt artem falleret, & medullam ferret inde, hostis vnde læserat.* Sic diuina sapientia *cum prehendit sapientes in astutia sua* Iob. 5. omniaq; instrumenta contumeliæ, & opprobrii conuertit in honorem & gloriam Christi: salutemque & exaltationem humani generis: atq; irrisoriis, & ludicris insignis sceptri, purpuræ, & coronæ æterni regni veritatem, firmitatemq; stabiliuit. Et quanquam spinę caput pungebant: efficacius tamen, quàm apis ex amaris floribus dulcem fauum conficit, & quam Sampson ex ore leonis fauum eduxit; Christus Dominus Dei virtus, fortitudo, & sapientia spinarum duritiem, & aculeorum acumen in dulcedinem, gloriam suam, & nostram conuertit: vt merito sponsa *manus illius tornatiles* dicat Cant. 5. quia non minus efficaciter, quam suauiter quęcumque vult transmutat. Impletum est in transmutatione hac oraculum Esai. cap. 55. *pro saliuncula ascendet abies, & pro vrica crescet myrtus.* Rectè Dauid ait: *notas facite in populis adinuentiones eius*: mirabilesque metamorphoses, & transmutationes: ecce spinea corona ignominiose pungens, versa est in coronam dulcedinis, decoris, & glorię, & in diadema floridum.

Corona capitis Christi regni ipsius symbolum est.

D. Athan.

Cantic. 5.

Esai. 55.

Ecce iam videmus impletam veritatem visionis, qua volens Abraham immolare filium Genes. 22. *vidit arietem cornibus hærentem vepribus: quem immolauit Domino: vocauitq; nomen loci, Dominus videt. Et sic dicitur vsq;*

Genes. 22.

hodie

hodie, in monte Dominus videbit: El Sennor lo vera por su casa: sic enim in Dei filio pro nobis vepribus coronato, & tanquam agno florido immolato, impletum est. Ibi videmus florem campi, & *lilium conuallium inter spinas*, Vnde D. Bernar. cum corona spinea Dominum consi- derans in illud Canti. 1. *ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus; Lectulus noster floridus*, sic ait: *quam pulcher es Domine Iesu in Angelis tuis, in forma Dei: sed quam mihi decorus es Domine in ipsa positione corona decoris. Etenim vbi te exinanisti, ibi pietas magis enituit, ibi charitas plus effulsit. Cedit quippe fastus, vbi inualescit affectus*. D. August. eadem desideratione pulcherrimum Dominum meditatur. Impletur enim Esaię desiderium cap. 53. *desiderauimus eum despectum, & nouissimum virorum: virum dolorum, & scientem infirmitatem*. Per dolores enim, & infirmitates humano generi salutem contulit; & regni sui stabilitatem confirmauit. Id quod significatum est, dum Ioann. ait, *exiuit Iesus portans spineam coronam*: dumq; Apoc. 19. dixit: *in capite eius diademata multa*. Solent enim imperatores triplici corona inaugurari, & coronari; argentea, ferrea, & aurea: sic Christo Domino, vt vniuersali monarchæ cœli, terræ, & infernorum triplex corona data est iuxta verbum Pauli ad Philipp. 2. *propter quod, & Deus exaltauit illum; vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium terrestrium, & infernorum*. Argenteam coronam accepit à sacra Virgine matre, vt princeps esset terræ; à Synagoga ferream, duram, & sanguinolentam, nempè spineam contra principes tenebrarum, & infernorum. Impletumq; est Esai. Vaticinium cap. 27. *in die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti super Leuiathan serpentem vectem, id est, firmatum in malitia: & super Leuiathan serpentem tortuosum* propter calliditatem, & astutiam. Et subditur; *quis dabit me spinam, & veprem*, id est, spinea corona durum, & crudelem contra Dæmones. Tandem tanquam cœlorum imperator coronam auream accepit ab æterno patre, sicut vidit Ioan. Apoc. 14. *vidi & ecce nubem candidam: & super nubem sedentem similem hominis, habentem capite suo coronam auream*. Triplex hæc Christi corona significata est

D. Bernar.

D. August.

Triplicia corona imperatores inaugurari solent.

Esai. 27.

Exod. 25. & 30. Exodi 25. & 30. vbi Dominus præcepit arcam, mensam & altare coronis circumdari. Dominus enim Iesus in mundo fuit arca secretorum Dei: in passione altare sacrificii, in cœlo mensa est, super quam disposuit, vt edant, & bibant electi, sicut ipse dixit Luc. 22. *ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.*

Per coronã consummatus fructus passionis Christi significatur. Tertia iam ratio præsentis solennitatis sit, quia per coronam consummatus fructus passionis Christi significatur. Circularis enim figura perfectionis symbolum est: sicut magna excelsaq; ædificia coronatione in supremo culmine perfici solent. Imminente iam redẽptionis humanę perfectione per crucem dixit Christus Ioan. 17. *pater opus consummaui, quod dedisti mihi vt facerem.* Et in cruce pendens dixit, *consummatum est.* Ibi enim omnium patriarcharum, & Prophetarũ oracula, legis figurę, diuinaq; promissa impleta sunt, & consummata iuxta illud Psal. 118. *omnis consummationis vidi finem*: & Esai. 10. *consummatio abbreuiata inundabit iustitiam: consummationem enim, & abbreuiationem Dominus Deus exercituũ faciet in medio omnis terrę.* In hac *Esai.* 10. corona impletum est vaticinium Esai. cap. 5. vbi conquestus Dominus de vinea sua ait: *et expectaui, vt faceret vuas: & fecit labruscas.* Vbi septuaginta interpretes legunt, *fecit spinas*, quod de spinea corona Domini interpretantur Procopius, Tertullianus lib. aduersus Iudæos, Cyprianus in expositione symboli. Ambrosi⁹ lib. 9. in Lucam, Cyrillus in Ioannem. Basilius, & Theodoretus: pro vuis protulit Domino spineam coronam. De eadem prædixit Esai. cap. 28. *væ coronæ superbiæ*, secundum expositionem Cyrilli, qui sic explicat: *væ vobis Iudæis superbis, qui superbe caput Dominicum corona transfixistis.* Per hanc ergo Saluatoris coronam totius operis redemptionis humanæ pefectio, & consummatio significata est. Ille enim omnia peccata nostra, & solicitudinis spinas in se suscipiens obtudit, & confregit: coronæ aculeis mortis, & inferni, morsus fuit, & stimulus. Quanquam enim ministri diabolico spiritu agitati rudes erant, neque coronæ virtutem intelligebant: Spiritus sanctus tamen per illorum manus redemptionis o-

Procopius. Cyprianus Ambrosius Cyrillus. Basilius. Esai. 28. Cyrillus.

nis opus dirigebat, atque consummabat. Et sicut ad Mosem dictum est Exod. 25. *omnia fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est:* sic redemptionis nostræ opus in Christo Domino perficiebatur secundum exemplar diuini pectoris, altissimique *consilij æternis temporibus taciti.* In monte Sina huius coronæ exemplar traditum est Moysi Exod. 3. cum vidit Dominum in igne spinis rubi coronatum: & cum Exod. 25. habuit præceptum, vt arcam testamenti, mensam, & altare labio aureo, siue circulo ambiret, quasi coronis. Merito igitur coronam dominicam cum exultatione celebrat ecclesia: & propter consummatum redemptionis nostræ opus exultat. Cui concinit oraculum illud Prophetæ Regis Psal. 64. *benedices coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur vbertate.* Ex hac enim corona Domini omnes campi ecclesiæ benedictione & vbertate repleti sunt. *Exod. 25.* *Psal. 64.*

Quarto tandem corona victoriç, atq; triumphi symbolum est: solent enim victores laurea, & corona exornari. Corona pugnantis Christi galea fuit, & triumphātis laurea. Et quanquam spinis coronatus nunquam tamē pulchrior, nec gloriosior dux, quam cum corona spinea: quę velut floridum diadema caput Christi ornauit: tunc impletum est illud, *quoniam Nazaræus vocabitur* Matth. 2 id est, floridus. Solent victores insignibus, atq; vexillis hostium à se deuictorū trophæos celebrare ad maiorem gloriam, & ostentationem virtutis suæ. Sic Dauid 1. Paral. 20. *tulit coronam Melchon de capite eius. Et inuenit in ea auri pondo talentum, & pretiosissimas gemmas: fecitq; sibi diadema.* Christus igitur Domin' cū Diabolo huius mundi principe, & cum ipso mūdo pugnauit: quorum arma peccata sunt: honores, diuitiæ, & seculi solicitudines, quæ velut spinæ pungunt cor, & lacerant: dum ergo spinea corona Christi caput circūdat, diuictorum hostium insignia gerit. Vt enim ait D. Remig. & D. Aug. tract. 19. in Ioannem, *spinea corona nostrorum est peccatorum susceptio.* Quare caper ille emissarius, super quem toti' populi peccatis, atq; delictis impositis, & super cui' caput imprecatione facta, in desertū emittebatur Leu. 16. Christi Domini typ' fuit: super *Corona victoriæ symbolum est.* *D. Remig.* *D. August.* *Leuit. 16.*

quem *posuit Dominus iniquitates omnium nostrum* Esai. 53. ipse est Agnus innocens, *qui tulit peccata mundi*: spinarumq; aculeis transfixus, tanquam victoriæ symbolum secum deferens triumphum egit. Id quod significatur, cum dicitur, *exiuit Iesus portans spineam coronam.*

Apocal. 6. Hunc gloriosum Christi triumphum vidit Ioann. Apoc. 6. *ecce equus albus, & qui sedebat super illum, habebat arcum; & data est ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret.* Vbi per equum album sacra Christi humanitas, & innocentia significatur. Arcus crucis typus est, quia pacis symbolum: Sicut Gene. 8. dixit Dominus ad Noe. Inuictissimo ergo principi cœli; & terræ datur corona, quam ea litera exornat vincens, vincat sicut Hispanè dicitur, vencedor nunca vencido. Et sicut in verbis propositis dicitur, *exiuit portans spineam coronam*; consonat visio Ioannis, qua vidit, *exiuit, vincens, vt vinceret.* Ille enim, qui exiuit à patre, & venit in mundum, & qui per amoris excessum exiuit à se ipso, vt nos ad se reduceret: & qui exinaniuit semetipsum, vt nos impleat: ipse est, qui *exiuit portans spineam coronam*, vt nos in cœlis coronet.

Cantic. 3. Ad aspectum tanti mysterii, gloriosique principis nostri cum corona spinea exeuntis merito sponsa filias Sion inuitat Cantic. 3. *egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua.* Circa quorum verborum explicationem maxime laborarunt Hebræi Talmudistæ, & Rabini inquirentes quo diademate coronauerit Salomonem Regem Betsabee mater ipsius. Nihil enim tale reperiebant in historiis Salomonis; neque sensum mysticum intellexerunt. Est enim sermo de corona spinea, qua Synagoga impia mater, & infidelis Christum verum Salomonem coronauit: ipse enim Rex est pacificus iuxta significationem nominis. *Ille enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum ad* Ephes. 2. & qui locutus est *pacem gentibus*, Zachar. 9. Illum nouerca Synagoga spinea corona per ludibrium, & opprobrium coronauit; ipse vero quasi potens debellator gloriosum triumphum agens exiuit, *exeamus igitur & nos ad eum extra castra* (sicut Paulus ait ad Hebræ. 13) *improperium eius portantes.*

Non

Non enim coronabitur, nisi qui legitimè certauerit Omnis enim, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & ille quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam, 1. ad Corinth. 9.

Impii quidem dicunt Sapient 2 *Coronemus nos Rosis, nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra.* Mundus, & mundani ex floribus honorũ, diuitiarum, & deliciarum coronas texuerũt: quæ in æternas spinas ignis, doloris, & planctus conuertuntur. Christus verò spinis, & contumeliis pro nobis coronari voluit. Eisdemque sepire vult vias nostras, iuxta illud Oseæ 2. *sepiam vias tuas spinis*, id est, meditatione spineę coronæ, de his dicitur Ecclesiaſ. 28. *sepi aures tuas spinis*: Et Esai. cap. 22. *coronabit te tribulationibus.* Hoc est portare improperium Christi à peccatis, mundique, & carnis deliciis exire: & spinis Christi caput, membraque omnia, sensus, & mentis cogitatus configere. Sic confixus Diuus Bernardus ait: *pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum* Exeamus ergo per altam meditationem sacri huius mysterii, atque per imitationem Christi, patientiam laborum, & spinarum portantes. Ab hac enim corona sanctorum omnium coronæ decorem, & splendorem habent. Et sicut Iacobus Apostolus ait cap. 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*: in præsenti per gratiam, & in futuro per gloriam, ad quam nos perducat per suam spineam coronam Iesus Christus Dominus noster, Amen.

Osea 2. *Eccles. 28.* *D. Bernar.*

IN NATIVITATE SANCTI Ioannis Baptistæ,

CONCIO PRIMA.

THEMA.

Quis putas puer iste erit? Luc. I.

GLORIOSAM Ioannis Baptistæ natiuitatem, sacrique nominis impositionem octauo circuncisionis ipsius die tot tantaque prodigia comitantur, vt ea cernentes vicini, atque cognati parentum; qui venerant ad congratulandum de tanti filii insperata natiuitate, stupore pleni admirantes intra se dicerent, *quis putas puer iste erit?* difficilis vtrique quæstio, quæ petit futuram dignitatem, & excellentiam pueri Ioannis, in quam in virilem ætatem crescens sit euasurus: cui satisfacere nulla humana lingua sine magno Dei auxilio inuenietur idonea. *Manus enim Domini erat cum illo*, quæ illum in dexteræ suæ ostensionem eximium puerum condidit. In diuina verò sapientia, quæ illius est *artifex, spiritus est intelligentia sanctus, subtilis, disertus, omnia prospiciens*, Sapient. 7. & cap. 8. *scit præterita, & de futuris æstimat, signa, & monstra scit, antequam fiant: & euentus temporum, & seculorum.* Paulus quoque 1. ad Corinth. 2. ait, *spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei*, id est, quantumcunque latentia arcana Dei. Virgo sanctissima pars magna fuit excellentiæ Ioannis, fuit siquidem organum gratiæ Spiritus sancti in ipsum transfusæ: huius nos stillicidium per eandem virginem supplices imploremus, vt propositæ quæstioni satisfacere valeamus, dicentes, Aue Maria.

Sanctorum quidem omnium vita, & exempla, quibus ecclesiam ædificarunt, gestorum memoriam, dignasque laudes ab ecclesia merito sibi vendicant: magis

magis tamen expedit ad illorum exemplar mores componere, deque reformatione morum agere, quàm illorum encomiis omne tempus dicare. At verò in gloriosi Ioannis natiuitate, quæ cœlum, & terram gaudio repleuit, Sanctorum omnium mos semper fuit illius singulares prærogatiuas, rara priuilegia, eximiasque laudes celebrare. Zacharias pater, quia incredulus diuino nuncio de pueri præstantia, *perdidit prompta modulos loquela:* sic enim dixit illi Angelus: *Pro eo, quod non credidisti verbis meis, eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem, quo hæc fient.* Statim verò vt credidit, *postulatoque pugillari scripsit: Ioannes est nomen eius*: Spiritu sancto repletus in lætissimum canticum linguæ vsu sibi restituto prorumpit, quod non tantum Dei optimi clementiam, benignissimamque visitationem exaltat: sed filii Ioannis laudes concinit, dicens: *tu puer Propheta altissimi vocaberis*, &c. Eaque fuit prima concio de sacri pueri Ioannis natiuitate Prius tamen quàm nasceretur, Archangelus *Gabriel stans à dextris altaris incensi* mira de puero prædixit; *in natiuitate eius multi gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino. Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ, & multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum. Et ipse procedet in spiritu, & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam.* Ioannes quoq; Euangelista statim vt diuini Verbi naturam, potentiam, æternamq; generationem explicuit, ad Ioannis Baptistę tanquã verbo propinquioris laudes descendit, dicens: *Fuit homo missus à Deo*, quasi diceret, homo Angelus Dei, id enim est missus à Deo, quod Angelus. Dixit verò esse hominem quasi mundi errori occurrens, quo existimarunt Ioannem esse Christum: eademque ratione subiunxit, *non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat enim lucerna tam ardens*, tantoque splendore lucens, sicut Christus Dominus dixit, Ioannis 5. vt solem ipsum iustitiæ Christum testimonii sui luce manifestauerit Imo & Saluator ipse delectari videbatur, cùm sibi dicendi de Ioanne dabatur occasio: vt patet ex eo loco Ioannis 5.

Ioãnis Baptistæ laudes prosequi sanctorũ mos est.

Maximè

Maxime verò Matth. 11. vbi post laudatã ipsius in prædicatione veritatis constantiam, vitæ austeritatem, spiritus plusquam prophetici excellentiam, angelum per Malachiam prædictum pronunciauit. Tandemque cum iuramento subiunxit: *Amen dico vobis, inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Hinc sancti omnes mirabili cõsensu Ioannis encomia quasi certatim extollunt. August. in serm. natal. *Præcellit cæteros, eminet vniuersis Quisquis de muliere natus est, inferior est illo* Ioannes Damascenus post Christum, & Mariam tertium locum venerationis tribuit Ioanni. Nulla ergo lingua à laudibus Ioannis (vt Ambrosius ait) cessare debet: quia laudes Ioannis in Christi, Euangelii, fidei laudem, robur, atque firmitatem cedunt: ex illius laude fides, cui testimonium perhibuit, ædificatur. *Ille enim venit in testimonium, vt omnes crederent per illum.*

Augusti.

Damasc.

De Ioannis ergo natiuitate gratulabundi vicini, & cognati videntes tot mirabilia in vno infante peracta; vident enim natũ ex nobilibus quidem parentibus, sed sanctitate nobilioribus: *erãt enim ambo iusti ante Deum incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini, sine querela.* Mater Elisabeth erat sterilis, amboque senes, & processerant in diebus suis. Sic natus filius potius visus est filius spiritus, quàm carnis: filius gratiæ, ac miraculi, potiusquam naturæ: meritoque nomen Ioannis illi de cœlo datum est, in cuius impositione parentes eodem spiritu diuino afflati, mater ore, pater calamo mirabiliter consenserunt. Vident simul patri cœlitus linguæ vsum scripturæ nominis restitutum, Spirituque sancto repletum exultabundum in Dei, & filii laudes erumpere. Communem omnium lætitiam considerant vniuersaleque gaudium. Tot mirabilia mente voluentes quasi in ecstasim rapti, merito intra cor cogitantes mutuò se aspicientes, oculos in cœlum leuantes dicunt: *quis putas puer iste erit?*

Ioannes filius spiritus & gratiæ potius, quàm naturæ, & carnis.

Plura quidem mirabilia nouimus ex historiis tam sacris; quàm prophanis in multorum infantũ natalitiis contigisse: legimus Zoroastem illum idololatriæ magiæque inuentorem statim natum risisse; risit tamen demen-

Prodigia in pueris sæpe visa: sed omnibus maiora.

dementiam, stultitiamque suam, qui post tot mala in bello occisus infeliciter petiit: partus Iacob, qui fratrem Esau supplantauit, Genes. 26. partus quoq; Phares, & Zatan de Thamar, Genes 38. fuere celebres. Infantia Beatorum Ambrosii, Nicolai, Beatissimi Dominici, atque Angelici Doctoris Thomæ prodigia visa sunt: Ambrosium enim examen apum incunabulis signauit: Nicolaus à lacte nutricis feriis quarta, & sexta abstinebat: Beatus Dominicus visione catuli accensam ore faculam deferentis, atque signo splendidissimæ in fronte stellæ præsignatus est. Thomas verò & ante ortum prænunciatus, & adhuc infantulus chartulam angelicum Aue continentem deglutiuit. Mira quidem sunt hæc, multo tamen mirabiliora sunt, quæ in sacto Ioannis ortu videmus: quare merito qui ea videtût, admirantes dicunt: *quis putas puer, &c.* Quid si cognouissent arcana mysteria, quæ ante infantis natiuitatem diuina manus operatâ fuerat? Quomodo per Gabrielem Archangelum à dextris altaris incêsi patri Zachariæ esset prænunciatus futurus *magnus coram Domino?* quomodo deinde in mense sexto in vtero matris Elisabet existens à Deifera virgine, imò à Deo ipso sit visitatus, perque vocem Virginis sanctificatus, neque id solum sicut Hieremias, sed maiori spiritus plenitudine, qualis Verbi præcursorem decebat, quomodo rationis vsu accelerato iuxta sententiam August. tom 2 Epistol. ad Dardan. Anselmi, atque S. Thom. 3 part. q. 27. artic. 6. ad verbi præsentiam Spiritu sancto repletus, exultauerit in vtero, in maiorem vtique admirationem rapti dixissent: *Quis putas puer iste erit?*

Rationis vsus in Ioanne acceleratus. August. S. Thom.

Interrogatio hæc ex admiratione proficiscitur: *Mirati sunt vniuersi*, ait Lucas Euangelista. Admiratio verò ex visione mirabilis alicuius effectus, & ignorantia causæ procedit, vt docet Ioannes Damascenus. Hinc est quod Deus mirari nullo modo potest, quia nil nouum diuinæ cognitioni euenire potest: nouit rerum omnium causas in se ipso, antequam fiant. Angeli verò mirantur arcana mysteria, quorum principia latent in diuino pectore: sic cum viderint Christum Dominum ascendentem in cœlum videntes corpus supra sy-

Admiratio ex ignorantia causæ procedit.

derai

dera: supra cœlum cœlorum, imo supra spiritus omnes cœlestes, tanto cum splendore, & maiestate eleuatum, rei nouitatem admirantes inquirunt, *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* Rationi ergo consentaneum est, vt mirentur homines tam noua, & inaudita in terris cernentes, neque causam efficientem, neque finem intelligentes, vnde dicunt, *quis putas, &c.*

S. Thom. Angelicus noster doctor S. Thom part 1. quæst. 32. artic. 8. & ad 2. inquirit, an admiratio sit causa delectationis? Cui quæstioni respondet, quòd sic, admiratio namque includit desiderium cognoscendi aliquam causam ignotam: desiderium verò cum spe consequendi id, quod desideratur, causa est delectationis. Hinc est, quòd admiratio, in quantum habet adiunctum desiderium cum spe cognoscendi principium occultum alicuius nouitatis delectationem parit. Quare omnia mirabilia sunt delectabilia. Et quæ mirabiliora sunt, magis sunt delectabilia, quia quanto magis crescit desiderium cum spe consequendi, tanto magis crescit delectatio. Delectatur enim animus in inquisitione principiorum, & in collatione vnius ad alterū, quia est connaturalis actus rationis, vt docet Aristot. in sua Poetica cap. 2. Conuenientissimè igitur natiuitatem Ioannis gaudio, & exultatione plenam admiratione celebramus, quæ gaudium, ac delectationem inducit. Admirantes igitur inquirunt, quis puer futurus sit?

Omnia mirabilia sūt delectabilia.

Aristot.

Pater Zacharias ex Archangeli Gabrielis nuncio sciebat magnum futurum coram Domino: nondum tamen id prodiderat; neque Angelus magnitudinis modum, vel mensuram explicuerat: quare inter vicinos, & cognatos varii rumores spargi cœperunt, an forte futurus esset Messias? Alii cū antiquis patribus conferebant. Num erit sicut Noe? neque dissimilis ab illo est: Noe siquidem Ianus bifrons dictus, quia duo secula vidit, ante diluuium vnum, alterum post: sic Ioannes seculum legis veteris, nouumque seculum Euangelii vidit. Noe per aquam diluuii mundum eripuit, Ioannes per aquam baptismi veram salutem in orbem inuehere cœpit. Num erit sicut Abraham? Ille siquidem fuit pater

Antiquis patribus confertur Ioannes.

pater fidei, Ioannes venit, vt *omnes crederent per illum*. Nam ficut Isaac, qui risus interpretatur? Isaac filius fuit risus, & gaudii, *risit enim Abraham centenarius in corde suo audiens sibi filium nasciturum*. Genes 17. Risit & mater Sara nonagenaria: Isaac vtique risusque nomen, typum gessere nostri Ioannis, cuius singularis natiuitas mundum risu,& gaudio repleuit. Num erit sicut Iacob, qui scalam mirabilem vidit cœlum contingentem? Ioannes verò vidit cœlos apertos, Matth. 3. An sicut Moyses, qui per desertum duxit populum Dei, legemque antiquam promulgauit? Ioannes *teneris sub annis ad antra deserti*; pœnitentiæque amplexus mirabilis eremita nos ducit: docet finem legis esse Christum, nouæque legis præcursor extitit. Num erit sicut Elias legis zelator? de illo vtique prædixit Angelus: *ipse procedet in spiritu, & virtute Eliæ*. Num erit Propheta. Christus respondet, *etiam dico vobis, & plusquam Propheta*, omnis; tandem antiquorum patrum excellentia cum queri Ioannis floribus, & spe futuræ dignitatis collata inferior apparet. Illius namque opinio sic apud omnes inualuit, vt Luc. 3. dicatur: *existimante autem populo; & cunctis cogitantibus in corde suo, an ipse esset Christus.*

Genes. 17.

Ioanes excellit antiquos patres.

In principum natiuitate solent Astrologi ex aspectu solis, atque astrorum varia iudicia coniicere: sitne futurus armorum an pacis amator, auarus, an liberalis: fœlix ne an infœlix diuturnæ vitæ, an breuis. Quòd si diligenter inquiramus solis aspectum in ortu Ioannis, & in quo signo tunc erat: videbimus vtique, quod in signo virginis tunc erat Sol. Signum est fœlicissimum, vbertatis præsagium fortitudinis, & virtutis: habet enim influentiam super cor, prædominatur Veneri, atq; ipsi Ioui; ô fœlicissimũ puerum Ioannem, qui in signo omniũ fœlicissimo ortus est, cùm sol diuinus erat in optimo Cœli signo, in vtero virginis inclusus: sic enim canit ecclesia: *fœlix namq; es sacra virgo Maria, quia ex te ortus est sol iustitia Christus Deus noster*. Hoc est signum regi Ezechiæ datum, quod sol retrocessurus esset decem lineis, quia in virginis vtero exinaniuit semetipsum à nouẽ angelorũ lineis paulominus minoratus,

Ioannis fœlicissimus ortus, cùm Sol in virgine.

vt Pau-

vt Paul. dixit ad Hebr. 2 ex Psalm. 8 in decima linea hu-
manæ naturæ consistens. Christus quoque sol est, qui
stetit tempore Iosue obediente Deo voci hominis: cùm virgo
sanctissima dixit: *Ecce ancilla Domini*, ad vocem virgi-
nis sol diuinus in natura humana stetit. Signum virgi-
nis fœlicissimum est, vbertatisque præsagium: ea ra-
Cantic. 7. tione cum spica in manu depingi solet. Venter virginis
Ioan. 12. *aceruus tritici* ab sponso dicitur. Ipsa enim est, quæ gra-
num illud frumenti nobis protulit, quod mortuum at-
tulit fructum vbertimum. Deinde signum virginis ex
constellatione viginti quatuor stellarum constitui-
Apoc. 12. tur. Sic vidit Euangelista Ioannes, *signum magnũ, quod
apparuit in cœlo, mulier amicta sole, & in capite eius coro-
na stellarum duodecim* Habet influentiam super cor, su-
per vocem virginis sanctificato Ioanni fortitudo cœle-
stis collata est, *vt conuertat corda patrum in filios*, vt ge-
nimina viperarum increpet, vt concubinario Herodi
Regi constanter dicat: *non licet tibi habere vxorem fra-
tris tui*. Signum quoque virginis prædominatur vene-
ri: sic Ioannes per virginitatem, angelicamque purita-
tem omnia venerea vicit oblectamenta. Imò ipsi tan-
dem Ioui signum virginis prædominatur: sic nempe vi-
demus ipsum Deum in baptismo Ioanni, tanquam spi-
rituali parti se aliquatenus submisisse. O fœlicissimum
infantem sub ligno omnium fœlicissimo natum, *Quis
putas puer iste erit?*

Zacharias pater Ioannis spiritu diuino afflatus ali-
quid nobis explicare cœpit in cantico dicens: *tu puer
Ioannes homo angelicus. Propheta altissimi vocaberis*. Ioannes verò Euangelista
de illo dixit: *Fuit homo missus à Deo*: ac si diceret: homo
angelus vtrumque à puero habuit: Ex vtero enim plus-
quam Propheta fuit, Christum exultatione prædicans:
quinqueunis puer Angelicam vitam in eremo agere
cœpit, vsus rationis, (quo in vtero mitaculose est præ-
uentus secundum Augustini, & Anselmi sententiam)
forte in puero semper mansit, sicque teneris sub annis
periculosum hominum consortium deuitans eremum
elegit, ô fœlicissimum puerum, cuius intellectum nil
ante Deum intrauit, o fructum mirabilem, quem ma-
tutinus, atque feruentissimus solis diuini aspectus præ-
cocem

tocem, præmaturumque sacrosanctæ dedit ecclesiæ: O infantem sanctum, o prodigiosum eremitam! o angelum in carne! Quid tibi cum eremo puer innocēs, sanctissime? Quid tibi cum fetis, quid cum cilicio, quid cum tam rigida pœnitentia, qui necdum peccare nosti? Atqui hæc nō est peccatorum pœnitentia, sed exempli, vt in carne sua adimpleat cum Paulo, *quæ desunt passionum Christi, pro corpore eius, quod est ecclesia:* ad ædificationem videlicet ecclesiæ, vtque illius thesaurus augeatur. Quòd si pœnitentia adeo efficax est, vt hominem quantumcunque peccatorem ad tantam dignitatem exaltet, qualem possident Dauid, Matthæus, Magdalena, Latro, atque Saulus persecutor, ad quem gradum exaltauit tam præcox, tamque rigida pœnitētia innocentem, sanctissimum, imò angelicum puerum? *Quis putas puer iste erit?*

Si rursus à sacro Euangelista Ioanne quæras, quis, vel qualis fuerit iste homo missus à Deo? respondet, *non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine:* ac si dicat, fuit magnum quoddam prodigium, quòd facula, & *lucerna ardens, & lucens* ipsum lumen solis illustrauit, atque manifestauit. Id tamen non tam assertiuè explicuit quid sit, quàm negatiuè quid non sit. *Non erat* (inquit) *ille lux.* Quod si ab ipso Ioanne Baptista rogemus, quis sit? per negationem nobis vtique respondebit, sicut & sacerdotibus, & Leuitis missis ab Hierosolymis: *Non sum Christus: Non sum Elias: Non sum Propheta.* Ter geminata negatio essendi, sublimem dignitatem Ioannis nobis insinuat: sicut sanctus Thom 1 part quæst 12 artic. 5. ad 2 docet de quidditate Dei, quod propter incomprehensibilem Dei naturam, potius illum cognoscimus per negationes, quid non sit, quàm quid sit. Ioannis ergo dignitas per negationes explicata immensam Dei optimi perfectionem videtur imitari. Cùm filiis Israel datum est manna in deserto, *apparuit minutum quasi pilo tusum, album quasi ruina*, vel congelatus ros, mirabilem habens saporem: nam ad quod quisque volebat, conuertebatur, cùm igitur omnis saporis haberet suauitatē, ignorantes nomen, quod istius naturam adæquatè

S. Thom. *Ioannis dignitas per negationes insinuatur.*

explicaret, dixerunt, *manhu, quid est hoc?* Ipsum nomen admirationis illi cibo cœlesti inditum est, vt man deinceps appellatum sit. Idem nobis videtur contingere in cœlesti hoc puero; cuius dignitas tanta est, vt vix lingua, nedum calamo explicari posset, quid sit: habet enim omnis saporis suauitatem; inter Patriarchas locum habet excelsum. Inter Prophetas *Venit in spiritu, & virtute Eliæ*, imò plusquam Prophetam Dominus prædicauit: confessorum, & eremitarum collegio annumeratur; inter virgines lauream habet, inter martyres palmam; inter Apostolos principatum obtinet; tum quia in vtero *primitias spiritus* accepit, tum quia illos in fide instruxit, *vt omnes crederent per illum*, atque ad Christi scholam accederent. Inter angelos Christi oraculo sortem habet. Imò Christi Domini (non tantum secundum vulgi erroneam opinionem) saporem

D. August. habet: sed quia (vt Diuus Augustinus ingeniose adnotauit) *sicut Christus Dominus filius est virginitatis, Ioannes filius est castitatis*, quæ post virginitatem secundum gradum habet: Christus natus est ex matre virgine, Ioannes ex matre sterili, ex parentibus sanctis, & iustis ante

D. August. Deum, *qui processerant in diebus suis*. Vnde Diuus Augustinus ait; *Vis scire, quid sit Ioannes, non est Deus, non est Christus:* quare videtur sentire, quod inter viros pri-

Bernard. mum locum teneat post Christum. Bernardus, *Vnus est, & secundum non habet: tria namq; fecit Deus sine secundo, Christum, Mariam, & Ioannem. Christus sol est, solus Maria luna, vna, Ioannes Lucifer vnus.*

Hæc quidem de Ioanne ex parte dicta sint: nullus enim mortalium explicare valet nodum propositę quæstionis, quisnam sit Ioannes: ipsius solutionem, vltimamque resolutionem, & miraculum pueri perfectam diffinitionem diuinæ cognitioni relinquimus: nam vt Prouerb. 26. habetur, *spirituum ponderator est Dominus.* Cæterùm cùm omnium sanctorum saporem habeat, sicut manna ciborum, illius gerat similitudinem dicamus esse manna, dulcedinem, ac suauitatem ecclesię,

Ioannes manna est ecclesia. idque sonat nomen Ioannis gratia, & omni suauitatē plenum: demusque illi nomen, & locum in ecclesia, quem habuit manna in arca. Nomen habet admirationis,

ftionis, *manhu? quid est hoc?* similiter Ioannes: *Quis putas puer iste erit?* In arca tertium locum tenuit manna, in ea etenim continebantur tabulæ legis, virga Aaron, & manna: similiter in ecclesia habemus Christum authorem legis gratiæ, virgam floridam, quæ virgo est sanctissima, iuxta Esaiæ vaticinium cap. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet:* Habemus & manna, Ioannem dulcissimum, qui nomen habet, & saporem gratiæ, atque in beatitudine gustum gloriæ. *Hebr. 9.*

IN NATIVITATE

Beati Ioannis Baptistæ,

CONCIO SECVNDA.

THEMA.

Ioannes est nomen eius. Lucæ 1.

NOMEN Ioannes, adeo sacrum est, vt per Archangelum Gabrielem de cœlo sit allatum: adeo est efficax, sanctæque virtutis, vt cum primum in terris auditum est, in admirationem omnes rapuerit; atque vehillius scriptura potens fuerit soluere vinculum linguæ patris Zachariæ, si pro tanti nominis dignitate laus futura esset, iuxta illud Psal. 2. *nomen tuum, sic & laus tua:* cœlestis vtique orator, totusque gratiosus esse deberet. *Non enim est speciosa laus in ore peccatoris.* Accedamus igitur ad thronū gratia plenæ Mariæ, quæ mater est gratiæ, quæ organū fuit gratiæ per Spiritum S. in Ioannem transfusę, vt nobis eiusdem Spiritus gratiam obtineat, dicentes Aue.

Sacrum cœlestis Luciferi ortum, qui diei gratiæ fœlix dedit initium, sancti (inquam) Ioannis Christi præcursoris natalitium diem hodie celebramus. Tres ortus in cœli firmamento lætificant mundum, ortus videlicet solis, auroræ, & Luciferi, similiter in firmamento ecclesiæ sanctæ tres natalitii dies gaudio *Tres ortus lætificant orbem, & ecclesiam.*

replent fideles, nempe Iesu Christi Domini nostri, sanctissimæ ipsius genitricis Mariæ, atque Ioannis. Christus enim verus sol est ecclesiæ. Maria aurora est mater roris gratię: Ioannes Lucifer splendidissimus est, qui veteris legis tenebras expellere, peccatorumque caliginem deturbare cœpit; qui veri solis ortum prænuncians noctem præcessisse, diem autem appropinquasse prædicans; cunctos fideles, eos verò maximè, qui expectabant consolationem Israel, gaudio, & exultatione repleuit. Ortus est fœlicissimus, totus sanctus, culpæ nescius, totus gratia, & lætitia plenus. Quod si virgo sanctissima natiuitati Ioannis interfuit, vt multi existimant (quanquam Theodoretus, & Caietanus id negant) si tamen virgo Deifera præsens astitit; ex hac parte assistentium ortus fuit omnium dignissimus: siquidem Dei filius, & virgo mater illum honorificarunt: ortum verò Christi præter virginem matrem, & Ioseph, bestiæ, atque pastores comitati sunt.

Theodoret. *Caietan.*

Communis hominum natiuitas miserijs & luctu plena.

De communi hominum natiuitate Iob Elegiam illam, tristeque carmen cecinit: *Pereat dies in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, conceptus est homo. Sit nox illa solitaria, nec laude digna, obscurentur stellæ eius caligine, nec videat lucem surgentis auroræ*; quia vt ad Ephes 2. dixit Paulus, *omnes nascimur natura filij iræ.* Quare Eccles. 7. dicitur, *dies mortis melior die natiuitatis.* Ecclesia quoque dies mortis Sanctorum vocat dies natalitios, neque meminit dierum, in quibus nati sunt: dies enim illi pleni sunt culpa, labore, ac totius mœroris, & miseriæ, inundatione. Salomon Rex natus *primam vocem similem omnibus emisit plorans*, Sapient. cap. 7. quia, vt Iob ait cap. 5. *homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum.* Dies verò mortis finis est laborum: illis dicit spiritus, *vt requiescant à laboribus suis*, Apocalyp. cap 14. Initium est æternæ vitæ, nisi peccata impediant. Dies vero natalitius Ioannis finem legis atque culpæ, gaudio, & exultatione prænuntiat: gratiæ primitias, *Como fruta de por san Iuan*, in mundum inuexit: lucemque vidit surgentis auroræ: in vtero siquidē matris existens surgentis Marię, atque cum festinatione in montana venientis audita salutatione exultauit luce gratiæ per

Natiuitas Ioānis gaudio plena.

tiæ per Deiferæ auroræ vocem sibi transmissæ. Antequam oriretur Lucifer noster, plenissimè lumine solis illustratus est. Inde exultauit, inde vniuersale gaudium toti mundo diffusum est. Ex feracissima siquidem arbore gratiæ multiplex oritur fructus. Vnus ex his, & quidem desiderabilis gaudium est: sic enim ait Apostolus ad Galat. cap. 5. *Fructus spiritus, charitas, pax, gaudium.* Vnde puer Ioannes ex vtero risum, communeque gaudium mundo annunciauit, statim vt gratia repletus est. Exultauit & mater Elisabeth Spiritu sancto repleta, spirituque prophetico afflata nomen gratiæ, siue Ioannis filio imposuit. Eodem spiritu afflatus Zacharias pater scripto idem nomen cōfirmauit, atq; in spiritu exultans canticum cecinit. *Exultauit* Dei filius, *vt gigas ad currendam viam*, vt Ioannem cum festinatione visitaret *Exultauit & spiritus* virginis *in Deo salutari suo* Exultant vicini, & cognati, atque congratulantur. Tandem in hoc die natiuitatis Ioannis cunctis commune est gaudium, vniuersaleque solatium. Id quod prædixerat Esa. cap. 40. *Consolamini, consolamini popule meus, dicit Deus vester, loquimini ad cor Hierusalem, & complectimini eam*; ac si dicat, consouete, & demulcete eam hilari nuncio dimissionis, & indulgentiæ peccatorum. Quis verò tam optati nuncii est delator? *Vox clamantis in deserto:* Ioannes vtique nuncius est, angelus, & vox diuinæ clementiæ: sic enim de illo cecinit pater Zacharias: *tu puer propheta, &c.* vsque *in remissionem peccatorum eorum. San Iuan fue pitima del coraçon, y consuelo de la Yglesia* Ille vox Domini fuit suauis, sonora, *vox Domini in virtute:* sic exponunt verbum illud Psal 28. Iustinus martyr. Dialog. aduersus Trifontem. Epiphanius lib. 2. Clemens Alexand. & D. Basilius in Psal. 28 D. August. tom. 10 in serm. huius diei. Imo est expositio Marci Euangelistæ, c. 1 *vox clamantis in deserto:* statimque subdit: *fuit Ioannes in deserto baptizans*; vox fuit nuncians ægris medelam, clausis apertionem, captiuis libertatem, cœcis lumen: omnia solatio, & gaudio replet Ioannes, idq; nomen Ioannis secum defert.

Galat. 5.

Ioãnes vox suauis.

Psal. 28.

Basilius.

D. August.

Marc. 1.

Nomina quidem rebus imposita sunt, vt ipsarum explicent naturas iuxta doctrinam Platonis, & Arist. *Nomina inuenta, vt*

Quare

rerum explicent naturas. Quare Deus optimus cuius natura est incomprehensibilis, non habet nomen proprium, Prouerb. 30 *quod est nomen eius, & quod est nomen filij eius, si nosti?* Genes. 32. *cur quæris nomen meum, quod est mirabile?* ipse tamen Dominus, qui intus & in cute (vt est in Prouerbio) nouit rerum omnium naturas, singulis propria, & adæquata nomina iuxta cuiusque naturam imponere nouit: sic dicitur in Psalm. 146. *qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Optimè *S. Thom.* Doctor Angelicus 3. part. quæst. 37. artic. 2. quod Deus imponit nomina secundum proprietatem, & exigentiam naturæ, vel officii: sic spiritus cœlestes vocat angelos, quia mittuntur, Cherubin sapientes, Seraphin ardentes, Thronos, quibus insidet. sic vocauit Abram Abraham, Genes. 17. quia *pater multarum gentium* est constitutus: Iacob Israel, Genes. 32. id est, videns Deum. Adamo verò sicut infudit Dominus scientiam, & cognitionem rerum omnium naturalium, sic dedit principatũ, vt singulis imponeret nomina, *omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius:* Euam vocauit *viraginem, quia de viro sumpta est.* Ante culpam rectè quidem imposuit nomina: post culpam verò subsecuta ignorantia cœperunt impropriè imponi nomina, non secundum rerum proprietatem, & veritatem, sed secundũ leges carnis, & sanguinis & mundi, ad memoriam auorum, & proauorũ: sic hominum inualuit cõsuetudo: quare vicini, & cognati patris Zachariæ nomen filio imponendum censebant. Melius tamen pater, & mater, vtpote meliori spiritu ducti, nomen de cœlo allatum puero imponũt, dicentes: *Ioannes est nomen eius.* Puerum nanque cœlestem dedecebat nomen terrenum: Et nomen cœleste congruebat. Ille contra leges carnis, ac sanguinis bellum indixit; quare caro, sanguis, & mundus cœlesti puero nomen proprium consequi nulla ratione potuissent. Sicut verò nouis rebus inuentis oportet noua nomina cudere, nouitati cœlesti nomen de cœlo aduenire oportebat: qui enim dat esse, commodissimè dabit & nomen. In mysterio incarnationis *nouum creauit Dominus super terram, fœmina circundedit virum,* Hierem 31. Nouus enim *Hier. 31.* homo

homo *de cælo cælestis*: in quo innouata sunt omnia, ideo de cœlo datum est *illi nomen, quod est super omne nomen*: sic enim dixit Angelus ad Ioseph: *Vocabis nomen eius Iesum*: sicut & per Euangelicum Prophetam prædictum fuerat: *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* Christus quoque Dominus cùm Simonem ecclesiæ suæ summũ pastorem elegit, Petrum vocari voluit à petra, nominis rationem explicans: *super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Sic nostro infanti, nisi de cœlo reuelatum fuisset nomen, nullus mortalium proprium nomen assequi potuisset. Sicut interrogatio illa admiratione plena confessa est, *quis putas puer iste erit?* *Esai. 62.* *Matth. 16.*

Cæterùm iam expendamus, quàm aptè nomen Ioannis illi de cœlo sit impositum, illud enim nomen est gratiæ: Ioannes verò in vtero Elisabet primitias spiritus & gratiæ per vocem virginis suscepit: sicut in altissimo monte primi solis radii suscipi solent. Et herbæ, atque flores in aurora rore cœli tinguntur. Et sicut gemmæ ex rore cœli gignuntur: sic Ioannes velut flos pulcherrimus rorem gratiæ ex aurora, imò ex *vtero auroræ*, id est, à Christo Dei filio in vtero virginalis auroræ clauso suscepit. Ille gemma est fulgentissima gemmas omnes splendore vincens. Ioannes primus fuit, in quo Saluator sanctificatoris munus inchoauit: Et super quem tanquam super montem omnium altissimum primi radii veri solis iustitiæ fulgere cœperunt. Apud insulas Fortunatas, Canarias vulgo dictas, in insula ferri fertur esse mirabilis quædam arbor dicta Amaqua, quæ ex rore cœlesti, quem suscipit, omnes insulanos aqua reficit: sic vtique Ioannes aquam gratiæ de cœlo suscepit, vt omnibus per illã credentibus subministraret. Ille primus est, qui fructum diuinæ gratiæ ex paradisi cœlestis arbore vitæ in terras allatum degustauit: vt aptissimè illi concinamus: *Domine præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Caleb, & Iosue primis fructibus de terra promissionis allatis pauidos animos filiorum Israel ad vberem terram conquirendam vehementer excitarunt: sic vtique Ioannes nominis sui dulcedine ad suauissimũ manna gratiæ degustandum *Simile 2.* *Amaqua rara arbor.* *Num. 13.*

Ioannes cõtra venenũ culpæ antidotũ gratiæ primus ostendit. mirabiliter allicit. Si multũ debemus iis, qui antidota cõtra venena inuenere, multoq; amplius nos ei debere fateremur, qui tempore pestis herbam aliquam, vel antidotum inueniret, quod præsentissimum afferret remedium, quantum debemus Ioanni, qui cõtra morbum, ac pestem culpæ antidotum gratiæ manifestauit ecclesiæ? Antiqui quidem patres *iuxta fidem defuncti sunt non acceptis repromissionibus*: Ioannes verò accepit repromissionem gratiæ, Neque transeunter, sed gratiam fixam, stabilem, & permanentem suscepit. Id enim significat nomen Ioannis, non tantum voce matris transeunter prolatum, sed à patre scripto confirmatum: Ioannes est nomen eius; ac si dicat, nomen est magni illius doni gratiæ, quod consortes efficit diuinæ naturæ, quæ eminenter est, cuiusque nomen Dominus Moysi dixit, *esset qui est*: sic gratia Ioanni collata efficiens illum cõsortem diuinæ naturæ rectè per nomen sic scriptum explicatur, *Ioannes est nomen eius*, Nomen efficax, sicut *oleum effusum nomen* Christi: siquidem soluit vinculum, linguæ patris Zachariæ,

Tandem Ioannes finis est legis, culpæque finem per Christum afferri prædicit: nam *gratia & Veritas per Iesum Christum facta est*. Ioannis cap. 1. Possumus Ioannem vocare militem gratiæ, *cauellero de gracia* Ille primus ostendit ecclesiæ telam gratiæ, qua *Verbum caro factum* amicos induit: & qua ipse Dominus velut ornamento inductur, cùm in die plenæ lunæ reuersurus est in domum suam, Prouerb. 7. Hic est Ioannes, quem *Esai. 49.* Prophetæ annunciarunt, Apostoli prædicarunt, qui Christum antequam nasceretur, prædicauit: quem angelus prædixit futurum magnum coram Domino: Nõ signata hac, vel illa magnitudine, sed absolutè dixit; *erit magnus. Et coram Domino*: cum propheta euangelicus dicat, cap. 40. *omnes gentes quasi non sint, sic sunt in conspectu tuo, & quasi nihilum, & inane reputata sunt.* Possumus vocare Ioannem grandem Christi, & quasi ducem societatis velleris (vulgo dictæ, *de Tuson.*) Ille enim primus est, qui sub nomine agni Christum digito ostendit, dicens; *Ecce agnus Dei.* Cyrillus Catechesi 3. de illuminat. vocat Ioannem finem Prophetarum,

rerum

rerum Euangelicarum principium, & noui testamenti archiducem. Tam magnus fuit, quod cum fides sit de rebus arduis,& supra naturam,atq; adeo debuerit confirmari miraculis:voluit diuina bonitas condere Ioannem tam excelsæ gratiæ,innocentiæ, ac totius virtutis tanto splendore fulgentem, cunctis adeo mirabilem, tanta veneratione, tamq; integra fide dignum, vt absq; miraculis daretur illi fides ob solam ipsius assertionem in mysterio incarnationis, aliisque fidei sacramētis,quę diuinę veritati subnixa, & ad huc miraclis confirmata vix mundus credidit. Sic enim de illo ait Euangelista Ioannes: *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.*

Apostoli quidem *prædicauerunt vbiq; Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis*: Ioannes vero nullum fecit signum,voluit tamen diuina bonitas, vt illius verba tam efficacia essent apud homines,atque miracula. Hinc est,quod primi Apostoli Petrus, & Andreas,vt audierunt Ioannem dicentem: *Ecce agnus Dei*, statim crediderunt,& accesserunt ad Iesum. Vere Ioannis nomen illi conuenit,qui totus suauis est, gratiosus mirabilis: qui finem imposuit legi & peccatis,qui homines eduxit à tenebris ad lumen:docuit homines transmutari à peccatis, hazer Sant Iuan (vt est in Prouerbio) à statu culpæ ad statum gratiæ, quæ munit viam ad statum gloriæ. *Ioann. 1.*

IN NATIVITATE BEATI IOANNIS Baptistæ,

CONCIO TERTIA,

THEMA.

Etenim manus Domini erat cum illo. Luc. 1.



VERBA sunt vicinorum,qui mirabilia signa pueri Ioannis cernentes, neque satis intelligentes in quem virum euasurus esset, ad-

mirationis suæ causam explicant dicentes: *Etenim manus Domini erat cum illo*: ac si dicant, tot, tantisq; cœlestibus donis diuina manus puerum cumulauit, vt spes futuræ dignitatis, quam tot signa nostris animis ingenerãt, tam sit ineffabilis, vt omnem vincat eloquentiã, linguæq; ministerium. Cæterum diuina manus, quæ in puerum Ioannem tam liberalem se se in largitione donorum exhibuit, *non erit abbreuiata* (vt Esa. c. 56. dixit) *neq; aggrauata auris, vt non exaudiat*: Et Miche. cap. 2. *non est abbreuiatus spiritus Domini* Vt igitur, dona diuinæ manus in Ioannem collata, vel imis labiis (vt dici solet) attingere valeamus, diuinæ manus opem per almam virginem poscamus dicentes, Aue Maria.

Manus metaphorice Deo tribuitur. Manus in sua propria significatione dicit membrum hominis, quod est præcipuum organum operationum; cum vero Deus sit spiritus, non potest secundum proprietatem vocis illi tribui manus, sed per metaphorã, & similitudinem, vt docent Augustinus 1. de doctrina Christiana cap. 8. Gregorius in primum Reg. cap. 6. Et in Ezechiel. homil. 2. 9. & 10. Et Doctor Angelicus noster Thomas, prima part. quæstione 3. articu. 1. ad tertium. *August. Gregorius. S. Thom.* In Deo igitur accipitur manus pro perfectione aliqua intelligibili, quæ proportionem habet, & similitudinem cum operatione manus. *Inuisibilia enim Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*: vt ad Romanos, cap. 1. ait Paulus. Primo igitur manus significat consilium: sicut secundi Reg. decimoquarto, dixit Dauid ad Thecuitem deprecantem pro Absolon, *nunquid manus Ioab tecum est*? ac si dicat: nunquid consilio Ioab me deprecaris? Secũdo manuum coniunctio amicitiæ, & fidei symbolum est, tam apud gentiles, quam in scriptura Sacra: sic Iehu ad Ionadab quarti Regum, cap. 10. *nunquid cor tuum rectum est cum corde meo? sicut cor meum cum corde tuo*? Respndentiq; Ionadab, *est*, ait: *Da mihi manum tuam: qui dedit ei manum suam*, Celebris mos inualuit apud omnes ferè nationes in signũ amicitiæ dextras iungere: ad Galatas, cap. secundo, *Iacobus, Cephas, & Ioannes, qui videbantur, columnæ esse, dextras dederunt Paulo & Barnabæ societatis*. Tertio fortitudo, & virtus operatiua dicitur manus, Psal. 101. *Opera ma-*

2. Reg. 14. *4. Reg. 10.* *Dextram iungere amicitiæ symbolum.*

ra manuum tuarum sunt cæli, omnia siquidem creata pendent à diuina manu in fieri, esse, & conseruari. Sic fatetur Iob, cap. 10. *Manus tuæ fecerunt me*,&c. Hieremias, cap. 18. *sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea:* Ea ratione dipingi solet pater æternus cum globo mundi in manu in signum creationis, & conseruationis: hac manu dicitur *attingere à fine vsque ad finem fortiter* sap. 8. Adeo quod si per momentum manum subtraheret, omnia in nihilum redigerentur.

Secundum has tres acceptiones manus, filius Dei Christus manus est patris: quia consilium, & consiliarius est patris: sic enim canit ecclesia, *Angelus consilij natus est de Virgine*. Secundo quia datus est quasi dextera patris in signum amoris: fœderis, & reconciliationis: *ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum:* in se reconcilians ima summis. Tertio fortitudo est Dei patris: ipsius vires, & magna potentia solus. Virtus est operatiua Dei: quia (vt Ioannis 1. dicitur) *omnia per ipsum facta sunt*, & Diuus Augustinus in illud Genes. 1. *in principio creauit Deus cælum, & terram*, explicuit, id est, in filio. Ille manus est patris, quam regius vates nomine totius humanæ naturæ anxie petebat dicens: *Emitte manum tuam de alto*. Hæc est manus, quæ latebat in sinu patris, sicut manus in sinu Mosi, omnino erat munda, cũ vero de sinu extracta est, apparuit leprosa. Cyrillus de incarnatione vnigeniti. 15. & cõtra Iudæos. 9. explicat de filio Dei, qui in sinu patris, vt candor lucis æternæ fulgebat, sed factus pro nobis homo, *apparuit in similitudinem carnis peccati: Et eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit* (vt Paulus 2. Corint. 5. ait) *vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso*. Hæc est lepra, de qua prædixit Esai. capit. 53. *Vidimus eum quasi leprosum*.

D. August.

Psal. 143.

Cyrillus.

Esai. 53.

Consideramus vero in Deo duplicem manum: dexteram bonitatis, misericordiæ, benignitatis, & gratiæ: sinistram vero iustitiæ, rigoris, & vltionis: sic dicuntur in iudicio collocandi agni à dextris, hœdi à sinistris. Atque in hoc vita cõtra impios dicitur *manus Domini extensa*, in signũ vltionis, & punitionis: *calix quoq; furoris in manu Domini*, Esa. 51. *Et vas interfectionis in manu Domini*

Dextera, & sinistra in Deo quid significent.

mini, Ezech. 9. *digiti manus scribentis cōtra candelabrum* interitum Regis Balthasaris prædixerunt, vt habetur Daniel 5. Rigidam manum Domini expertus Iob orabat ca. 13. *manum tuam longè fac à me*: Et Paulus ad Hebræos. 10 *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Rursus dextræ Domini benignitatem, protectionem, ac liberalem munerum largitionem experiuntur iusti: Bernar super Cant ser. 7. manus Dei dicuntur vna latitudo, altera fortitudo, quod & tribuat affluenter, & defendat potenter. sic Cant. 5. dicuntur *manus illius tornatiles aureæ, plenæ Hyacinthis.* Tornatiles propter rectitudinis rotunditatem, & perfectionem: secundum D. Grego. vel secundum Rupertum. Propter facilitatem in operatione miraculorum; Promptitudinem ad beneficiorum largitionem, atq; protectionem: Aureę, quia *diues est Dominus in omnes, qui inuocant illum,* Roman. 10 Plenę Hyacinthis in liberali retributione munerum æternæ fælicitatis: vt eleganter explicuit D. Grego. *O fælicem iustorum sortem, qui benignam manum Domini experiuntur, qui suauissimo illius tactu fruuntur,* sapi. 3. dicitur. *Iustorum animæ in manu Dei sunt.* Christus Dominus sic fortiter ac fideliter illos tenet, vt Ioann. capit. 10 dicat. *Non rapiet eos quisquam de manu mea* Quod in cruce re ipsa comprobauit, dum manus potius clauis discerpi passus est, quam iustos derelinquere. Imo *cum iustus ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manū suam* Psal. 36. Traelos en palmas, vt vulgo dicitur. Vtranque manum Domini dextram, atque sinistram iusti experiuntur benignissimam: nam *in dextera eius longitudo dierum, & in sinistra illius diuitia, & gloria.* Prou. 3. Tunc vero, *quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: omnia dixit Paulus, tam aduersa, & sinistrā: quam prospera, & dextra.

Ezech. 9. *Bernardus* *D. Gregor.* *Rupertus.* *Iusti suauē manū Dei experiuntur.* *Psalm. 36.* *Roman. 8.*

Quod si iusti omnes manum Domini benignissimā experiuntur: Ioannes Baptista tam benignam, tamque mirabilem expertus est, vt merito de illo dicatur: *manus Domini erat cum illo.* Omnibus siquidem modis fuit manus Domini cum illo. Fuit enim à diuinis cōsiliis, tum quia datus est ei spiritus consilij cum cæteris donis Spiritus sancti. Tum vero maxime, quia vt magni consi-

consilij angeli præcursor præiret, revelatum est illi consilium illud antiquum, & *mysterium æternis temporibus tacitum sacramentumq; absconditum à seculis in Deo*: vt ad Ephes. 3. ait Apostolus. Euangelicus Propheta. cap. 40. quærit, *quis adiuuit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit: cum quo iniit consilium, & instruxit eum, & docuit eum semitam iustitiæ, & erudiuit eum scientiam?* Possumus vtique respõdere illi, quod Ioannes testimonio suo *adiuuit spiritum Domini, & cõsiliarius illius fuit.* Ab vtero matris instruxit eum: & cum accedens ad baptismum dixit Ioanni, *sine modo, sic decet nos implere omnem iustitiam*, docuit illum semitam iustitiæ. Fuit quoq; veluti paranymphus quia nomine ecclesiæ, (quæ sponsa est dilectissima) sponsi manum accedit, in signum fœderis, amicitiæ, & coniugij. Fidelis vtique paranymphus, ac procurator extitit, cum enim Iudæi vellent ipsum in sponsum suscipere, vellentque exultare in luce eius, vt dixit Christus Dominus, Ioann. 5. ille tamẽ tam humiliter, quam constanter respondit: *nõ sum ego Christus.* Atque iterum: *non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti.* Quod munus intimi ministerii est: vt explicuit Chrysost. vel secundum expositionem Grego. perinde est, ac si diceret: non sum ego sponsus, sed Christus; iuxta ritum, qui habetur Deuteron. 25.

Esai. 40.

Chrysost. Gregorius.

Tertio quoq; fuit manus Domini cum Ioanne, secundum virtutem operatiuam, atque fortitudinem: & secundum liberalem donorum largitionem. Nam ante conceptionem, voluit diuina manus illum magnificare per Archangelum Gabrielem ipsius ortum patri annũcians: spirituique sancto replendum: magnificat iam cõceptum illum visitans per se ipsum, & per vocem almæ Dei genitricis sanctificans, rationis vsum præuenit, Spiritu sãcto repleuit, spiritumq; prophetiæ, atque vsum in vtero habere voluit. Natiuitatem, atque circũcisionem cœlesti nomine, vniuersali gaudio, mille, prodiis decorauit: vix natum duxit in solitudinem, & eremum: iam virum viri: sanctitate, mirabiliq; fortitudine roborauit contra Reges, Pharisæos, & mundi potentes: vt constanter pro Christo, & veritate mortem subierit: vt vere de illo dictum sit: *manus Domini erat cum illo.*

Manus Domini fuit cum Ioanne illum magnificãs.

Verba

Esai. 45. Verba illa dicta de Cyro Persarum Rege. Esa. cap. 45. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subijcam ante faciem eius gentes, dorsa Regum vertam, et aperiam coram eo ianuas, & porta nõ claudetur:* Ioanni aptissime conueniunt: ille enim prædicatione sua Apostolos docuit, mundum subiecit: coram illo ianuę cœli apertę sunt Luc. c. 3. Et exnunc *à diebus Ioannis Baptistæ regnum cælorũ vim patitur.* Manus igitur diuinę fortitudinis, potentiæ, ac virtutis operatiuæ in Ioanne ostensa est. Cum Elisæus animam suam manibus Regis Ioas superposuit. vt per fenestram iaceret sagittas contra Syriam dixit: *sagitta salutis Domini contra Syriam.* 4. Reg. ca. 13. Ioannes sagitta salutis fuit contra mundũ, de illo enim intelligitur locus Esa. 45. *posuit sicut me sagittã electam:* herbaq; diuini amoris tanquam forti Elleboro tincta, ad transfigenda corda: manus Domini superposita fuit electę sagittæ. Erat enim cum illo: ideoq; fuit sagitta salutis, & sagitta potẽris acutissima. Cum peritus artifex, aurifex, vel sculptor, aut pictor optat opus aliquod insigne perfectissimum operari, nõ permittit, vt alia manus tangat opus: ille vnus diurna, nocturnaq; manu versat, lineas deducit, colores, atq; vmbras penicillo inducit, donec pro voto absolutum videt opus. Tunc ad peritię suę memoriã nomen subscribit: *Apelles me fecit.* Sic vbi diuinum hoc opus, cunctisq; seculis stupendum diuina manus absoluit, operi quidem nomen Ioannis imponitur, quod absolutum, gratiaq; plenum opus testatur. Artificis vero nomen subscribitur, cum dicitur, *Manus Domini erat cum illo:* quod perinde est, ac si dicatur: tam perfecta est sanctitatis imago, adeò fuit perfectum, & absolutũ opus, vt dignũ sit diuina manu, potentia, sapientia, atq; dexteritate: neq; enim per trãsennam illud diuina manus effecit, sed summa cum attentione operãs fabrefecit, in diesq; perficiens, & in lucem emittens, *manus Domini* semper *erat cũ illo:* donec gloriosam martyrii palmã illi tribuens vltimam manũ suo operi imposuit. Tunc, sicut peritus aurifex tactu lapidis gradus auri dignoscit, ita gradũ charitatis, diuini amoris, perfectissimæque sanctitatis Ioannes mundo manifestauit.


4. Reg. 13.
Ioannes sagitta salutis electa.
Esai. 45.
simile.

Ecce

Ecce quam vere dicatur, quod *manus Domini erat cũ illo* non solum per operatiuam virtutem, generalemq; concursum, sicut adest cũ rebus omnibus; neq; speciali sicut cum aliis sanctis, & iustis: sed specialissima quadã, efficaciorią; virtute manus Domini illum tetigit, perfecit, protexit, magnisq; muneribus de cœlo cumulauit. Id ꝙ melius intelligemus, si scripturæ sacræ phrasim perpẽdamus: in qua secundũ proportionem, & mẽsuram effectuum tribuitur illis denominatio instrumenti, & organi, per quod efficiuntur. Vt digiti manus, vel brachii. De cœlorũ fabrica dixit Dauid Psal. 8. *quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum*. Et Es. 40. *Qui mẽsus est pugillo aquas, qui appẽdit tribus digitis molem terræ*. De mirabili illa plaga ciniphum, quam magi Pharaonis incantationibus suis imitari non potuerũt, conuicti dixerunt Pharaoni. *Digitus Dei est hic* Exod. 8. Grande quidem opus, & diuinę virtutis erat, dæmonia ab humanis corporibus expellere: Et tamen in digito Dei eiiciebat, vt ipse Dominus, dixit Luc. 11. *si in digito Dei eijcio dæmonia*. Tertullianus ad Marcionem, *Digitus Dei minimum est, quod de Deo imaginari possumus*. Si igitur digitus Dei tam potens est, quanto potiorem effectum perficiet manus Domini. Opus quidem incarnationis verbi fuit ineffabile, atq; adeo de illo cecinit virgo sanctissima in domo Ioannis, *fecit potentiam in brachio suo*: sicut de eodem mysterio prædixerat Esa. cap. 53. *Brachium Domini cui reuelatum est*? Ioannes fuit veluti digitus huius brachii, quia mysterium hoc ex vtero mundo annunciare cœpit, atq; agnum Dei digito ostendit. Mirum ergo in modum Ioannis dignitas, atq; celsitudo cõmendatur, dum de eo dicitur, *quod manus Domini erat cum illo*. Perinde enim est, ac si dicas: Talis tantusq; est Ioannes, in quo voluit diuina maiestas, sapientiæ, virtutisque suæ ostensionem dexteræ suæ peritiam, manusque largissimam donorum liberalitatem futuris seculis prodere. Per illũ supplices deprecemur, vt eadem diuina manus, quæ nos condidit, conseruat, atq; gubernat, ab omnibus malis, atq; periculis protegat, in præsenti gratiam largiatur, & in futuro gloriam.

Tertullia. *Incarnatio nis mysterium opus fuit brachij diuinæ potentiæ* *Esa. 53.*

FINIS.





INDEX LOCORVM SCRIPTVRÆ SACRÆ, QVÆ IN HOC PRIMO TOMO CONCIONVM DE SANctis explicantur: numeri priores capitulum: posteriores paginam designant.

GENESIS.

Eee ange-

Numerorum.

Deuteronom.

Iosue.

Iudicum.

1.Regum.

2.Regum.

3.Regum.

4.Regum.

Veniat

Sapientiæ.

Ecclesiastici.

Cap.

Eua-

Malachiæ.

Matthæi.

Marci.

Lucæ.

Ioannis.

Actuum Apostolorum.

Occi-

Ad Philippenses.

Ad Colossenses.

Primę ad Timotheum.

Ad Titum.

Ad Hebræos.

Iacobi.

Secundæ Petri.

Iudæ.

Apocalypsis.

De B. Petro Martyre.

Pedes

FINIS.

INDEX



INDEX RERVM ET SENTENTIARVM, QVÆ IN HOC PRIMO TOMO CONCIONVM DE SANctis continentur.

A.

Fff *Amor*

Christus

Inno-

Iudi.

Vni-

Mors

Paulus

Sensus

stel-

Tribu-



FINIS.

